

CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTE



BERARDI

THEOLOGIA

PASTORALIS



BX1913


B4

1902

c.1

008384






1080020864

EX LIBRIS  
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ  
Episcopi Leonensis

*P.L.A.R.*




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS





# THEOLOGIA PASTORALIS

AUCTORE

AEMILIO BERARDI

SS.MI DOMINI NOSTRI LEONIS XIII PRAELATO DOMESTICO

CAN.CO PRAEP. CATHEDRALIS FAV.

ET S. THEOLOGIA DOCTORE

# UANI

EDITIO TERTIA

EMENDATA ET VALDE AUCTA



*Capilla Alfonsina  
Biblioteca Universitaria*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FAVENTIAE  
NOVELLI & CASTELLANI  
THYPOGRAPHI  
MCMII



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON  
Biblioteca Valverde y Tellez




45033

Bx 1913

B4

1902



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

## Introductio

1. *Quid est theologia pastoralis?* R. Est tractatus in quo agitur *ex professo* de officiis pastorum animarum, et eo tendit ut in Dioecesi efformentur praecipue optimi parochi. Dico *praecipue*, agitur enim insuper nedum de iis qui ad instar parochi habentur (cuiusmodi sunt coadiutores cum iure successionis, oeconomi spirituales, et curati a parochi habituali constituti); sed etiam de illis qui parochos adiuvant (cuiusmodi sunt eorundem vicarii et subsidiarii); imo etiam de illis qui utcumque habent curam animarum (cuiusmodi sunt capellani hospitalium, maxime vero confessarii monialium). Denique circa officium concionatoris regulae supremae et magis necessariae exponentur.

Sic itaque schola theologiae pastoralis pro scopo habet ut in Dioecesi praeparentur boni operarii, qui circa diversa officia recte instructi, in vinea Domini fructuose laborent.

2. *Theologia pastoralis agitne de cura animarum universim? Et in quo differt a theologia morali?*

R. Ad I.<sup>um</sup> Negative, non enim agit de Episcopis vel de Superioribus Regularibus etc.; sed respicit solum illa officia ad curam animarum spectantia, quae, ut modo dicebam, in qualibet Dioecesi valde communia sunt.

Ad II.<sup>um</sup> Differt a theologia morali, quia, dum restringitur ad sola praedicta, de illis tractat amplissime veniendo admodum ad particularia; ita tamen ut omittantur casus rarissimi et potius theoretici quam practici (qui potius inveniuntur in theologia morali). Ad consulendum autem brevitati, ordinarie exponitur quid agendum sit, probationes autem atque etiam res notissimae omittuntur.

008384

3. *Quaenam sunt dotes principales quibus praeditus esse debet qui curam animarum suscipit?* 1° Sanctitas (saltem in gradu ordinario). 2° Doctrina. 3° Prudentia.

4. *Quid de necessitate sanctitatis?* Sanctitas necessaria est 1° Quia parochus debet esse semper paratus ad Sacramenta administranda, atque adeo in gratia Dei. 2° Orare pro populo, et proinde esse Deo carus. 3° Multis incommodis, laboribus et sacrificiis se subiicere. 4° Vincere se ipsum v. g. quoad iram, superbiam, avaritiam, accediam, maxime vero libidinem in tot periculis et occasionibus. 5° Praebere bonum exemplum; ita ut sit persona magis exemplaris in toto populo, sicut populus ipse exigit.

Enimvero si parochus huiusmodi sanctitate et virtutibus esset destitutus, ordinarie zelo quoque careret, sine ullo fervore Evangelium explicaret, saepe saepius catechismum puerorum omitteret, et, uno verbo, in adimplendis officiis suis (ut experientia patet) valde negligens foret. Sic autem, dum parochianis multis esset occasio damnationis, sibi ipsi damnationem pararet.

5. *Quid de necessitate doctrinae et prudentiae?* Nominem doctrinae non intelligo magnam copiam doctrinae speculativae, quae ad praxim fere nunquam et fere nihil deserviat; et nomine prudentiae, etsi prudentia sit semper necessaria, tamen non intelligo illam quae longa et diuturna experientia propria acquisita fuerit (secus enim iuvenes officium parochi acceptare non possent); bene vero intelligo sufficientem aptitudinem ad bene se gerendum in casibus ordinariis (consulendo theologos aut viros prudentes in extraordinariis); quae aptitudo partim quidem ex libris theologiae moralis, sed partim etiam ex multis advertentiis practicis, quae a parochis senibus sive utcumque magnam experientiam habentibus, tamquam utiles vel etiam tamquam omnino necessariae, cognitae fuerunt et in libris theologiae pastoralis recollectae inveniuntur.

Doctrina itaque et prudentia huiusmodi certe necessaria est ut officium parochiale exerceri possit. Secus enim

iuvenes, credendo bene facere, et non reflectendo ad consequentias, magnos, et quidem valde noxios, commissuri essent errores, ut ex facto nimis patet. Quot reapse, ex defectu huius instructionis practicae, laborant sine fructu? Quot positive praeiudicant et paroeciae ruinam inferunt?

*Laborant sine fructu:* v. g. instruunt pueros, sed fere solum quoad formulas, et necessarias non adiiciunt explicationes. Sermonem faciunt ad populum; sed sine claritate, vel sine substantia. Audiunt confessiones, sed ita leviter et superficialiter, ut neque de dispositione praesenti, neque de emendatione futura serio sint solliciti. Paroeciam regunt, sed modo antiquo, quin novarum necessitatum rationem ullam habeant.

*Positive praeiudicant:* v. g. 1° Imprudentias committunt, quae innumerae esse possunt. 2° Consanguineos, qui otio aut vitiis scandalo sunt, secum retinent. 3° Expendunt plus quam vires suppetunt; aere alieno se gravant; fundos sive rusticos sive urbanos (ubi adhuc Ecclesiae relinquuntur) in ruinam ire sinunt; atque ita existimationem amittunt et ipsi quoque scandalum afferunt. 4° Cum parochis conterminis, et forsitan etiam cum sacerdotibus paroeciae suae, non bene procedunt; vel familias sibi infensas reddunt. 5° Quid dicam de obviando malis modernis (v. g. socialismo), sed modo ita imprudenti et excessivo, ut odia classium excitentur, iura divitum laedantur, et Religio ipsa iacturis et periculis gravissimis exponatur?

6. *Estne necessaria magis doctrina, an vero magis sanctitas?* Utraque exigitur; sed magis necessaria est sanctitas. Doctrina enim sine sanctitate parum boni et multum mali, et e converso sanctitas sine doctrina (dummodo de excessu non agatur) multum boni et parum mali producere potest. Patet ab experientia, valde magis proficuum esse paroeciae parochum sanctum, etsi sit parum doctus (prout erat parochus *d'Ars*), quam parochum doctum sed perversum. Enimvero parochi docti sed perversi multa omittere solent; atque ea, quae faciunt, sine spiritu, negligenter et

perperam faciunt. Quid iuvat scire, si ea quae sciuntur, non fiunt aut male fiunt? Adde scandala, quae si quid boni factum fuerit destruunt, atque incitamentum positivum, et quidem magnum atque valde extensum, ad malum praebent.

7. *Qua intentione suscipi debent officia pastoralia?*

Ad gloriam Dei, salutem animarum et meritum vitae aeternae; non vero ad lucrum, commodum, et honorem sibi comparandum. Uno verbo finis esse debet satisfaciendi obligationibus officio inhaerentibus, non parcendo labori et sacrificiis.

8. *Exigitur ut doctrina et sanctitas comparentur antequam dicta officia suscipiantur?* Affirmative. Quia 1° Exiguntur etiam in principio. 2° Indigent tempore ut acquirantur. 3° Durante cursu scholastico et in seminario, auxilia et adiumenta habentur quaquaversus; postea autem non ita, sed potius tentationes in contrarium aderunt. Loquendo autem speciatim de vitae sanctitate, in hunc finem nostri Episcopi Aemiliani (an. 1901) sapientissime praeceperunt ut nuperi parochi Exercitia Spiritualia peragant antequam parochiale ministerium incipiant, aut saltem infra primum annum.

Sic itaque patet quantum scholae theologiae pastoralis adsit necessitas.

9. *Quomodo schola ista cum schola theologiae moralis componi poterit?* Non est necessarium ut duae fiant scholae separatae, sed res ista optime componitur, si idem professor qui theologiam moralem docet, theologiam pastora-  
 ralem quoque doceat, primam v. g. cuiuslibet hebdomadae diem pastoralis assignando.

10. *Quinam sunt tractatus principales theologiae pastoralis?* Tres: scilicet 1° De officio parochi. 2° De iuribus parochi. 3° De aliis, qui etsi non sint parochi, tamen pro cura et salute animarum in vinea Domini laborant.

*N. B.* — Quae minori characterem in opere isto huc illuc inveniuntur, sunt minus necessaria, et proinde facilius a professoribus in scholis omitti poterunt.

## PARS I.

### DE OFFICIO PAROCHI

#### Praemittuntur quaedam generalia.

11. Oportet imprimis ut parochus serio recogitet de obligationibus, quibus in conscientia gravissime oneratur. Ad multa enim tenetur legibus ecclesiasticis et divinis, imo etiam (propter officii acceptationem et beneficii fructum) ipsa lege naturali. Si enim ad satisfaciendum propriis muneribus districte tenentur officiales saeculares, quanto magis parochi? Nonne experientia patet quod bonitas vel perversitas paroeciae, atque adeo salus aeterna tot animarum, a parochi non parum pendet? Si itaque Iudici Aeterno strictissimam rationem redditori sunt genitores de damnatione filiorum (si propter eorum incuriam sequeretur), quanto magis parochi de damnatione tot millium parochianorum? Agitur enim de animabus quas Aeternus ipse Iudex acquisivit sanguine suo; unde Augustinus exclamabat: Ante Christi tribunal compariturus, quid faciam, quo me vertam, miser, si animae mihi commissae meae incuria periissent? Quid profecto de obligatione ista poenis temporalibus non subiecta, si conscientiam gravissime non oneraret? Adde horum temporum circumstantias specialissimas, in quibus pericula et mala adeo creverunt, et Ecclesia adeo indiget?



12. His tamen obligationibus non ex solo timore, sed etiam (imo praecipue) ex amore, cum vero zelo, et libenter satisfacere debent parochi.

*Ex amore*, agitur enim de procuranda gloria Dei, eiusque offensis impediendis; agitur de quaerendis amatoribus Domino nostro Iesu Christo; agitur denique de salute aeterna fratribus nostris procuranda.

*Cum vero zelo*, qui utique est effectus et signum amoris; atque ex illo fervor, efficacia, constantia et generositas oriuntur: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis ». Pro gloria Dei et salute animarum, praeter Apostolos et Martyres, quid non fecerunt v. g. S. Franciscus Xaverius, S. Vincentius Ferrerius, S. Carolus Borromeus, S. Franciscus Salesius, S. Vincentius de Paoli, S. Franciscus Regis, aliique innumeri? Moyses eo usque processit ut dixerit: « Aut dimitte eis hanc noxam.... aut dele me de libro tuo » (*Exod. XXXII 31*), et S. Paulus: « Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis » (*Rom. IX 3*).

*Libenter*; si enim unusquisque laborat multaque suffert libentissime pro parentibus aliisque personis dilectis; quanto magis pro Deo etc.? *Libenter*; nonne enim missiones magni momenti cum magno gaudio adimplentur? *Libenter*; nonne agitur de ministerio angelico, sublimissimo? *Libenter*; sumus enim adiutores Dei, organa Spiritus Sancti, depositarii meritorum Christi, et dispensatores coelestium gratiarum. *Libenter*, nihil enim Deo acceptius ab hominibus in terris fieri potest. *Libenter*, cogitandum enim est de fructu « Euntes ibant et flebant mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos » (*Ps. CXXV 6*). Et quidem agitur de fructibus pretiosissimis, qui multo magis valent quam patrari miracula et mortuos resuscitare. *Libenter*, quia opera nostra, Deo sic disponente, prorsus necessaria est; qui enim mundum sine nobis creare voluit, illum sine nobis salvare non vult. *Libenter*, quia sumus defensores veri-

tatis, Fidei, legis Dei, Ecclesiae, societatis; et, his praecipue temporibus necessitates in immensum excreverunt. Insuper « messis multa, operarii pauci », et proinde oportet ut unus pro decem laboret. Dicam denique *libenter*, quia laborando pro aliis laboramus pro nobis: « Animam salvasti, animam tuam praedestinasti » (August.): « Tot coronas sibi multiplicat quot Deo animas lucrificat » (S. Gregor. *Past. 3 p.*).

13. His praemissis, venio ad particularia, et dico quod obligationes parochi sunt speciatim sequentes. 1° Residere. 2° Missam celebrare pro populo. 3° Orare pro populo. 4° Sermone habere ad populum. 5° Specialem puerorum et iuvenum curam habere. 6° Administrare Sacramenta. 7° Curam habere infirmorum. 8° Suffragia afferre defunctis. 9° Vigilare et congruas correctiones facere. 10° Satagere ut scandala e medio tollantur. 11° Paces componere. 12° Quatenus opus sit, adiutores sibi adiungere. 13° Bonum exemplum praebere. 14° Existimationem, benevolentiam et confidentiam sibi conciliare. 15° Obedientiam Episcopo praestare, et in rebus dubiis illum consulere. 16° Libros parochiales in regula servare. 17° Beneficiati muneribus satisfacere. 18° Item satisfacere muneribus rectoris Ecclesiae. 19° Cum sacerdotibus et parochis conterminis bene procedere. 20° Hodie horum temporum et novarum circumstantiarum rationem habere. 21° Denique quoad suam ipsam rem familiarem propriamque domum et familiam speciales cautelas habere.

## CAPUT I.

## De residentia.

Agendum est 1. De residentiae natura et obligatione. 2. De conditionibus et causis legitimis ut parochus aliquando possit abesse. 3. De residendo praecise in aede parochiali. 4. De gradu culpa in defectu residentiae. 5. De poenis contra non residentes. 6. De remediis pro casu parochi residentis quidem sed muneri suo non satisficientis, vel satisfacere non valentis.

## ARTICULUS I.

*De residentiae natura et obligatione.*14. *Quid est residentia? Et quomodo distinguitur?*

Est praesentia parochi in paroecia sua. Distinguitur inter materialem et formalem. *Formalis* consistit in cura, ita ut (procurante parochi) paroeciae servitium non desit; *materialis* vero in praesentia personali. Haec autem distinguitur in perfectam et imperfectam. *Perfecta* contingit quando parochus residet intra fines paroeciae, et quidem in domo parochiali, si adsit; neque discedit, nisi forte ad horas, ut infra explicabitur. Si autem, existente domo parochiali, aliam inhabitaret intra fines paroeciae, vel etiam extra, dummodo commode advocari posset, tunc resideret quidem substantialiter, sed *imperfecte*; quod pariter infra melius declarabitur.

15. *Quo iure tenentur parochi ad residentiam?* Ad curam tenentur iure divino. Ad personalem autem residentiam praecise, tenentur certe (quamvis essent amovibiles) iure ecclesiastico (Trid. XXIII. 1); an vero teneantur etiam iure divino, affirmant quidem multi; sed alii non sine probabilitate id negant. Cf. De Angelis (II. I Tit. IV 3), Lambertini (*Notif. XVII*), Bouix (*De Par. V. II § 2*).

16. *Ad personalem residentiam tenenturne solum parochi proprie dicti?* Alii quoque tenentur, partim ex Tridentino; partim ex conventionem vel aliis legibus.

Ex Trid. (praeter Episcopos et Canonicos) tenentur quotquot alicuius paroeciae curam habent (etsi parochi non sint), dummodo independentem aut cum iure successionis illam exerceant. Tales sunt Curati (de quibus supra n. 1), sive perpetui sive amovibiles; item Oeconomus spirituales, qui de mandato Episcopi regunt paroeciam loco parochi ad curam inepti, vel paroecia vacante; denique coadiutores cum iure successionis. Bouix (*l. c.*).

Ex conventionem autem vel aliis legibus tenentur parochorum vicarii et subsidiarii, qui dependentem ab ipsis curam exercent. Item capellani hospitalium, confessarii monialium etc.

## ARTICULUS II.

*De conditionibus et causis legitimis ut aliquando parochus possit abesse a residentia.*

17. *Loquendo de parochis et aliis qui paroeciis praesunt et ex Trid. ad residentiam tenentur, possuntne aliquando et sub quibus conditionibus abesse sine culpa?* Affirmative; et conditiones sunt sequentes.

Oportet imprimis ut possint abesse sine ullo gregis detrimento; secus enim brevissima quoque absentia esset illicita. Quoad alias autem conditiones, distinguendum est praecipue inter absentiam intra et ultra bimestre; seu (ut aiunt) intra duos menses conciliares, et ultra illos vel perpetuo. Conc. Trid. enim (*Sess. XXIII De Reform. C. I*) permittit ut parochi abesse possint per bimestre sub quibusdam clausulis; ultra bimestre vel perpetuo sub aliis clausulis, quae heic explicantur.

18. *Quid notandum circa conditionem quod absentia sine ullo gregis detrimento contingere debeat?*

I. Regulariter exigitur ut parochus discedens vicarium in domo parochiali relinquat. Patet ex ipsa rei natura et ex Trid. (XXIII. 1).

II. Vicarius debet esse idoneus (Trid. *l. c.*); qua de re considerandae sunt circumstantiae. Aliud enim est si de parva paroecia agatur et aliud si de magna, speciatim si sit in civitate vel oppido, ita ut specialis prudentia

exigatur et casus difficiles accidere possint. Item aliud est si absentia parochi sit solum pro aliquibus diebus feriabilibus, quo casu facile sufficit si vicarius confessiones audire possit (Lambertini *l. c.*); aliud vero si sit etiam pro diebus festis, et maxime si diurna; tunc enim (nisi forte agatur solum de uno vel altero die festo, vel parochus defectum postea compensaturus sit) oportet etiam ut Vicarius verbum Dei populo enuntiet (Segneri *Parr. istr. C. ult.*).

III. Dixi vicarii substitutionem praecise in domo parochiali residentis exigi *regulariter*, non vero semper; si enim aliquae paroeciae tales sint, ut (propter circumstantias vastitatis, baptisterii etc.) vix, ut ita dicam, aliquo momento sine huiusmodi vicario relinqui possint; aliae e contra necessitatem istam non praesecerunt. Ut plurimum facile sufficit, si sacerdos intra paroeciae fines domicilium habens delegetur. Facile etiam sufficere poterit si parochus conterminus supplere promiserit in civitatibus; sed non facile ruri (propter distantiam), maxime si populus non fuerit admonitus. Si (aequa de causa) aliquibus dumtaxat horis parochus abesset, aut (non tamen saepe aut nocturno tempore) per diem, ordinarie (nisi scilicet adessent infirmi) non teneretur vicarium substituere. Interdum excusari etiam posset parochus, quamvis, nemine substituto, non praecise ita cito rediturus abiisset, si ex causa valde urgenti, abire coactus fuisset et melius providere non potuisset: aut si, attenta copia sacerdotum, certus esset quod, eveniente casu improvise, qui occurrere paratus sit non deerit. Reiff. (*III. iv 83*).

IV. Contingere potest quod, non obstante substitutione vicarii, parochus sine gregis detrimento abesse nequeat, quatenus eius opera personalis praecise exigatur; et tunc uti patet (saltem ex causa non absolute cogente) discedere nequiret; imo absentia etiam brevissima ad mortalem culpam constituendam sufficere posset.

19. *Quid notandum circa absentiam in solo bimestri conciliari?* Notanda sunt aliqua 1<sup>o</sup> circa modum quo istud bimestre efformari et contingere potest; 2<sup>o</sup> circa causam quae ad utendum illo exigitur; 3<sup>o</sup> circa licentiam ab Episcopo petendam.

20. *Quid itaque de modo quo istud bimestre efformari et contingere potest?*

I. Efformatur etiam ex absentis interpolatis, quae certe et necessario coalescunt (ut patet etiam ex Trid.<sup>o</sup> *l. c.*). Intellige tamen dummodo non sint ita breves ut nihil considerari soleant, cuiusmodi sunt absentiae (etiam quotidianae) paucarum horarum, dum parochi sive deambulationis gratia, sive ad interveniendum funeribus vel aliquibus festivitatibus, alibi se conferunt. Tales etiam esse videntur absentiae paullo magis protractae (v. g. circiter medii diei), sed rariores; dum scilicet parochi identidem (nempe ad summum semel in hebdomada) sive ad civitatem episcopalem, sive ad oppidum, vicinum mane se conferunt, ante vel (aliquando) etiam post meridiem domum redituri.

II. Absentia bimestralis unius anni cum absentia anni sequentis coniungi nequit; tunc etiam pluribus festis solemnissimis parochus abesset. Insuper absentia tunc (propter continuationem) non amplius esset brevis et parum attendibilis, sed in parochianis magnam impressionem faceret, murmur excitaret, atque a scandalo et gregis detrimento vix seiungi posset. Ita S. C. C. apud Reiff. (*III. iv 37*).

21. *Quaenam causa exigitur, ut parochus in bimestri conciliari abesse possit?*

I. Si, ut dixi, absentia contingere valeat sine nullo gregis detrimento, ad sic abessendum non exigitur causa absolute gravis (ut patet ex Trid.<sup>o</sup> *l. c.*), sed exigitur et sufficit ut sit aequa et rationabilis.

II. Causa huiusmodi esset, v. g. si parochus ad invisos parentes, ad melius convalescendum, ad verbum

Dei praedicandum, ad piam peregrinationem perficiendam, vel etiam simplicis recreationis gratia, discederet.

III. Attamen sola recreatio suppeditare quidem poterit aequam causam abessendi una vel altera hebdomada sive continua sive interpolata, sed non integro bimestri *quotannis*. Bened. XIV Const. *Ubi primum* et *Ad universae*. Hinc contra residentiam certe delinquant ii, qui sola vagandi cupiditate (quid vero si ad fines turpes?) non una vel altera hora dumtaxat, sed medio die vel amplius ad civitatem aut alibi in gyrum se conferunt; idque frequenter; quamvis, computatione facta, tempus sic extra paroeciam insumptum bimestralem absentiam non praetergrederetur. Cf. Lambertini. *Not. XVII. 24.*

IV. Habenda est ratio convenientiae; ne scilicet parochus, quamvis optimum vicarium domi relinqueret, tamen in talibus circumstantiis discederet, ut eius absentia (considerata speciatim qualitate causae vel frequentia) admirationem et quoddam scandalum ingereret; ut puta, si merae recreationis gratia diebus solemnioribus abesset. Aliud foret si ratione praedicationis, vel simili, tunc etiam *aliquando* abesset. Cf. Schmalzgrueber (*Vol. III tit. iv 13*).

#### 22. Quid notandum circa licentiam Episcopi?

I. Videndum an adsint statuta synodalia, vel episcopalia, aut consuetudines locales, quae vim legis habere censeantur. Passim enim licentia Episcopi exigitur, si ultra biduum vel triduum absentia protrahatur; et alicubi etiam pro absentia unius diei exigitur licentia, sed non Episcopi, bene vero solum vicarii foranei (Cf. Bouix *l. c. § V prop. 6*). Attento autem solo iure communi, certe pro absentia integrae hebdomadae licentia exigitur; nec sufficeret si domi vicarius idoneus relinqueretur. S. C. C. apud Bouix (*l. c. § 1 n. 5*).

II. Facultas autem deveniendi sine licentia ad praedictas absentias (dictum biduum vel triduum non excedentes) intelligi debet 1º Sub conditione quod non sint frequentes (Bouix *l. c. § V pr. IV*), ita ut summatim

bimestre conciliare in anno non excedant; imo licentia exigeretur etsi parochus quotidie domum rediret, dum tamen habitualiter horis diurnis, a mane usque ad vespervas, abesse vellet. 2º Sub conditione quod non contingant die festo de praecepto. Cf. Lambertini (*Notif. XVII. 12. 17. 24*), Scavini (*I. 615*) et Lehmkühl (*II. 644*).

III. Ad abessendum ultra idem biduum vel triduum sufficere quidem posset causa non stricte gravis; sed licentia Episcopi exigeretur, etsi causa foret gravissima, atque evidentissime excusaret, et quamvis civitas episcopalis longe distaret. S. C. C. apud Bouix (*l. c. § 1 n. 5*).

IV. Si tamen casus urgeret et tempus licentiae petendae non suppeteret, tunc sufficeret licentia praesumpta; ita tamen ut quamprimum Episcopus de discessu eiusque causa certior fieri deberet. S. C. C. apud Bouix (*l. c.*).

V. Licentia tacita (quod scilicet Episcopus videat et taceat) non sufficit; imo non solum expresse, sed in scriptis esse deberet. S. C. C. (*l. c.*). Excipe nisi pro absentia parvi momenti consuetudo ferret ut oretenus daretur. Berengo (*n. 45*).

VI. Episcopus exigere potest ut causa ei exponatur in particulari; nec teneretur credere, quamvis parochus diceret et iuraret in genere, se habere abessendi necessitatem. S. C. C. (*l. c.*).

VII. Si Episcopus renueret, etiam iniuste, parochus obedire deberet. Attamen ad Metropolitanum vel ad S. Sedem tunc recurrere posset. S. C. C. (*l. c.*). Si e contra licentiam concederet, sed quia parochus falsis causis eum decepisset, tunc licentia nihil valeret (Croix *III. t. 738*).

VIII. Quando ad abessendum licentia Episcopi exigitur; oportet etiam ut vicarius ab eodem approbetur. Trid. (*l. c.*).

#### 23. Quid notandum speciatim circa absentiam ultra bimestre conciliare?

I. Pro tali casu non amplius sufficeret causa aequa et rationabilis, sed causae absolute graves vel gravissimae (indicatae a Trid. ut supra) exigerentur.

II. Facile etiam contingere posset quod licentia Episcopi non amplius sufficeret; et certe indultum Apostolicum exigeretur 1. pro absentia perpetua;

2. pro absentia etiam temporanea si circa causae sufficientiam dubium et difficultas interveniret, et maxime si singulis annis ex eadem causa ultra bimestre abessendum esset. Caeterum possunt certe Episcopi licentiam concedere pro casibus accidentalibus, et gravi de causa. S. Lig. III 123. (Cf. Trid. VI. II et Bouix l. c. V. II § 3 pr. 7).

III. Etiam in hoc casu attendi debet ne discessus cum gregis detrimento interveniat; sed, quia tunc valde facilius contingere potest quod ex una parte discessus sit omnino necessarius, et ex alia impossibile sit providere ne ullum gregis detrimentum accidat, ideo Tridentinum (XXIII. 1) remissius loquitur, et dicit providendum esse *quantum fieri poterit*. Considerari itaque deberent circumstantiae, et praecipue an parochus, si non discederet, utilis esse posset; et, quatenus affirmative, an detrimentum tale ac tantum sit, ut clamet discedi non posse, et dici debere: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*.

24. *Quaenam essent itaque dicatae causae absolute graves vel gravissimae?* Essent (attamen solum in sensu heic explicando) 1. Christiana charitas. 2. Urgens necessitas. 3. Debata obedientia. 4. Evidens Ecclesiae et Republicae utilitas. Trid. (l. c.).

25. *Quo sensu intelligi debet CHRISTIANA CHARITAS?* Tria concurrere debent. 1. Gravis proximi calamitas seu necessitas. 2. Deficientia aliorum, qui eidem (saltem aequae proficue) occurrere possint. 3. Conservatio ordinis charitatis; ne scilicet, dum parochus extraneis succurrere satagit, damna praeponderantia eiusdem paroeciae obventura sint. De Angelis (III. IV. 5) et Reiffenst. (III. IV. 42. 91).

26. *Causa Missionum peragendarum essetne sufficiens ad concedendam parochi licentiam abessendi ultra bimestre?* Existente penuria aliorum missionariorum, et secluso notabili damno paroeciae (uno verbo, discretionem servata), maxime pro missionibus dioecesanis, affirmandum esse videtur.

27. *Quid significatur nomine URGENTIS NECESSITATIS?* Necessitas discedendi ad vitanda magna pericula quoad bona sive vitae, sive libertatis, sive fortunae, prout contingere potest ratione infirmitatis, inimicitiae capitalis, magnae litis, persecutionis, periculi (iniusti) carceris etc.

28. *Quid notandum circa infirmitatem?* 1. Sola infirmitas in se presse considerata (sicut etiam aetas senilis) nihil suffragatur. 2. Exigitur ut, defectu medicorum vel medicinarum, in domo parochiali parochus infirmus satis commode curari nequeat. 3. Procurandum ut in loco viciniore (quoad fieri possit) remaneat (Lucidi I. 225. 226). 4. Contingere potest quod parochus ad sic alibi convalescendum uti debeat mensibus conciliaribus, quod scilicet in tempore concesso comprehendendum sit bimestre, de quo loquitur Tridentinum (Bened. XIV Const. Ad universae); ita ut si convalescat, non possit iterum abesse sine causa absolute gravi, ratione gaudendi bimestri conciliari. Idque maxime si agatur de infirmitate leviuscula, v. g. de consilio a medicis recepto se conferendi ad aerem ruralem, vel ad aquas minerales, vel ad balnea etc. Decisio autem discretioni Episcopi relinquitur (Lucidi l. c. n. 230).

29. *Quid notandum circa inimicitias?* 1. Debent esse verae, graves et capitales. 2. Oportet ordinarie ut parochi ipsius culpa tribui nequeant; secus enim de facili paroeciam resignare teneretur. 3. Iudicium de dandis licentiis pro casibus istis ultra menses conciliares S. Sedi reservari videtur (Bouix l. c. § IV pr. VIII not. 1). 4. Licentia dari solet primitus non ultra sex menses. 5. Interim parochus in loco (quantum potest) viciniore commoretur, et omnis lapis moveatur ut inimicitiae sedentur. 6. Fortasse aliae prorogationes obtineri poterunt; sed, si inimicitiae essent verisimiliter duraturae, inducendus erit parochus (quamvis eius culpa imputari nequirent) ad paroeciam

resignandam (cum pensione) vel permutandam. Lucidi (l. c. n. 233) et Reiff. (l. c. n. 92).

30. *Quid notandum circa necessitatem discedendi propter litem?* Utendum esset mensibus conciliaribus; sed, si parochus illis iam usus fuisset, licentia hac etiam de causa ei discrete concedi posset. Cf. Bened. XIV Const. Ad universae.

31. *Quid notandum circa persecutionem?* Persecutio constitueret iustam causam discedendi in duobus casibus: scilicet 1. Si solam parochi ipsius personam respiceret. 2. Si esset quidem communis, sed iam parochus (absque allucinationis periculo) nullo modo ovibus suis opulari posset. Si autem ex una parte persecutio esset communis, et ex alia parochus sive publice sive saltem in abscondito parochianos suos confortare et adjuvare posset; tunc certe ei fugere non liceret; secus enim esset casus dicendi: «Videt lupum venientem et dimittit oves et fugit, quia mercenarius est... Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis». Cf. Lugo (De fid. XIV. II 42) et Reiff. (III. IV 103).

32. *Pestis constituitne rationem urgentis necessitatis (aut saltem rationabilis causae in mensibus conciliaribus); ita ut scilicet parochus tunc possit discedere propter periculum contrahendi contagium?* Negative; nec sufficeret quod vicarios idoneos domi relinqueret, imo nec quod Episcopus discedendi licentiam ei concessisset. Cf. Casus conscientiae (Cas. II); Bened. XIV (De Syn. XIII. XIX 2); Lucidi (l. c. 232) et De Angelis (l. c. 11).

33. *Quid de parochi qui ingruente bello vel obsidione etc. fugeret?* Certe delinqueret; bella enim et obsidiones non efficiunt ut parochus inutilis evadat; sed e contra eius opera magis utilis et necessaria esse potest. Reiff. (l. c. 102-105).

34. *Quid si paroecia in loco palustri et sub coelo insalubri sita esset?* Haec causa non sufficit ut parochi abesse, atque ut Episcopi licentias (saltem ultra menses conciliares) dare possint. Quum enim paroeciae innumerae in his conditionibus versentur, S. C. C. definiit, hanc causam non excusare parochos a residentia. Difficile etiam in re ista conceditur gratia a S. Sede; quae tamen interdum data fuit, sed solum pro mensibus magis periculosos, substituto vicario idoneo, et cum obligatione commorandi in loco viciniore, nec non ad paroeciam se conferendi diebus festis, et quavis occurrente operae personalis parochi ipsius necessitate. Cf. Lucidi (l. c. n. 239-230) et De Angelis (l. c. n. II).

35. *Quid significatur nomine DEBITAE OBEDIENTIAE?* Causa ista quoad parochos vix unquam potest habere locum extra menses conciliares, nisi de obediendo Summo Pontifici ageretur. Episcopus enim (exceptis dictis mensibus) neque pro pastoralis visitatione, neque pro aliis servitiis, parochorum opera uti potest. Reiff. (l. c. n. 94. 95).

36. *Quid significatur nomine EVIDENTIS ECCLESIAE VEL REPUBLICAE UTILITATIS?* Interventum legitimum ad Synodum sive generalem, sive provincialem, sive dioecesanam. 2. Discessus pro paroeciae propriae lite aut alio momentoso negotio. Reiff. (l. c. n. 96).

37. *Potestne parochus (intelligi semper de iure et ex sola licentia Episcopi) abesse ratione perficiendi studia sacra?* Negative. Cf. Bouix (l. c. § 4 pr. 2) et De Angelis (l. c. 2. 11).

38. *Potestne parochus ruralis maiori anni parte abesse, ad docendum vel aliud officium momentosum sustinendum in civitate?* Negative (Bouix l. c.). Si quilibet alius idoneus deesset, forsitan obtineri posset indultum apostolicum; attamen sub quibusdam conditionibus, et speciatim ut diebus festis aut solemnioribus ad paroeciam suam se conferret.

39. *Quinam essent casus, in quibus parochi ultra menses conciliares abesse possent propter utilitatem non Ecclesiae sed Reipublicae?* Casus isti dari quidem possunt quoad Episcopos; sed non (de iure) quoad parochos. Quae de re, et de quaestione adimplendi munus deputati in guberniis constitutionabilibus, vide Lucidi (I. II n. 4).

40. *Causae legitimae abessendi possentne esse sequentes.* 1° *Si parochiani essent paucissimi, qui, commodissime a parochi vicino servitium habere possent, nec de proprii parochi residentia ullo modo curarent?* 2° *Si parochus iam esset senex et haberet coadiutorem?* 3° *Si parochia tenuissimos redditus haberet?* 4° *Si parochus ultra menses conciliares abesse praetenderet, eo quod praecedentibus annis eis usus non fuisset?* 5° *Si causa canonica non equidem subsisteret, sed nihilominus Episcopus dispensasset?* 6° *Denique si non residendi consuetudo adesset et parochi antecessores nunquam resedissent?* Nulla ex his rationibus valeret. Patet ex decisionibus authenticis. Quoad primam, apud Lambertini (*Not. XVII n. 16*) et Acta S. Sedis (*II pag. 295*): quoad secundam, apud Bouix (*l. c. pr. 4*); quoad tertiam apud Acta (*l. c.*); quoad quartam, apud Bened. XIV (*Const. Ad universae*); quoad quintam, apud Bouix (*l. c. § V in fin.*). Attamen licentia Episcopi sufficeret, si parochus de iustitia causae dubius esset. Quoad sextam, apud Trid. (*XXIII. 1*) et Acta (*l. c.*). Vide etiam De Angelis (*III. IV 4*).

### ARTICULUS III.

*De residendo praecise in aede parochiali.*

41. *Si parochia aedem parochialem (vulgo canonica) habeat, teneturne parochus in ea residere?* Affirmative, nisi legitime dispensetur. Bouix (*l. c. § VII pr. 2*). Et haec est res magni momenti; aedes parochialis enim habet quid sacri: est insuper attigua et commodissima Ecclesiae: denique non varia sed stabilis parochorum mansio est.

42. *Potestne dispensari ab Episcopo?* Utique, sed solum ex iusta causa, quae difficile aderit.

43. *Essentne causae iustae* 1° *Si parochus inhabitare vellet potius domum paternam, quae intra parochiae fines sita esset?* 2° *Si alia domus esset magis centralis, seu maiori parti parochianorum magis commoda?* 3° *Si domus parochialis esset aere insalubris?* Negative, seclusa dispensatione. Vide Acta (*II pag. 385. 294*).

44. *Quid si domus parochialis esset fatiscens?* Tunc poterit quidem Episcopus concedere ut parochus alibi resideat; sed praefigere deberet ei congruum terminum pro restauratione, qua executi, ad illam redire teneatur. Acta (*l. c.*).

45. *Si parochus nequeat residere in aede parochiali, sive quia non adsit, sive ex alia cogenti causa; tunc quid iuris?* Debet conducere aliam domum Ecclesiae viciniorem quantum fieri poterit; et, si parochiani essent partim in civitate et partim ruri, domus conducta esse deberet in civitate. Denique si intra fines parochiae domus congrua non inveniretur, posset eligi etiam in alia parochia: sed hoc solum in casu extremo. Acta (*l. c. pag. 291*). Barbosa (*De Par. I. VIII 38*), et Bouix (*l. c. pr. IV*).

### ARTICULUS IV.

*De gradu culpae in non residendo.*

46. *Quandonam non residendo, prouti oportet, culpa esset gravis?* Peccatum mortale oriri potest 1° Ex detrimento gregis. 2° Ex defectu causae rationabilis. 3° Ex diuturnitate absentiae. 4° Ex defectu licentiae. 5° Non residendo in aede parochiali.

47. *Quandonam adesset peccatum mortale ex detrimento gregis?* Hoc pendet a gravitate non solum detrimenti hic et nunc positive orituri, sed etiam periculi et scandali. Hinc graviter peccaret parochus, si, nullo relicto

vicario, moribundum sine Sacramentis et assistentia desereret; aut duobus vel tribus diebus abesset (quamvis nemo aegrotaret) aliique sacerdotes deessent in illo loco (D'Annibale III 525); item si tempore pestis fugeret, quamvis vicarios relinqueret. Vix dabitur causa urgentissima, quae in casibus huiusmodi a mortali excuset; qua seclusa, ipsa licentia Episcopi nihil suffragaretur.

48. *Quid de absentia sine gregis detrimento, et cum licentia Episcopi, sed sine causa aequa, etsi solum in mensibus conciliaribus?* Videtur gravis, ex poena (utique gravi) amissionis fructuum, ut infra (n. 54 III).

49. *Quandonam adesset peccatum mortale ex diuturnitate absentiae?* Si absentia ultra menses conciliares, seclusa causa absolute gravi, protraheretur (Trid. XXIII. 1). Tunc pariter licentia Episcopi nihil prodesset. Si tamen parochus mensibus conciliaribus (vel etiam ultra ipsos) abfuisset quidem, sed omnino legitime; postea autem illegitime absentiam protraheret, non statim peccaret mortaliter. Excessus duorum vel trium dierum; imo (iuxta alios) octo vel decem dierum, maxime si interpolationes adessent, venialem culpam non excederet (Cf. Diana III. III 71).

50. *Quandonam interveniret peccatum mortale ex defectu licentiae?* Si lex dioecesana non solum adesset sed etiam districte et sub gravi (quod non semper contingere videtur) exigeret ut pro absentia etiam valde modica (v. g. bidui vel tridui) licentia peteretur, et parochus illam non peteret; tunc certe mortaliter, peccaret. S. Lig. (IV 123), Lehmkühl (II 644), Berengo (n. 45) etc. Praescindendo ab hoc casu, aliqui dicunt quod peccatum mortale interveniret solum, si parochus ultra menses conciliares sine licentia abesset (Bonacina *De on. et oblig. beneficiar.* V. III 6; Croix III. I 741 aliique). At vero sententia ista hodie communiter relicta, atque ad summum conceditur ut duabus vel tribus hebdomadis parochus absque peccato mortali sine licentia abesse possit (D'Annibale, Lehmkühl II. cc.). Decisio, meo sensu, pendet a circumstantiis. Firma manente

conditione quod nullum gregis detrimentum soboriturum esset, starem cum sententia benigniori 1° Si absentiae (quamvis ultra biduum vel triduum synodale paullulum protraherentur) essent interpolatae. 2° Si ageretur quidem de bimestri non interpolato, sed causa absentiae iam esset evidenter gravissima et cogentissima, nullumque hallucinationis periculum subesse posset; speciatim si insuper notoria foret. 3° Si non adeo commode licentia peti posset. In aliis casibus starem cum sententia rigidiori; imo etiam pro discessu praedictis hebdomadis breviori, peccatum mortale omnino admittendum esset, si licentia expresse et firmiter denegata fuisset, maxime vero si (Episcopo ita renuente) parochus iam evidenter absque ulla causa rationabili, aut diebus quoque solemnissimis, abesse praetenderet.

51. *An residentia praecise in aede parochiali obliget sub gravi?* Affirmative. Patet 1° ex rei entitate. 2° Ex rigore qua ab Ecclesia hoc praecipitur, vide dicta n. 41 et 43.

#### ARTICULUS V.

##### *De poenis contra non residentes.*

52. *Propter defectum residentiae quaenam poenae incurruntur?* Distinguendum est inter poenas de iure communi et de iure particulari.

53. *Quaenam sunt poenae de iure communi?* Imprimis parochus non residens non facit fructus suos, unde in conscientia eos retinere nequit. Trid. (XXIII. 1). Insuper iudicis sententia non solum fructibus sic male perceptis privari, sed etiam aliis poenis mulctari potest. Trid. (l. c. et Sess. VI. 1) ut infra n. 56.

54. *Quid observandum circa praedictam fructuum amissionem in conscientia?*

I. Haec poena (intellige semper inspecto dumtaxat iure communi) non incurritur propter solam habitationem extra domum parochialem. (S. C. apud Lucidi n. 220).

vicario, moribundum sine Sacramentis et assistentia desereret; aut duobus vel tribus diebus abesset (quamvis nemo aegrotaret) aliique sacerdotes deessent in illo loco (D'Annibale III 525); item si tempore pestis fugeret, quamvis vicarios relinqueret. Vix dabitur causa urgentissima, quae in casibus huiusmodi a mortali excuset; qua seclusa, ipsa licentia Episcopi nihil suffragaretur.

48. *Quid de absentia sine gregis detrimento, et cum licentia Episcopi, sed sine causa aequa, etsi solum in mensibus conciliaribus?* Videtur gravis, ex poena (utique gravi) amissionis fructuum, ut infra (n. 54 III).

49. *Quandonam adesset peccatum mortale ex diuturnitate absentiae?* Si absentia ultra menses conciliares, seclusa causa absolute gravi, protraheretur (Trid. XXIII. 1). Tunc pariter licentia Episcopi nihil prodesset. Si tamen parochus mensibus conciliaribus (vel etiam ultra ipsos) abfuisset quidem, sed omnino legitime; postea autem illegitime absentiam protraheret, non statim peccaret mortaliter. Excessus duorum vel trium dierum; imo (iuxta alios) octo vel decem dierum, maxime si interpolationes adessent, venialem culpam non excederet (Cf. Diana III. III 71).

50. *Quandonam interveniret peccatum mortale ex defectu licentiae?* Si lex dioecesana non solum adesset sed etiam districte et sub gravi (quod non semper contingere videtur) exigeret ut pro absentia etiam valde modica (v. g. bidui vel tridui) licentia peteretur, et parochus illam non peteret; tunc certe mortaliter, peccaret. S. Lig. (IV 123), Lehmkühl (II 644), Berengo (n. 45) etc. Praescindendo ab hoc casu, aliqui dicunt quod peccatum mortale interveniret solum, si parochus ultra menses conciliares sine licentia abesset (Bonacina *De on. et oblig. beneficiar.* V. III 6; Croix III. I 741 aliique). At vero sententia ista hodie communiter relicta, atque ad summum conceditur ut duabus vel tribus hebdomadis parochus absque peccato mortali sine licentia abesse possit (D'Annibale, Lehmkühl II. cc.). Decisio, meo sensu, pendet a circumstantiis. Firma manente

conditione quod nullum gregis detrimentum soboriturum esset, starem cum sententia benigniori 1° Si absentiae (quamvis ultra biduum vel triduum synodale paullulum protraherentur) essent interpolatae. 2° Si ageretur quidem de bimestri non interpolato, sed causa absentiae iam esset evidenter gravissima et cogentissima, nullumque hallucinationis periculum subesse posset; speciatim si insuper notoria foret. 3° Si non adeo commode licentia peti posset. In aliis casibus starem cum sententia rigidiori; imo etiam pro discessu praedictis hebdomadis breviori, peccatum mortale omnino admittendum esset, si licentia expresse et firmiter denegata fuisset, maxime vero si (Episcopo ita renuente) parochus iam evidenter absque ulla causa rationabili, aut diebus quoque solemnissimis, abesse praetenderet.

51. *An residentia praecise in aede parochiali obliget sub gravi?* Affirmative. Patet 1° ex rei entitate. 2° Ex rigore qua ab Ecclesia hoc praecipitur, vide dicta n. 41 et 43.

#### ARTICULUS V.

##### *De poenis contra non residentes.*

52. *Propter defectum residentiae quaenam poenae incurruntur?* Distinguendum est inter poenas de iure communi et de iure particulari.

53. *Quaenam sunt poenae de iure communi?* Imprimis parochus non residens non facit fructus suos, unde in conscientia eos retinere nequit. Trid. (XXIII. 1). Insuper iudicis sententia non solum fructibus sic male perceptis privari, sed etiam aliis poenis mulctari potest. Trid. (l. c. et Sess. VI. 1) ut infra n. 56.

54. *Quid observandum circa praedictam fructuum amissionem in conscientia?*

I. Haec poena (intellige semper inspecto dumtaxat iure communi) non incurritur propter solam habitationem extra domum parochialem. (S. C. apud Lucidi n. 220).



II. Item non incurritur propter solum defectum petitionis licentiae in mensibus conciliaribus. Tridentinum enim vult quidem ut tunc quoque licentia petatur; sed non satis apparet quod ad hunc casum poenam extendat. Croix (III. 1 743), Scavini (I 443), D' Annibale (III 526) etc.

III. Incurreretur tamen, etiam pro sola absentia in mensibus conciliaribus, si cum gregis detrimento aut sine aequa causa parochus abesset; tunc enim vere ageret contra illam dispositionem, de qua loquitur Tridentinum (XXIII. 1), dum poenam istam infligit. D' Annibale (l. c.).

IV. Pro absentia ultra menses conciliares poena incurreretur non solum si subsisteret gregis detrimento et causa proportionata deficeret, vel si expositis falsis causis licentia obtenta fuisset (Croix III, 1 378); sed etiam si causa gravissima, iustissima et manifestissima interveniret, et defectus unice in hoc consisteret quod licentia, et approbatio substituti, petita non fuisset. S. C. C. (apud Lucidi l. c. n. 222), S. Lig. (Hom. Ap. de 4 praec. n. 21), D' Annibale (l. c.) etc.; contra Viva (Opusc. III q. 3 a. 3 n. 7), Frassinetti (not. 47) et Scavini (I 441 not. 2), qui dicunt, poenam tunc esse solum ferendae sententiae.

V. Si parochus bona fide licentiam petere omisisset, S. C. C. (apud Lucidi l. c.) dixit, eum nihilominus a poena amissionis fructuum liberum non esse; sed hoc videtur intelligendum pro solo foro externo, in quo bonae fidei (utpote internae) ratio non habetur. Imo (contra S. Lig. IV 127) plures censent quod, supposita bona fide, parochus in conscientia hanc poenam non incurreret, quamvis sine causa sufficienti discessisset. Viva (l. c. n. 10) Frassinetti (l. c.), Scavini (l. c.) Garcia etc.

VI. Fructus, quos parochus illegitime absens suos non facit, computandi sunt pro rata absentiae, et pars ista non ex integro, sed solum pro quanto residentiae correspondet, aestimari debet. Beneficium enim datur non solum propter residentiam, sed etiam propter Horarum recitationem, Missae pro populo celebrationem, manutationes,

stipendium vicarii etc.\* S. Lig. (l. c. n. 127 dub. 4) alii- que communissime.

VII. Fructus isti non quomodolibet, sed praecise pro Ecclesia parochiali, aut pro pauperibus loci, erogari debent. Trid. (l. c.).

VIII. Adeo rigide parochus hac poena mulcatur, ut compositiones (vulgo pro fructibus male perceptis), quae in aliis casibus per organa consueta obtineri possunt, prohibeantur. Trid. (l. c.).

55. Quid de defectu residentiae non materialis sed formalis? Quid scilicet si parochus resideret quidem personaliter; sed operam suam non praestaret? Teneretur tunc quoque ad restitutionem fructuum in conscientia? R. Non loquor de casu, in quo parochus sic residens neque per se neque per alios quidquam omnino faciat; hic enim casus practicus minime est; bene vero facile contingit quod parochus omnia faciat per vicarium, aut plus vel minus muneribus suis deficiat.

Si ipse quidem operam suam non praestet, sed procuret ut munera parochialia sufficienter vice sua ab aliis adimpleantur; tunc aliqui quidem censent quod nihilominus ad fructuum restitutionem teneatur (S. Lig. IV 127 dub. 3); sed alii existimant quod de hoc non constet. Reiff. (III. iv 87); Pichler (III. iv 5); Lambertini (Notif. XVII 6); Vecchiotti (I § 85); D' Annibale (III 526 not. 72) etc. Si autem haec sententia benigna limitetur ad solos menses conciliares (in quibus parochus sit quidem praesens, sed per se nihil faciat), alios quoque fautores habet (Cf. S. Lig. l. c.).

An autem parochus, qui neque per se neque per alios sufficienter muneribus suis satisfaciatur, sed plus vel minus deficiat, teneatur ad fructuum restitutionem pro rata defectus, D' Annibale (l. c.) censet non teneri de iure positivo. Aliqui tamen sentire videntur quod teneatur de iure naturali, eo quod beneficium detur propter officium, atque adeo fructus beneficii dentur beneficiato solum sub condi-

tione (sine qua non) quod muneribus suis congrue satisfaciat (Cf. Viva *Opusc. III. III. III. 1*). Alii e contra (v. g. P. Segneri *Parr. istr. V. 2*) de hoc etiam non constare censent, et Garcia (*De Benef. I. III. 53*) absolute dicit: « Qui male facit suum officium, parochus seu Episcopus, non ideo amittit fructus ipso iure ». Sane in praxi de obligatione restituendi fructus in casibus huiusmodi cogitari non solet; unde dicendum videtur quod *fructus beneficii quoad aliqua (nempe horas canonicas et residentiam personalem) sub vera conditione; quoad alia vero sub sola obligatione dentur*. Adde quod, si prima sententia teneri deberet, heu quot scrupulis et conscientiae angustiis aditus aperiretur!

56. *Quibus poenis mulctari potest per iudicis sententiam parochus personaliter non residens, de iure communi?*

I. Damnari potest ad restituendos illos fructus, quos, (ut supra) pro rata absentiae suos non fecit. Trid. (XXIII. 1).

II. Insuper Episcopus potest 1. illum citare ut redeat intra terminum designatum; 2. non redeuntem punire censuris; 3. post sex menses absentiae continuae subtrahere ei quartam partem fructuum unius anni, quos residendo suos fecerat; elapsis autem aliis sex mensibus absentiae, subtrahere ei aliam quartam partem fructuum eorundem (applicando illos fabricae Ecclesiae aut pauperibus loci, ut supra); et tandem ad paroeciae privationem devenire. Trid. (VI. 1. XXIII. 1), et S. C. C. apud Lucidi (*l. c. 239*).

III. Episcopus potest etiam alia via magis expedita procedere: potest nempe unico vel trino edicto (secundum quod scitur vel non scitur ubi habitat) illum citare ad redeundum, congruo termino assignato: eoque transacto, eundem paroecia privare. Attamen (iuxta Lucidi *n. 235-238* et De Angelis *n. 12* contra Bouix *l. c. n. VII*) prius per sex menses post dictum terminum adhuc expectare debet.

57. *Quibus poenis mulctari potest parochus ob defectum residentiae de iure particulari, aut arbitrio Episcopi?* 1. Episcopus prohibere potest ne parochus discedat a paroecia ultra biduum sine licentia, non equidem sub excommunicatione latae sententiae, sed sub poena pecuniaria, quae tamen dimidiam partem fructuum tali brevi absentiae correspondentium non excedat (Reiff. III. iv 84). 2. Parocho residenti extra domum paroecialem intimare potest ut in illa resideat, utendo iuris remediis, atque etiam fructibus illum privando, si post admonitionem non obediat. (Lucidi *l. c. 220*).

## ARTICULUS VI.

*De remediis pro casu parochi residentis materialiter, sed non formaliter, scilicet muneri suo non satisficientis.*

58. *Quid possit Episcopus quoad parochos, qui resident quidem personaliter; sed paroecia ab ipsis scandalum vel non sufficiens servitium recipit?* Iuxta diversas facti species diversis modis responderi debet. Contingere enim possunt sequentes casus:

I. Casus parochi, qui sit reus alicuius criminis, cui de iure privatio beneficii adnectitur.

II. Casus parochi, qui scientia vel peritia necessaria careat.

III. Casus parochi, qui deliquerit quidem, sed ita ut de iure privationis poena mulctari nequeat.

IV. Casus parochi, quem mala plebs odit quamvis in culpa minime sit.

V. Casus parochi qui sit corpore aut mente infirmus.

VI. Denique casus parochi, qui ob numerosiorem populum solus non sufficiat.

59. *Loquendo de primo casu, quid est privatio beneficii? Est ablatio beneficii ipsius perpetua et absoluta. Distinguitur non solum ab exilio seu remotione oeconomica temporanea (qua iubetur ut parochus ad tempus discedat a paroecia), et a suspensione a beneficio (sic suspensus eius fructibus et administratione ad tempus dumtaxat, aut donec absolutionem obtineat, privatur); sed etiam (N. B.) a remotione oeconomica perpetua, qua parochus privatur quidem prorsus illo beneficio, sed pensio aut aliud beneficium illi datur. Distinguitur etiam a depositione (qua beneficiatus fit insuper inhabilis ad alia beneficia obtinenda), et a degradatione (qua sacerdos omnibus facultatibus, privilegiis et insignibus clericalibus perpetuo privatur, et, decepto character, ad statum laicalem reducitur). Bouix (III. iv. n).*

60. *Potestne Episcopus instigare poenam privationis sine processu, nempe ex informata conscientia? Negative. Bouix (III. iv. n § 1). Aliud est de sola suspensione ab exercitio Ordinis aut curae (Trid. XIV. 1 et Bened. XIV De Syn. XII. viii 5), quae sic infligi potest, dummodo ex una parte delictum sit occultum (Lucidi I. iii 273) atque certum (D' Annibale I 358 not. 14), et ex alia parte suspensio solum ad tempus infligatur (Lucidi l. c. 267). Ut tamen Episcopus ad privationem procedere valeat, sufficere potest quod delictum sit plene probatum per iudicium summarium, scilicet per testes iura-*

x Retento

tos aut alia documenta certa, et ad suam defensionem citato reo. Acta (V 40. 46 et XIII 324).

61. *Facto processu et probato delicto, cui de iure privatio adnectitur, potestne Episcopus impedire ne reus poena ista afficiatur?* Videndum an ius ipsum per se hanc poenam infligat (dicendo, v. g. *ipso iure*, vel *eo ipso*, vel *ipso facto privatus existat*) ita ut sufficiat sententia declaratoria criminis; an vero relinquat Episcopo facultatem eandem poenam infligendi (dicendo, v. g. *privetur*, vel *privari possit*); ita ut exigatur etiam sententia condemnatoria ad poenam.

In primo casu Episcopus, emissa sententia declaratoria criminis, impedire nequit quin reus privationis poena afficiatur. Notari potest quod sententia huiusmodi ad tempus delicti perpetrati retrahitur, et reus amittit fructus interim perceptos, quamvis ante sententiam (cum talis sit regula quando agitur de privando aliquem iure quaesito, nisi lex disertis verbis, prout in casu amissionis fructuum propter defectum residentiae, contrarium disponat) eos restituere non teneretur nec actus, iurisdictionis parochialis interim exerciti invalidi fuerint. Bouix (l. c. II § 4 reg. v), Schmalzgrueber (III. v. n. 43), Vecchiotti (II. n. 30), Salmanticenses (XXVI. vii 125) etc.

In secundo casu autem (nisi lex vigens omnino exigat ut haec poena rigide applicetur) in Episcopi facultate erit missus, contra reum procedendi. Vecchiotti (l. c.). Et effectus retroactivus tunc non aderit.

62. *Quibusnam delictis privationis poenam ius ipsum per se infligit, ita ut proinde sufficiat sententia declaratoria criminis?* Haec sunt 1. Haeresis. 2. Procuratio abortus foetus animati, effectu secuto. 3. Duellum. 4. Alienatio rerum Ecclesiae sine beneplacito Ap., vel earundem rerum iniusta occupatio. 5. Simonia. 6. Occisio vel percussio Episcopi aut Cardinalis. 7. Assassinium, nempe homicidium, dato vel recepto pretio. 8. Sodomia frequentata. Nonnulla alia delicta et declarationes videri possunt apud Bouix (l. c. § II. iii), Vecchiotti (l. c. et IV 57), Bened. XIV (De Syn. IX. vi 7) et Salmant. (l. c.).

63. *Quando Episcopo relinquatur facultas procedendi ad privationem per sententiam condemnatoriam, sufficitne semper id unum quod delictum probatum fuerit?* Pro quibusdam delictis sufficit, unde reus etiam non admonitus et non recidivus plecti potest. Pro aliis vero exigitur, ut monitiones iuridicae praemissae fuerint. Acta (V pag. 76).

64. *Quaenam sunt delicta pro quibus sufficit quod probata fuerint ut reus plecti possit prima vice?* Sunt praecipue 1. Sollicitatio. 2. Homicidium. 3. Fornicatio cum moniali. Bouix (l. c.), Vecchiotti (II 30), et Reiffenst. (III. II 54) nonnulla delicta aut declarationes addunt.

65. *Quaenam sunt delicta, pro quibus exigitur, ut monitiones iuridicae praemissae fuerint?* 1. Omissio residentiae personalis (loquendo tamen de privatione beneficii, non vero de fructibus, ut supra explicavi). 2. Deposito habitus clericalis (Vecchiotti l. c.). 3. Concubinitus, et fornicatio frequentata, aut saltem post monitionem iterata. Trid. (XXI. vi), De Angelis (III. n. 2. 3), Bouix (l. c. § IV. vii). 4. Fornicatio etiam qualificata cum adulterio. S. C. C. apud Pallottini (v. Beneficia § XX n. 15), contra Reiffenst. (l. c.), qui censet, pro fornicatione sive adulterio, sive stupro, sive incestu qualificata, monitionem non exigi. 5. Quodlibet delictum propter quod beneficiatus non solum admonitus, sed etiam censura mulctatus fuerit, et ipse saltem per annum in illa insordescerit. Bouix (l. c. § III). Monitio autem debet esse tria et personalis; non vero sufficit quod in lege contineatur (De Angelis l. c. n. 3).

66. *Quid specialim notandum circa concubinitum, fornicationem frequentatam vel adulterium?*

I. Ad probationem delicti sufficiunt ea indicia, quae validam praesum-

ptionem inducunt, ut puta, si parochus cum foemina merito suspecta cohabitaret. Trid. (XXV. xiv).

II. Sufficeret etiam, si modo cum una modo cum alia delinqueret. Trid. (XXI. vi) et Bouix (l. c. § IV. vii).

III. Circa simplices beneficiatos Trid. (XXV. xiv) statuit, praemittendam esse graduatoriam privationem fructuum, antequam ad beneficii ipsius privationem procedatur. Sed quoad parochos (XXI. vi) graduatoriam istam non statuit, et exigit solum ut prius moneantur, et arbitrio Episcopi castigentur. Acta (XI. 490).

67. *Potestne privationis poena instigi a Vicario Generali?* Negative, nisi de speciali Episcopi mandato. Bouix (l. c.).

68. *Loquendo de secundo casu, nempe parochi, qui scientia vel peritia necessaria careat, quid iuris de casu isto?*

I. Distingui debet inter defectum scientiae speculativae, quae in libris et scholis addiscitur; et defectum scientiae practicae (seu peritiae), quae potius a subiecti ipsius prudentia pendet.

II. Si agatur de defectu scientiae speculativae, Episcopus, etiam extra-iudicialiter, et quamvis ipse prius parochum approbaverit, potest illum ad novum examen revocare. Oportet tamen 1º ut de tali defectu saltem indicia gravia habeantur. 2º Ut agatur de defectu non tolerabili. 3º Ut habeatur ratio loci; si enim de parva parocchia rurali ageretur, scientia minor sufficere potest. Acta (V 13). Si parochus ad examen vocatus inhabilis resultet, tunc Episcopus pro ratione defectus illum suspendere, et coadiutorem, donec de sua idoneitate argumentum praebet, ei dare debet. Trid. (XXI. vi), Lucidi (I. iii 275 et seqq.). Si autem parochus examen subire recusaret, tunc potiori iure suspensione, aut etiam temporaneo exilio (deputato pariter coadiutore), illum coercere posset. Acta (IV 27).

III. Si agatur de defectu scientiae practicae, seu peritiae, quatenus parochus, v. g. ex indole iracunda, abnormi, cerebrosa etc. vel ex habituali defectu reflexionis, extraordinarium in modum populi odium sibi comparaverit, errores intolerabiles passim committat, et, amissa quavis existimatione et confidentia, ab omnibus spernatur etc.; tunc videndum utrum iu correctionibus, vel (si casus ita

ferat) aliquibus poenis, aut remotione temporanea, aut spontanea resignatione et acceptatione pensionis etc., remediū spes collocari valeat; an vero casus sit adeo extremus, ut ad perpetuam et coactivam remotionem oeconomiam devenire oporteat. In primo casu remedia illa tentari debebunt. In secundo autem ad dictam remotionem (facto processu) deveniendum erit; ita tamen ut, constituto coadiutore ab Episcopo designando, paroeciā non privetur, donec ope pensionis vel alterius beneficii ei provideatur. Patet ex Trid. (XXI. vi), ex Innoc. III (c. 10 De Renunt.), et ex stylo S. C. C. Vide Acta (XII 563-568).

69. *Quid de tertio casu, scilicet de parcho, qui delicta commiserit, sed non illa quibus de iure privationis absolutae poena adnectitur; aut, si eadem commiserit, propter defectum probationum aut propter aliquam formam canonicam (v. g. admonitionem) omissam, dictā poenā plecti nequeat: constet tamen ex processu quod ad regendam utiliter paroeciam iam amplius aptus esse nequit?* In his casibus a fortiori valent principia supra indicata, atque ad remotionem oeconomiam perpetuam (scilicet assignata pensione) procedi poterit. Acta (I 513. II 276. V 68. XI 143).

70. *Quid de quarto casu, scilicet de parcho, quem mala plebs odit, quamvis ille in culpa minime sit?* Diu expectandum et omnis lapis movendus ut res componatur; aut ope coadiutoris, sive ad tempus sive etiam (ex indulto Apostolico) in perpetuum, remedium apponatur. Sed in casu extremo, si nulla mitior compositio fieri posset, parochus ad permutationem vel acceptationem pensionis (facto iuridice comprobato) cogendus esset. Removeretur enim sine culpa quidem sed non sine causa, et paroeciae sunt pro populo non vero pro parochis. Patet ex cit. Cap. 10 Inoc. III. Vide Acta (XII 568-569). Tunc autem maxime curandum esset, ne parochus quoad existimationem et alias utilitates detrimentum pateretur.

71. *Quid de quinto casu, scilicet de parcho, qui ob corporis vel mentis habituales infirmitates, muneribus suis amplius satisfacere nequeat?* Episcopus illum cogere potest ut oeconomum acceptet; quo acceptato, ad paroeciam resignandam (ne afflictio afflicto superaddatur) illum cogere nequit. Lucidi (l. c. 274).

72. *Quid de sexto casu, scilicet de parcho, qui ad praestandum servitium paroeciae necessarium solus non sufficiat?* Tunc habet locum Decretum Tridentini (XXI. iv), quo Episcopus 1º Adigere potest parochum ad tot sacerdotes sibi associandos, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. 2º Ad Subsidiariam erigendam vel ad paroeciam dismembrandam etiam invito parcho, devenire posset, quatenus tamen (attentis distantia, incommodo parochianorum aliisque circumstantiis) id vere necessarium esset. Vide Lucidi (l. c. n. 280-290).

## CAPUT II.

### De Missa pro populo.

Enucleandae sunt quaestiones sequentes: 1. Quid sit missa pro populo, et quo iure celebranda sit? 2. Quibus diebus? 3. An sit onus reale, personale, locale, et praecise affixum diei, et an possint adesse aliae circumstantiae observandae? 4. Quid de exceptionibus et excusationibus? 5. Quid de gradu culpae in omissionibus? 6. Quid de dispensationibus et sanatoriis?

### ARTICULUS I.

*Quid sit missa pro populo, et quo iure sit celebranda?*

73. Est quae celebratur et applicatur pro parochianis vivis et defunctis. Illius obligatio oritur 1º Ex iure divino et ex ipso officio pastorali, dicente Apostolo (Hebr. V. 1 et VIII 3) quod omnis Pontifex debet offerre *dona et sacrificia pro peccatis*. Quod onus absolute residet in Episcopis, et devolutive (nempe ex Ecclesiae commissione)

ferat) aliquibus poenis, aut remotione temporanea, aut spontanea resignatione et acceptatione pensionis etc., remediū spes collocari valeat; an vero casus sit adeo extremus, ut ad perpetuam et coactivam remotionem oeconomiam devenire oporteat. In primo casu remedia illa tentari debebunt. In secundo autem ad dictam remotionem (facto processu) deveniendum erit; ita tamen ut, constituto coadiutore ab Episcopo designando, paroeciā non privetur, donec ope pensionis vel alterius beneficii ei provideatur. Patet ex Trid. (XXI. vi), ex Innoc. III (c. 10 De Renunt.), et ex stylo S. C. C. Vide Acta (XII 563-568).

69. *Quid de tertio casu, scilicet de parcho, qui delicta commiserit, sed non illa quibus de iure privationis absolutae poena adnectitur; aut, si eadem commiserit, propter defectum probationum aut propter aliquam formam canonicam (v. g. admonitionem) omissam, dictā poenā plecti nequeat: constet tamen ex processu quod ad regendam utiliter paroeciam iam amplius aptus esse nequit?* In his casibus a fortiori valent principia supra indicata, atque ad remotionem oeconomiam perpetuam (scilicet assignata pensione) procedi poterit. Acta (I 513. II 276. V 68. XI 143).

70. *Quid de quarto casu, scilicet de parcho, quem mala plebs odit, quamvis ille in culpa minime sit?* Diu expectandum et omnis lapis movendus ut res componatur; aut ope coadiutoris, sive ad tempus sive etiam (ex indulto Apostolico) in perpetuum, remedium apponatur. Sed in casu extremo, si nulla mitior compositio fieri posset, parochus ad permutationem vel acceptationem pensionis (facto iuridice comprobato) cogendus esset. Removeretur enim sine culpa quidem sed non sine causa, et paroeciae sunt pro populo non vero pro parochis. Patet ex cit. Cap. 10 Inoc. III. Vide Acta (XII 568-569). Tunc autem maxime curandum esset, ne parochus quoad existimationem et alias utilitates detrimentum pateretur.

71. *Quid de quinto casu, scilicet de parcho, qui ob corporis vel mentis habituales infirmitates, muneribus suis amplius satisfacere nequeat?* Episcopus illum cogere potest ut oeconomum acceptet; quo acceptato, ad paroeciam resignandam (ne afflictio afflicto superaddatur) illum cogere nequit. Lucidi (l. c. 274).

72. *Quid de sexto casu, scilicet de parcho, qui ad praestandum servitium paroeciae necessarium solus non sufficiat?* Tunc habet locum Decretum Tridentini (XXI. iv), quo Episcopus 1º Adigere potest parochum ad tot sacerdotes sibi associandos, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. 2º Ad Subsidiariam erigendam vel ad paroeciam dismembrandam etiam invito parcho, devenire posset, quatenus tamen (attentis distantia, incommodo parochianorum aliisque circumstantiis) id vere necessarium esset. Vide Lucidi (l. c. n. 280-290).

## CAPUT II.

### De Missa pro populo.

Enucleandae sunt quaestiones sequentes: 1. Quid sit missa pro populo, et quo iure celebranda sit? 2. Quibus diebus? 3. An sit onus reale, personale, locale, et praecise affixum diei, et an possint adesse aliae circumstantiae observandae? 4. Quid de exceptionibus et excusationibus? 5. Quid de gradu culpae in omissionibus? 6. Quid de dispensationibus et sanatoriis?

### ARTICULUS I.

*Quid sit missa pro populo, et quo iure sit celebranda?*

73. Est quae celebratur et applicatur pro parochianis vivis et defunctis. Illius obligatio oritur 1º Ex iure divino et ex ipso officio pastorali, dicente Apostolo (Hebr. V. 1 et VIII 3) quod omnis Pontifex debet offerre *dona et sacrificia pro peccatis*. Quod onus absolute residet in Episcopis, et devolutive (nempe ex Ecclesiae commissione)

in parochis (Acta I 390). 2<sup>o</sup> Ex iure ecclesiastico et praecipue ex Tridentino, Constitutionibus Pontificiis, et decretis Sacrarum Congregationum, ut infra videbimus. 3<sup>o</sup> In quibusdam paroeciis oriri potest etiam ex obligatione particulari alicuius legati pii.

## ARTICULUS II.

### *Quibus diebus Missa pro populo celebrari et applicari debeat?*

74. De iure communi, omnibus et singulis diebus dominicis aliisque festis de praeepto; imo et diebus qui iuxta catalogum Urbani VIII erant pariter festivi de praeepto, quamvis hodie tales non amplius sint.

75. *Explicationes.* Olim res ista erat valde indeterminata. Alii dicebant singulis diebus festis de praeepto; alii rarius; alii frequentius; alii in proportionem reddituum paroeciae, Missas esse pro populo applicandas. Vide Scavini (Vol. I n. 649) et Baller-Palm. (Vol. II Sect. IV n. 64). Confusio autem augebatur etiam quia multo plura quam nodie erant festa (maxime particularia) et non raro ambigebatur quatenus essent vel non essent de praeepto.

76. Urbanus VIII (an. 1642) Const. *Universa* (propter motiva nedom temporalia sed etiam spiritualia) festa de praeepto imminuit et decrevit ut talia essent solum sequentia, nempe: Omnes dies dominici; Nativ. Circumcis. Epiphani. Ascens. et Corporis D. N. I. C.; Purif. Annuntiat. Assumptionis et Nativ. B. M. V.; Apostolorum; Fer. 1 et 2 post Pasch. et Pent.; SS. mae Crucis; S. Mich. Arcang.; S. Io. Bapt.; S. Steph.; SS. Innoc.; S. Laurentii; S. Sylvestri P.; S. Ioseph; S. Annae; et Omnium Sanctorum. Reliquit autem facultatem celebrandi festum duorum patronorum; nempe Patroni totius Regni vel Status, et Patroni sive dioecesis, sive civitatis vel oppidi (non vero Titularis paroeciae), qua de re vide Scavini (IV 69-70) et Bouix (*De Parocho* V. vi pr. iv 3). Admonuit denique Episcopos ut nullum aliud Festum de praeepto instituerent (Cf. Coll. noviss. decretor. S. R. C. n. 812). Postea Clemens XI addidit Festum Imm. Concept. B. M. V.; et alicubi auctoritate Apostolica aliquod festum particulare, pariter de praeepto, permissum fuit.

77. Innocentius XII (confirmans decisionem S. C. C. in *Pistoriensi* et *Pratensi*) Const. *Quod nuper a Congregatione* (sub die 24 Apr. 1669) decrevit, Missam pro populo esse applicandam diebus dominicis et festivis; nec reddituum tenuitatem excusare. Cf. Ferraris (v. *Missae Sacrificium* A. III.).

78. Dein plura festa fuerunt suppressa, sed ita ut fideles possent quidem abstinere ab operibus servilibus sed Missam audire tenerentur; unde *festa dimidiata* dicta fuerunt.

79. Dubium remanebat an pro populo celebrandum esse in his festis dimidiatis, vel an (speciatim in casu paroeciae pingues redditus habentis) etiam ad alios dies nullatenus festivos obligatio ista extendi deberet. Utrumque dubium eliminavit Benedictus XIV Const. *Cum semper oblatas* (an. 1744), et decrevit hanc obligationem ex una parte subsistere etiam in festis dimidiatis, et ex alia ad alios dies minime extendi.

80. Accidit denique quod in iisdem festis dimidiatis passim ex indulto Apostolico sublata fuerit etiam obligatio audiendi Missam; sed ita ut nihilominus parochi illam pro populo sicut antea applicare tenerentur. De obligatione ista patet non solum ex iisdem indultis apostolicis et responsis Sacrarum Congregationum, sed etiam ex Pio IX (Const. *Amantissimi* 3 Maii 1858). Vide De Angelis (l. c.).

81. Haec omnia intellige quoad Ecclesiam Occidentalem; in Orientali enim Missa pro populo rarius applicari debet. Acta (Vol. I pag. 408).

82. *An Missa pro populo applicari debeat in festis, quae sint de praeepto non ex Const. Urbani, sed sive 1. ex consuetudine; sive 2. ex decreto Episcopi; sive 3. ex voto populi; sive 4. ex alia aliqua causa?*

Resp. ad I. Negative, quia ex sola consuetudine (quamvis esset posterior Constitutioni Urbani) festum non potest esse de praeepto. S. R. C. 11 Mart. 1719 (n. 2261).

Ad II. Negative, quia Episcopus nova festa de praeepto instituere nequit. S. R. C. 23 Ian. 1703 (n. 2113).

Ad III. Festa ex voto populi non sunt de praeepto Ecclesiae; sed solum de praeepto naturali, orto scilicet ex voto ipso quod rite coram Episcopo emissum fuerit; et proinde huiusmodi festa votentes tantummodo (seu, ut aiunt, illam generationem) obligant. S. R. C. 18 Apr. 1643 (n. 834); nec Episcopus potest illa confirmare, ut scilicet diutius perdurent. S. R. C. 23 Ian. 1703 (n. 2113). Durante tali obligatione, utique adest et durat obligatio applicandi illam pro populo. Patet ex praxi et ex principio communiter admissio quod quibus diebus tenetur populus Missam audire, tenentur quoque parochi Missam pro populo ipso applicare (De Angelis L. III Tit. xxix n. 5). Postea autem tam in populo quam in parochis quaelibet obligatio cessat; neque profecto regula quae valet pro festis (post bullam Urbani) dimidiatis vel suppressis, ad hunc casum applicari potest, et aliunde Episcopi (absque decreto Apostolico) onera beneficiorum imponere nequeunt.

Ad IV. Missa pro populo applicari deberet in duobus casibus. Primus est si festum particulare esset de praeepto ex decreto Apostolico, quod caeteroquin difficile contingere potest (S. R. C. 15 Sept. 1640 n. 721); sed, illo supposito, Missa erit certe applicanda, ut patet etiam ex Innoc. XII (ut supra n. 77). Secundus casus est si aliis diebus Missa applicanda esset pro populo ex aliquo onere seu legato pio. Et notandum quod si legatum ipsum ad dies festos extenderetur, non ideo tunc duae Missae applicari deberent, sed una (etsi fortiori iure) sufficeret. S. C. C. 29 Maii 1886.

83. *Quid de Missa pro populo in casibus concurrentiae, si nempe festum in quo celebrandum sit pro populo, in diem alterius similis festi, vel dominicae incidat?* Tunc (ut iam cmnes norunt) sufficit ut unica pro populo Missa celebretur; neque novum est quod unico actu duplici praeepto satisfieri possit.

84. *Quid de Missa pro populo in festis translatis?* Excepto solo casu in quo nedom officium sed etiam festivitas transferretur (ut quando festum Annuntiationis B. M. V. cadit in feria VI maioris hebdomadae vel quando festivitas simul cum officio ad diem dominicam translata fuerit. Cf. Encycl. *Amantissimi* Pii IX); excepto (inquam) hoc solo casu, Missa pro populo non in die translationis sed in die propria applicari debet. Hinc in die propria applicanda est 1. Quando transfertur sola festivitas, sicut accidit v. g. in Gallia, ubi multa festa de praeepto ad Dominicam sequentem transferuntur, officium autem suo die remanet (Cf. Acta Vol. VIII pag. 56 et S. R. C. n. 3890 dub. 1. q. 2). 2. Quando transfertur solum officium; festivitas autem suo die celebratur (sicut quando festum Annuntiationis B. M. V. cadit in fer. V maioris hebdomadae). Cf. Acta l. c. pag. 604 et Decr. S. R. C. n. 3189 et 3503.

## ARTICULUS III.

*An Missa pro populo sit onus reale, personale, locale, et praecise affixum diei, et an possint adesse etiam aliae circumstantiae observandae?*

85. Affirmative. Principalissime est onus reale; minus autem principaliter aut secundario, est etiam onus personale, locale et affixum diei; et aliae quoque circumstantiae observandae intervenire solent vel possunt. Sed haec explicatione indigent.

86. *Explica imprimis quomodo sit ONUS REALE.* Hoc significat quod adnectitur cuilibet paroeciae; unde parochus quoque infirmo (ut patet ex decreto S. C. C. 14 Dec. 1872 apud Acta VII 191), vel paroecia vacante, celebrari debet; et, si ageretur de duabus paroeciis unitis vel utcumque eidem parochus commissis, duae Missae exigenterentur. S. R. C. 7 Sept. 1850 (n. 2981).

87. Quod hic dicitur de duabus paroeciis unitis intellige 1. si vere agatur de duabus paroeciis; non enim sufficeret si duae adessent Ecclesiae cum respectivo territorio et populo, sed reapse paroecia esset unica, quia una ex illis ecclesiis reapse foret succursalis (quod contingere posset quamvis illa tractu temporis maior et dignior primaria evasisset, imo et nomen succursalis prorsus amisisset); idque praesumi deberet si una tantummodo Missa pro populo semper applicata fuisset. Intellige 2. si duae paroeciae sint unitae aequae principaliter vel subiective; si enim ex tenore decreti unio fuisset plenaria et extinctiva, cum unica ecclesia *parochiali*, unica praebenda, atque etiam (prout fieri solet) unico Titulari; tunc ex illis duabus paroeciis incorporatis paroecia unica efformata fuisset.

88. Stante autem unica paroecia, utique sufficit ut una pro populo Missa applicetur; idque verum esset quamvis parochus binandi privilegio (vetita tamen perceptione elemosynae pro secunda Missa) gauderet. Utamque tamen, uti patet, applicare deberet si paroeciarum unio non plenaria fuisset. Cf. Lucidi (Vol. III Doc. xxxix n. 9).

89. Onus istud adnectitur, ut dixi, paroecis; non vero aliis officiis curam animarum respicientibus; unde v. g. huiusmodi Missam celebrare non tenentur confessarii monialium, capellani hospitalium vel carcerum, et missionarii (nisi forte paroecias canonice erectas regerent).

Attamen onus Missae pro populo adnectitur etiam Episcopatibus, sed cum duplici differentia, quatenus 1. Sede vacante, ad illam non tenentur Vicarii Capitulares (S. R. C. n. 2683 ad 23). 2. Si duae Dioeceses essent unitae aequae principaliter unica Missa pro populo sufficeret (Const. Leonis XIII 13 Jun. 1883). Si tamen Episcopus esset etiam parochus providere deberet, ut praeter Missam pro Dioecesi, Missa quoque pro paroecia celebraretur (Acta I 405-408).

90. *Hoc onus estne revera etiam PERSONALE?* De hoc quoad parochos non est dubitandum; plures enim adsunt decisiones S. C. C. apud Lucidi (vol. I c. III n. 369), et fundamentum habetur in Trid. (Sess. XXIII c. 1) dicente: « Cum praeepto divino mandatum sit omnibus, quibus « animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro « his Sacrificium offerre etc. ». Hoc autem, paritate rationis, valere censetur non solum quoad parochos proprie dictos, sed etiam quoad alios omnes qui sive soli sive modo primario paroeciam regunt, cuiusmodi sunt v. g. curati qui a parochus non actuali, sed habituali tantummodo, nominantur; item oeconomi spirituales (sive paroecia vacante sive parochus suspenso vel habitualiter inhabili et celebrare non valente); idque verum est quamvis parochi, vel curati, vel oeconomi amovibiles essent. Quenam autem causae excusent, ut isti celebrationem aliis committere possint, videbimus infra n. 96.

91. *Quid significat quod onus Missae pro populo est etiam LOCALE et AFFIXUM DIEI?* Significat, Missam pro populo celebrandam esse praecise in Ecclesia parochiali, (vide Acta Vol. VII p. 188), itemque praecise in suis propriis diebus. Aliquae tamen adesse possunt exceptiones, ut statim videbimus.

92. *Explica quomodo soleant vel possint adesse ALIAE CIRCUMSTANTIAE omnino attendendae?* Imprimis servanda est hora conveniens et fixa ad commodum populi. In eadem Missa explicari debet Evangelium. Insuper alicubi sive ex consuetudine, sive ex legato pio etc. solemniter et cum cantu, aut tali vel tali hora celebrari debet. Denique parochus ruri procurare potest, et (ope Episcopi) facile debet, ne Missae celebrentur ante parochialem diebus festis in oratorio publico paroeciae ipsi nimis vicino, quia secus fidelibus damnum spirituale (non audiendo explicationem Evangelii) obventurum esset. Cf. Pallottini (v. Missa § VIII n. 24) et Bened. XIV (Instit. XLIV).

## ARTICULUS IV.

*Quid de exceptionibus vel excusationibus?*

93. *Quaeritur scilicet an sive quoad servandas circumstantias secundarias, sive etiam quoad ipsam celebrationem et applicationem, adesse possint exceptiones vel excusationes?* R. A celebratione et applicatione, seclusis indultis apostolicis (de quibus infra), negative prorsus. Enimvero nec reddituum tenuitas (quamvis paroecia a congrua suppeditanda longissime abesset); nec parochi paupertas; nec impossibilitas (ob penuriam sacerdotum) satisfaciendi aliis nimis copiosis Missarum oneribus<sup>(1)</sup>; nec consuetudo (etiam immemorabilis), nec (uno verbo) ulla alia causa ab applicandis Missis pro populo excusare potest. Idque verum est, quamvis de solis festis suppressis ageretur. Haec omnia patent ex Bulla *Nuper* Innocentii XII (apud Ferraris), ex Const. *Cum semper* Benedicti XIV et *Amantissimi Redemptoris* Pii IX (apud Lucidi v. III doc. 23 et 36) et ex Decr. S. C. C. 18 Febr. 1863 (apud Acta II 205).

94. Loquendo autem de circumstantiis secundariis, exceptiones vel excusationes plus vel minus intervenire possunt.

95. Enimvero, quoad circumstantiam ut Missa pro populo celebretur et applicetur a parochi personaliter, exceptiones sunt sequentes. 1° Si ille nullatenus posset celebrare, v. g. quia infirmus, vel suspensus, vel irregularis. 2° Si ex officio aliam Missam celebrare teneretur, nec binandi facultatem haberet. Casus contingere posset v. g. in parochi qui regeret duas paroecias unitas, vel esset oeconomicus alterius paroeciae; item in Episcopo qui esset

(1) Tunc Missae superabundantes debent non acceptari vel aliis (sive intra sive extra dioecesim), quamvis essent non adventitiae sed fundatae, tradi.

etiam parochus; item in parochi canonico, qui certe, quando cantus Missae conventualis per turnum ad illum spectat, Missam pro populo alteri committere nedum poterit sed debet (Cf. Bened. XIV Const. *Cum semper*).

96. Caeterum (contra Cavalerium Tom. III C. 8 laxissime loquentem) vix ulla alia exceptio vel excusatio adesse poterit. S. C. C. (25 Sept. 2847 apud Lucidi I. III 371) definivit excipi tantummodo casum *verae necessitatis*, et concurrente causa canonica. Certe non valerent exceptiones sequentes: 1° Occasio funeris, dum scilicet parochus, ad Missam exequialem canendam, alteri sacerdoti Missam pro populo applicandam committere vellet (Eadem S. C. apud Lucidi l. c. n. 370); et idem dic de causa celebrandi pro sponsis (Cf. Ferraris v. *Missae Sacrificium* A. III n. 7). 2° Si parochus celebraret non Missam paroecialem sed privatim; tunc enim ipse, non vero qui celebrat paroecialem, pro populo applicare deberet. Ita S. R. C. 20 Dec. 1864 (n. 3128). Consonant alia decreta v. g. S. C. C. (apud Acta XIV pag. 335 et Coll. P. F. n. 2152). 3° Si adesset consuetudo in contrarium (quae tamquam corruptela haberi et nullatenus attendi deberet). Casus esset si alicubi mos invaluisset ut capellani pro populo, et parochi pro benefactoribus applicarent. Ita S. C. C. (apud Lucidi I. III n. 373). Consuetudo tamen applicandi pro populo valeret in coadiutoribus qui *ex fundatione* simul cum parochi curam exercerent, atque etiam in parochis habitualibus, qui per turnum cum curato illam celebrarent. (Cf. Lucidi l. c. n. 375).

97. Quid de casu valde practico parochi absentis? Pro populo debetne tunc applicare ipse parochus absens, an vero sacerdos qui in paroecia ad populi commodum celebrat?

Quidquid scripserim in praecedenti editione; nunc, melius re perpensa, sic respondeo.

Parochus legitime absens potest celebrare Missam pro populo ubi degit, et certissimum est quod ita satisfacit suae obligationi, dummodo ad necessariam populi commo-



ditatem alius sacerdos in Ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet. Ita decretum S. C. C. 14 Dec. 1872 (Acta VII. 191). An autem (potiusquam ita se gerat) integrum ei sit committere dicto sacerdoti ut pro populo applicet, videtur negandum quia (ut dictum est supra n. 96) eadem S. C. definivit hoc fieri posse solum interveniente vera necessitate aut causa canonica, sed in casu neutrum interveniret; dum enim ipse physice et licite posset celebrare et applicare pro populo, quomodo versaretur in vera necessitate talem applicationem alteri committendi? Convenientiã autem quod Missa, quae ad populi commodum et cum explicatione Evangelii celebratur, sit illa ipsa quae pro populo applicetur, in casu non praeponderaret. Ex sententia enim S. R. C. (ut patet ex supra dictis n. 96) convenit ut Missa *pro populo* a parochio, etiam privatim iusta de causa celebrante, applicetur.

98. Quoad circumstantiam ut Missa pro populo celebretur *in Ecclesia parochiali*, exceptiones possunt esse sequentes. 1º Si aliqua vice oporteret vel expediret ut parochus alibi celebraret v. g. in Ecclesia vicina occasione festi sollemnis sive ad maius populi commodum (ut si Ecclesia illa intra fines paroeciae suae esset), sive etiam ob penuriam sacerdotum atque ut vicissim tantundem in festis suis reciperet, et maxime si talis iam esset consuetudo (cavendo tamen ne agatur de abusu, aut ne parochiani sine Missa, sine explicatione Evangelii, sine catechismo et sine commoditate accedendi ad Sacramenta remanere cogentur). 2º Si parochus legitime abesset (ut supra), simulque efficeret ut alter sacerdos in Ecclesia parochiali iuxta aliam intentionem celebraret, Evangelium explicaret etc. 3º Si ageretur de festo suppresso et populus ad paroeciam pro Missa non concurreret. 4º Si ageretur de Missis ad supplendum omissionibus in diebus ferialibus pro populo applicatis.

99. Quoad circumstantiam ut Missae pro populo praecise *in diebus propriis* celebrentur et applicentur, exce-

ptio est pro casu parochi valde pauperis, cui Episcopus concedere potest, ut si, pro Missa die festo (quin differri valeat) applicanda, eleemosyna, qua valde indigeat, ei offeratur, illam libere acceptet, et Missam pro populo alia die (attamen intra hebdomadam) celebret. Ita Benedictus XIV Const. *Cum semper*. Aliae exceptiones non dantur; oportet enim ut hoc in puncto rigor adhibeatur, et de celebratione suis diebus subsecuta atque episcopali revisioni subiicienda semper constet; secus enim nedum confusio oriretur, sed etiam negligentis, procrastinationibus atque omissionibus ianua aperiretur.

100. *Quid si parochus aliquo die festo Missam celebrare non posset, vel utcumque nec per se nec per aliam illam pro populo applicasset?* In primo casu efficere deberet ut alius sacerdos illam celebraret in Ecclesia parochiali atque pro populo applicaret. In secundo casu, ad illam quamprimum celebrandam et applicandam teneretur. Ita decretum S. C. C. 14 Dec. 1872 pluries cit. (Cf. n. 97); nec quidquam valeret quod bona fide celebratio omissa fuisset. Acta (VIII pag. 706).

101. *Quid si Missa fuisset quidem applicata pro populo, sed non a parochio personaliter (prouti debuisset) vel non in Ecclesia parochiali, vel non die propria?* R. Non ideo alia Missa esset celebranda; non obstante enim dictarum circumstantiarum omissione, Missa pro populo iam celebrata, eiusque fructus pro parochianis vivis et defunctis iam applicatus fuisset. (Cf. Acta Vol. VII 192 not. 3).

#### ARTICULUS V.

*Quid de gradu culpae si Missae pro populo omittentur; aut, extra casus (ut supra) exceptionales, non servando circumstantias secundarias, celebrarentur?*

102. Omissio celebrationis et applicationis est certe mortalis, quamvis de unica Missa ageretur.

Quoad alias vero circumstantias, omnes conveniunt peccatum esse mortale si negligenter frequenter; sed, si raro, Lehmkuhl et Genicot docent esse veniale. Ego censeo exigi sub gravi *toties quoties* 1º Ut Missa celebretur in paroecia diebus festis de praecepto si commodum populi id exigat. 2º Ut celebretur personaliter; si enim loquendo de raris vicibus, illam celebrare per alium vetaretur sub levi tantummodo, tunc id, subsistente causa funeris vel matrimonii, licitum evaderet; quod esset contra supradicta n. 96. 3º Ut celebretur praecise suo die, secus enim in iisdem casibus raris dilatio (pariter contra supra dicta n. 99) permitti deberet; atque insuper sequerentur consequentiae mox supra indicatae, unde hic quoque (quamvis de festis suppressis ageretur) non parum sed valde oportet ut rigor adhibeatur. Sic itaque, etiam relate ad circumstantias, omissiones, etsi forent raras vel rarissimae a gravi culpa excusari nequeunt, excepto casu, quo parochus aliqua rara vice celebraret pro populo extra Ecclesiam paroecialem, dum tamen in Ecclesia ipsa Missa non deficeret.

#### ARTICULUS VI.

*Quid de dispensationibus et sanatoriis quoad Missas pro populo?*

103. *Quid imprimis de dispensationibus?* Pius IX Const. *Amantissimi* dixit: «peculiares casus contingere posse in quibus pro re ac tempore aliqua huius obligationis remissio parochis sit tribuenda»; idque contingit aliquando propter magnam parochi paupertatem: et facilius in festis suppressis, maxime vero si de parochi duas paroecias regente ageretur, atque identidem contingeret quod ad Missam celebrandam in secunda paroecia (binando) se conferre non posset, et paroeciarum redditus essent valde tenues etc. Hoc patet ex pluribus decisionibus S. C. C. (vide

Acta Vol. VIII pag. 33 et 701). Sed frequentius (ut notissimum est) dispensationes conceduntur ad finem et sub conditione quod in festis suppressis Missae applicentur pro aliis intentionibus, et eleemosynae perceptae tradantur Episcopo sive pro seminario sive pro aliquo alio opere pio. Et idem dic de applicatione secundae Missae si parochus binaret. Dispensationes huiusmodi concedendi facultatem habet S. C. C.; et (si casus spectaret ad Missiones) S. C. P. F.; et interdum haec facultas delegatur Episcopis ad tempus. Notandum quod si eleemosyna percepta maior esset synodali, certe non liceret parochis dare Episcopo dumtaxat quantum correspondet eidem eleemosynae synodali, et reliquum sibi retinere; sensus enim indulti est quod parochi possint et debeant applicare Missam ad intentionem dantis eleemosynam; sed cum obligatione tradendi Episcopo eleemosynam ipsam, non vero solum eiusdem partem. Contra talem S. Sedis voluntatem, nec praetextus consuetudinis, nec conniventia (si qua esset) Episcopi, nec opinio cuiusvis professoris, quidquam valere (meo sensu) possent.

#### 104. *Quid de sanatoriis?*

I. Quoad Missas quae celebrari debuissent, nec celebratae fuissent, oportet ut vel suppleatur, vel sanatoria obtineatur: idque verum est quamvis omissiones bona fide intervenissent. Acta (VIII 706).

II. Pro foro interno ad S. Poenitentiarium recurrendum esset.

III. Exigitur causa rationabilis, quae ordinarie est paupertas, vel magna Missarum accumulatio, accedente speciatim bona fide.

IV. Validitati dispensationum obstare possunt *obreptio* (scilicet expositio causae falsae), vel *subreptio*, nempe reticentia circumstantiarum quae exprimi debuissent, ut puta, si recidivitas vel omissio cum malitia obtinendi sanatoriam, intervenissent, nec expressae fuissent, quamvis ex ignorantia raticitae fuissent. Cf. *Examen* n. 1952, 1954, 1958.

## CAPUT III.

## De obligatione orandi pro populo.

105. *An parochus teneatur orare non solum in genere (prout facit, v. g. recitando horas canonicas), sed etiam in particulari, nempe praecise pro populo sibi commisso?* Affirmative. Patet ex Suarez (*De Rel. Tom. II. 1 in fin.*) cum communi. Vide etiam Const. *In suprema* SS.mi D. N. Leonis XIII (*an. 1882*).

106. *Si parochus omnibus et singulis diebus ab Ecclesia designatis Missam pro populo celebret et applicet personaliter, obligationi orandi pro populo satisfacitne sufficienter?* Ordinarie videtur affirmandum; ex una parte enim praeceptum orandi pro populo quoad frequentiam non est determinatum, et ex alia Sacrificium Missae est praestantissimum precatationis genus, ut legitur in Const. cit.; imo in Missa (nempe in *memento* vivorum et mortuorum) parochus pro parochianis suis vivis atque defunctis explicite orabit. Dixi *ordinarie*; si enim populus extraordinariis tentationibus et periculis exponeretur, aut si aliqua specialis occurreret orandi necessitas, tunc parochus ad aliquid amplius teneretur. Cf. Suarez (*l. c. 17*).

107. *Quid si parochus (v. g. propter infirmitatem) raro aut nunquam Missam pro populo celebret?* Tunc (relate ad obligationem orandi) non sufficit quod alter sacerdos pro populo applicet; obligatio enim orandi est personalis, et saltem singulis diebus festis urgere videtur. Cf. S. Lig. (*VI 327*), Acta (*I 402*), et Const. cit. Hinc in Ecclesia orientali, quando parochi non celebrant pro populo, debent pro illo orare. Acta (*I 409 in nota*).

## CAPUT IV.

## De sermone ad populum, aliisque praedicationibus.

Tractandae sunt quaestiones sequentes: 1. An, quo iure, et a quibus sermo ad populum fieri debeat? 2. Quid de hoc sermone quoad substantiam? 3. Quoad modum? 4. Quibus diebus et an intra Missam? 5. Utrum in parochis hoc sit onus personale? 6. An et quatenus adesse possint excusationes? 7. Quid de poenis? 8. Quid de gradu culpae in omissione praedicationis? 9. Quid de aliis praedicationibus in parocia?

## ARTICULUS I.

*An, quo iure, et a quibus sermo ad populum fieri debeat?*

108. Ad hoc parochi, oeconomi spirituales et quotquot parocias regunt, tenentur certe iure ecclesiastico, quod fundatur in iure divino, et haec obligatio ab officio pastoris naturaliter profluit.

109. Tridentinum dicit (*Sess. V. C. II*): « Quicumque parochiales ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant ».

110. Et (*Sess. XXIV C. IV*): « Praedicationis munus exerceatur per parochos, sive, iis impeditis per alios... ab Episcopo deputandos », et (*l. c. C. VII*): « Inter Missarum solemnias (parochi) sacra eloquia et salutis monita etiam vernacula lingua (si opus sit) singulis diebus festis explanent, eademque in omnibus cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere, atque in lege Domini erudire studeant ».

111. Denique (*Sess. XXII c. viii*): « Mandat S. Synodus ut frequenter inter Missarum celebrationem ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant ».

## ARTICULUS II.

*De sermone ad populum quoad substantiam.*

112. *Sermo ad populum in quo consistit?* In duobus. 1<sup>o</sup> In explicatione catechismi. 2<sup>o</sup> In explicatione Evangelii, vel Epistolae. Patet ex Trid. (*ll. cc.*) Cf. Scavini (*I 640*).

## CAPUT III.

## De obligatione orandi pro populo.

105. *An parochus teneatur orare non solum in genere (prout facit, v. g. recitando horas canonicas), sed etiam in particulari, nempe praecise pro populo sibi commisso?* Affirmative. Patet ex Suarez (*De Rel. Tom. II. 1 in fin.*) cum communi. Vide etiam Const. *In suprema* SS.mi D. N. Leonis XIII (*an. 1882*).

106. *Si parochus omnibus et singulis diebus ab Ecclesia designatis Missam pro populo celebret et applicet personaliter, obligationi orandi pro populo satisfacitne sufficienter?* Ordinarie videtur affirmandum; ex una parte enim praeceptum orandi pro populo quoad frequentiam non est determinatum, et ex alia Sacrificium Missae est praestantissimum precatationis genus, ut legitur in Const. cit.; imo in Missa (nempe in *memento* vivorum et mortuorum) parochus pro parochianis suis vivis atque defunctis explicite orabit. Dixi *ordinarie*; si enim populus extraordinariis tentationibus et periculis exponeretur, aut si aliqua specialis occurreret orandi necessitas, tunc parochus ad aliquid amplius teneretur. Cf. Suarez (*l. c. 17*).

107. *Quid si parochus (v. g. propter infirmitatem) raro aut nunquam Missam pro populo celebret?* Tunc (relate ad obligationem orandi) non sufficit quod alter sacerdos pro populo applicet; obligatio enim orandi est personalis, et saltem singulis diebus festis urgere videtur. Cf. S. Lig. (*VI 327*), Acta (*I 402*), et Const. cit. Hinc in Ecclesia orientali, quando parochi non celebrant pro populo, debent pro illo orare. Acta (*I 409 in nota*).

## CAPUT IV.

## De sermone ad populum, aliisque praedicationibus.

Tractandae sunt quaestiones sequentes: 1. An, quo iure, et a quibus sermo ad populum fieri debeat? 2. Quid de hoc sermone quoad substantiam? 3. Quoad modum? 4. Quibus diebus et an intra Missam? 5. Utrum in parochis hoc sit onus personale? 6. An et quatenus adesse possint excusationes? 7. Quid de poenis? 8. Quid de gradu culpae in omissione praedicationis? 9. Quid de aliis praedicationibus in parocia?

## ARTICULUS I.

*An, quo iure, et a quibus sermo ad populum fieri debeat?*

108. Ad hoc parochi, oeconomi spirituales et quotquot parocias regunt, tenentur certe iure ecclesiastico, quod fundatur in iure divino, et haec obligatio ab officio pastoris naturaliter profluit.

109. Tridentinum dicit (*Sess. V. C. II*): « Quicumque parochiales ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quae eos declinare et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant ».

110. Et (*Sess. XXIV C. IV*): « Praedicationis munus exerceatur per parochos, sive, iis impeditis per alios... ab Episcopo deputandos », et (*l. c. C. VII*): « Inter Missarum solemnias (parochi) sacra eloquia et salutis monita etiam vernacula lingua (si opus sit) singulis diebus festis explanent, eademque in omnibus cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere, atque in lege Domini erudire studeant ».

111. Denique (*Sess. XXII c. viii*): « Mandat S. Synodus ut frequenter inter Missarum celebrationem ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant ».

## ARTICULUS II.

*De sermone ad populum quoad substantiam.*

112. *Sermo ad populum in quo consistit?* In duobus. 1<sup>o</sup> In explicatione catechismi. 2<sup>o</sup> In explicatione Evangelii, vel Epistolae. Patet ex Trid. (*ll. cc.*) Cf. Scavini (*I 640*).

Quid itaque si parochus Evangelium dumtaxat explicaret? Non satisfaceret 1<sup>o</sup> si lex aut consuetudo dioecesana sermonem catechisticum omnino distinctum exigeret. 2<sup>o</sup> Si explicationem Evangelii ita perageret, ut populus circa multas vel aliquas res necessarias in ignorantia remaneret, ut notat Soetler (*Mon. ad Par. III. v § 6 n. 23*). Praescindendo autem a lege dioecesana, satisfacere posset 1<sup>o</sup> Si, dum explicat catechismum pueris (rite atque ad eorum captum), populus quoque adesset, atque ad illum pro re nata monita specialia dirigeret. 2<sup>o</sup> Si ex ipso Evangelio occasionem sumeret ita instruendi populum, ut in decursu unius vel alterius anni in substantia totum catechismum explicaret (quod, si parochus sit diligens et vero zelo praeditus, forte veluti sponte sua contingeret). Patet tum ex Catech. Rom. (*in proemio*): tum ex quorundam locorum consuetudine; tum ex pluribus libris in huiusmodi finem compositis (inter quos videri possunt sermones parochiales Io. Baptistae Guidi Benedicto XIV dicati); tum denique ex Auctoribus theologiae pastoralis, inter quos citari potest Berengo (*n. 38*).

### 113. Materiae autem distribui possent sequenti modo.

Prima die anni. De spe et necessitate bonorum operum (Sumitur ex Epistola).

Epiphania. De interno et externo Dei cultu.

Dominica infra octavam Epiphaniae. De obligationibus filiorum erga parentes.

Dom. II. post Epiph. De Sacramento matrimonii.

Dom. III. post Epiph. De Fide.

Dom. IV. post Epiph. De stabilitate et perpetuitate Ecclesiae; et quomodo in illa sola salus haberi potest.

Purif. B. M. V. De Maternitate et Virginitate Mariae SS. mae.

Dom. V. post Epiph. De obligationibus genitorum. (Ex verbis Evangelii *Cum dormirent homines*).

Dom. VI. post Epiph. De Communionem Sanctorum. (Ex verbis Evangelii *Donec fermentatum est totum*).

Septuagesima. De Paradiso promerendo. (Ex verbis Evangelii *Conventionem facta cum operariis ex denario*).

Sexagesima. De verbi Dei auditione.

Quinquagesima. De peccato mortali, quod homines excaecat, fuitque causa passionis et mortis D. N. Iesu Christi.

Feria IV. Cin. De ieiunio, et quadragesimae sanctificatione.

Dom. I. Quadrag. De Angelis et Daemonibus.

Dom. II. Quadrag. De sexto Decalogi praecepto (Ex Epistola).

Dom. III. Quadrag. De Sacramento Poenitentiae, quoad integritatem confessionis, et curam non recidendi. (Ex verbis Evangelii *Locutus est mutus..... Fiant novissima hominis illius peiora prioribus*).

Dom. IV. Quadrag. De Sacram. Eucharistiae, quoad dispositiones ad illud recipiendum, et gratiarum actionem.

In festo S. Ioseph. De modo bene moriendi. (ubi incidenter de Sacram. Extremae Unctionis).

Dom. Passionis. De vindicta non facienda et de inimicis diligendis. (Ex verbis Evangelii *Samaritanus es tu; Daemonium habes; tulerunt lapides*).

In festo Annunt. B. M. V. Explicatio Salutationis Angelicae.

Dom. Palmarum. De Passione, morte et sepultura D. N. I. C.

Dom. Paschatis. De Christo resurgente, postquam ad limbum descenderit.

Fer. II. Pasch. De variis apparitionibus, quibus D. N. I. C. resurrectionem suam confirmavit.

Dom. in *Albis*. De remissione peccatorum.

Dom. II. post. Pasch. De unitate et catholicitate Ecclesiae, et de amore Iesu Christi erga illam.

Dom. III. post Pasch. De bono exemplo, et de scandalo (Ex epistola).

Dom. IV. post Pasch. De Sacram. Poenitentiae, quoad necessitatem verae contritionis, quae est donum Spiritus Sancti (Ex verbis Evangelii: *Cum venerit ille arguet mundum de peccato*).

Dom. V. post Pasch. De orandi necessitate. Explicatio orationis dominicalis.

In Rogationibus (vel in dominica ante illas) De gratiis etiam temporalibus a Domino petendis; et quo pacto illas sperare possumus. (Ex Epistola Rogationum).

In Ascensione D. N. I. C. De hoc mysterio; et quomodo Christus ad dexteram Patris sedens interpellet pro nobis.

Dom. infr. octav. Ascens. De fortitudine hominis Christiani, qui nec odium improborum nec persecutiones timere debet. (Ex epistola).

Dom. Pentecosten. De Spiritu sancto.

Fer. II. post Pentec. De Sacramento Confirmationis, et de fide bonisque operibus aperte manifestandis (Ex verbis Evang. *Qui facit veritatem venit ad lucem ut manifestentur opera eius*).

Dom. SS. Trinitatis. De Deo uno et trino, de necessitate Baptismi, et de modo baptizandi privatim in casu necessitatis.

Dom. I. post Pentec. De charitate erga proximum.

Solemn. Corporis Christi. De Eucharistia, speciatim quoad praesentiam realem et adorationem SS. mi Sacramenti.

Dom. infr. oct. Corporis Christi. De Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae frequenter suscipiendis.

Dom. III. post Pentec. De Divina Misericordia.

In festo S. Ioannis Baptistae. De Fide; quatenus expositis miraculis in eiusdem nativitate eventis, eiusque magna sanctitate, officio praecursoris et baptismo Iesu Christi (cum circumstantiis in evangelio indicatis), concluditur quod ipse D. N. I. Christus fuit verus Messias, verusque Dei Filius, Salvator et Redemptor mundi.

In festo S. Petri. De Romano Pontifice (quatenus leges ferendi auctoritatem habet), et de mandatis Ecclesiae.

Dom. IV. post Pentec. De Romano Pontifice (quatenus est magister supremus et infallibilis), et de doctrinis et libris ab eo damnatis (Ex verbis Evangelii: *Ascendens in unam navem, quae erat Simonis, docebat de navicula turbas*).

Dom. V. post. Pentec. De proximo neque factis neque verbis laedendo, et de pace servanda cum omnibus.

Dom. VI. post Pentec. De Eucharistia, quatenus est Sacrificium.

Dom. VII. post Pentec. De sociis et libris pravis.

Dom. VIII. post Pentec. De Iudicio particulari (Ex verbis Evangelii *Redde rationem villicationis tuae*).

Dom. IX. post Pentec. De reverentia Ecclesiae praestanda.

Dom. X. post Pentec. Quomodo sit orandum.

Assumpt. B. M. V. De devotione erga Beatissimam Virginem.

Dom. XI. post Pentec. Quantum sit difficilis conversio peccatorum in malo obduratorum, qui Deum nec audire nec deprecari volunt. De zelo pro eorum salute, maxime si infirmi et id periculo mortis essent. (Ex verbis Evangelii *Adducunt ei surdum et mutum... Suspiciens in coelum ingemuit*).

Dom. XII. post Pentec. De genere humano a peccato originali sauciato et semivivo relicto. De Filio Dei, qui misericordia motus suo ipso sanguine et sacramentis, et speciatim Baptismo illi medelam praestat, atque Vicario suo (Romano Pontifici) illum committit, ut curam illius habeat.

Dom. XIII. post Pentec. De contritione perfecta, eiusque efficacia.

Dom. XIV. post. Pentec. De Providentia Dei; et de evitanda nimia rerum temporalium sollicitudine.

Nativ. B. M. V. De modo habendi veram devotionem erga Beatissimam Virginem.

Dom. XV. post Pentec. De miraculis, quibus D. N. I. C. divinam suam missionem comprobavit.

Dom. XVI. post Pentec. De operibus permissis, et de operibus vetitis diebus festis.

Dom. XVII. post Pentec. De Charitate erga Deum.

Dom. XVIII. post Pentec. De pravis cogitationibus.

Dom. XIX. post Pentec. De inferno.

Dom. XX. post Pentec. De prudentia christiana, et speciatim de spiritu roborando, de sensibus custodiendis, de periculis vitandis et de passionibus mortificandis. (Ex epistola).

Dom. XXI. post Pentec. De iustitia et de restitutione.

Dom. XXII. post Pentec. De mendacio et iuramento.

Solemn. omnium Sanctorum. De intercessione Sanctorum, et de cultu, quem illis eorumque reliquiis ac imaginibus praestare debemus.

In Commem. omnium Defunctorum (vel domidica praecedenti). De Purgatorio et suffragiis. De peccato veniali, et de debito poenae post confessionem.

Dom. XXIII. post Pentec. In infirmitatibus ad Deum, non vero ad superstitiones recurandum (Ex verbis Evangelii *Mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis*).

Dom. XXIV. post Pentec. De Resurrectione mortuorum et de Iudicio finali.

Dom. I. Adventus. De incarnatione D. N. I. C. et de sanctificatione temporis Adventus.

Conceptio Immac. B. M. V. De peccato originali, et de Virgine Maria ab illo praeservata.

Dom. II. Advent. De cognitione et amore D. N. I. C. in nobis atque etiam in aliis procurando.

Dom. III. Advent. De veneratione summa, qua Dominum N. I. C. excipere debemus; et de horribili peccato illorum qui illum blasphemant, aut in Communionem sacrilege recipiunt.

Dom. IV. Advent. De Poenitentia, qua sordes omnes abluere, et de

virtutibus quibus nos ipsos ornare debemus, ut Dominum N. I. C. in cordibus nostris digne excipiamus.

Solemnit. Natalis. De hoc mysterio; seu de circumstantiis nativitatis Domini N. I. C.

In Festo S. Stephani. De Paradiso, quem Iesus nobis aperuit, cuius intuitu quaelibet sacrificia alacriter pati debemus. (Ex verbis Epistolae: *Ecce video coelos apertos*).

Dom. infr. oct. Nativitatis. De gratia Dei, quae nos Dei ipsius amicos et filios, simulque Iesu fratres atque cohaereditas constituit.

Ultima die anni. De beneficiis divinis; de gratitudine erga Deum, et de gratiarum actione ei persolvenda.

N. B. 1. Aliqua ex praedictis argumentis fortasse non sufficientem materiam pro sermone praebent, et tunc satis erit si incidenter evolvantur. Alia e contra sub omnibus respectibus tractari nequebunt; et tunc sub uno respectu in primo anno, sub aliis vero annis sequentibus tractabuntur. 2. Si parochus identidem sermonem aliis committat, de materiis evolvendis eos praemoneat.

### ARTICULUS III.

#### *De sermone ad populum quoad modum.*

114. *Teneturne parochus ad concionem formalem atque ad amussim iuxta eloquentiae regulas elaboratam et recitatam?* Negative ordinarie: sed sufficit sermo paternus et familiaris. Bened. XIV (*Notif. X n. 3*). Imo subinde oportet ut parochus, sermonis unitatem atque idiomatis puritatem minus respiciendo, eo modo procedat quo filiis suis magis utilis esse possit. Trid. dicit, *iuxta eorum capacitatem salutaribus verbis... etiam vernacula lingua, si opus sit*. Idque pluries decisum fuit in terminis. Cf. Lucidi (*J. III 308*). Dixi *ordinarie* interdum enim (v. g. occasione magnae festivitatis aut magni concursus) concio formalis expedire potest. Bouvier (*De Ordine VI. II. III*).

115. *Si ordinarie non exigitur concio formalis, sufficitne sermo qualiscumque; quod scilicet parochus de Evangelio vel Catechismo aliquid quovis modo dicat?* Negative; bene vero necesse est ut praediceat 1° Ad captum. 2° Diligenter. 3° Breviter atque ita ut libenter audiat. 4° Ita ut praedicatio decursu temporis ad illa omnia, quae de iure sunt, extendatur. 5° Nervose. 6° Cum zelo. 7° Cum

prudencia. 8<sup>o</sup> Iuxta veritatem et sanam doctrinam. 9<sup>o</sup> Con-  
venienter et opportune.

116. *Quid notandum circa primam dotem sermonis parochialis (ad capium)?* Parochus, communi intelligentiae se accomodare debet; ita ut non solum a doctis, sed etiam a rudibus (qui maiorem populi partem efformare solent) bene intelligatur. Patet tum ex natura rei; tum ex Trid. (ut supra n. 109); tum ex Bened. XIV (Constit. *Etsi minime*, ubi agit de doctrina christiana populo traenda); tum ex Pio IX (Const. *Qui pluribus*). Hoc autem est ita necessarium, ut qui secus agere solitus esset, quasi perinde foret ac si sermonem omitteret, atque ita facile mortaliter peccaret. Gury (*II 112*), D'Annib. (*III 319. 10*), Scavini (*I. 448*), Bouvier (*l. c.*), S. Lig. (*Hom. Ap. VII 36*) aliique. Claritas autem exigitur 1<sup>o</sup> quoad conceptus et argumenta; et, si aliquando aliquid difficile enunciandum sit, explicacionibus vel similitudinibus populo obviis statim recurrendum. 2<sup>o</sup> quoad verba et phrases. Si tamen populus (prout in civitatibus et oppidis) personis etiam cultioribus coalesceret, tunc idiomatis proprietati esset magis attendendum; non enim deest modus proprie simulque clare loquendi. In quovis casu textus latini, ad minus breves et pauci esse debent. Clare autem loquetur parochus si quae dicit ei cordi sint. Sed heu quot solum quando petunt eleemosynam, aut contra proprios detractores invehunt, clare loquuntur!

117. *Quid notandum circa secundam dotem (diligenter)?* Diligentia, atque adeo debita praeparatio, est certe necessaria, quia ex una parte agitur de re valde momentosa, et ex alia sermo non potest esse praeditus dotibus supra indicatis et infra explicandis, nisi prius diligenter praeparatus fuerit. Defectus seriae praeparationis (maxime quoad parochos iuniores) facile efficere potest, ut sermo parum vel nihil sit fructuosus, multaque necessaria populo non explicentur, et sic parochus contra munus suum laetaliter delinquat. Gury, D'Annib., Scavini (*ll. cc.*). Ne-

que valet quod populus sit rudis; tunc enim ut intelligat forte magis laborandum erit.

118. *Quid notandum circa tertiam dotem (breviter, atque ita ut libenter audiat)?* Brevitas cadit sub praecepto ex ipso Trid. dicente *cum brevitate sermonis*; et est necessaria; secus enim multi sermonem parochialem declinant, aut propter taedium sine fructu illum audirent. Hinc sermo parochialis (etiam quia agitur semper de voce eadem) mediam horam nunquam aut vix unquam excedere debet. S. Lig. apud Scavini (*I 639*). A repetitionibus etiam nimis frequentibus, a titubantiis (eo quod sermonem non bene memoriae mandaverit), a confusione, a monotomia a quadam cantilena, a tenore vocis non naturali, a gestibus inconditis etc. parochus (quantum poterit) cavebit; et e contra, aptis similitudinibus utendo, brevia exempla adducendo, imaginationem excitando, sermones (ope studii et librorum) variando, identidem populum laudando, maxime vero paternum amorem ostendendo, atque expedite et ex toto corde loquendo, eidem placere studebit.

119. *Quid notandum circa quartam dotem (nempe ut praedicatio ad illa omnia quae sunt de iure extendatur)?*

I. Parochus instruere debet populum circa omnia quae sunt necessaria ad salutem; nempe 1<sup>o</sup> Circa fidem, ostendendo fidei necessitatem, et explicando singillatim omnes fidei articulos (Bened. XIV Const. *Etsi minime*). 2<sup>o</sup> Circa legem, ostendendo necessitatem illam observandi, loquendo de essentia peccati, et explicando omnia et singula mandata Dei et Ecclesiae, nec non obligationes statuum particularium magis communium (scilicet genitorum, aliorumque rectorum familiae, coniugum, filiorum, dominorum, famulorum etc.). 3<sup>o</sup> Circa media et impedimenta salutis, nempe orationem, Sacramenta, Sacrificium Missae, verbi divini audicionem, fraenum passionum, pravorum habituum abruptionem, fugam occasionum sive contra fidem sive contra mores (veniendo ad particularia v. g. quoad pravos libros, diaria, socios, cauponas etc.), humanorum respectuum victo-

riam, considerationem aeternarum veritatum etc. 4<sup>o</sup> Circa exercitium virtutum, commendando speciatim eleemosynam (erga pauperes) atque consilia evangelica.

II. Explicare debet Evangelium, ut dixi; sed hoc intelligendum est de regula ordinaria, dicente Tridentino satis esse si explicetur aliquid de Missa, et proinde interdum, loco Evangelii, epistola, v. g. explicari posset. Imo nihil vetaret quominus interdum tractetur argumentum Missae illius diei prorsus extraneum, dicente Tridentino *frequenter*, non vero semper. Maior itaque populi utilitas heic quoque respici debet. Cf. Berengo (*n. 58*).

III. Merae instructiones non sufficiunt; sed congruae exhortationes (ad movendos affectus et salutares determinationes obtinendas) exiguntur, dicente Tridentino *in omnium cordibus inserere studeant*. Cf. Barbosa (*I. xiv 14*), et Scavini (*I 448. 3*). Hinc sermo parochialis quid mixtum catechismo et concione esse debet.

IV. Res quae magis necessariae sunt, non una vel altera vice dumtaxat, sed frequenter (maxime in fine sermonum) ad populi memoriam revocari et inculcari debent. Huiusmodi sunt 1<sup>o</sup> Veritates aeternae (it. *i novissimi*). 2<sup>o</sup> Emendatio a peccatis gravioribus magisque frequentibus. 3<sup>o</sup> Praecipua media salutis.

V. Alicubi ex legibus synodalibus materiae speciales tali vel tali sive tempore sive modo pertractari debent.

120. *Quid notandum circa quintam dotem (nervose)?*

Dos ista exigitur a Trid. dicente: *sepositis inutilibus quaestionibus*; et profecto patet, etiam ex ipsa rei natura quod sermo parochialis debet esse cibus substantiosus imo tota substantia: quum enim debeat esse brevis, illa quae parum utilia sunt, in causa essent cur necessaria aut magis utilia (quae profecto plurima sunt) omitterentur. Haec dos plus vel minus deficeret 1<sup>o</sup> Si materia totius sermonis, aut eius partium principalium, esset ex se, vel attenta conditione audientium, nihil aut parum, aut vix alicui,

utilis. (1) 2<sup>o</sup> Si, pro solidis, brevibus, perspicuis et necessariis probationibus, argumenta inania, aut infirma, aut superflua, vel obiectiones aut repetitiones inutiles, vel flosculi rethorici, aut vani strepitus, adhiberentur,

121. *Quid notandum circa sextam dotem (cum zelo)?*

Cum zelo praedicabit parochus, si pro sermonum suorum scopo salutem spiritualem populi sui unice sibi praefigat, eamque ex corde desideret et totis viribus procuret; atque adeo loquatur ut loqueretur pater cui quam maxime cordi esset ut aliquid a filiis suis obtineret; et proinde instruat, applicationes faciat, adhortetur, ad peccatorum contritionem inducat, uno verbo fructum practicum serio et efficaciter intendat. Etiam dos ista a Trid. (*ll. cc.*) exigitur; et principalissima est: ex ea enim aliae sponte sua profluunt, et sine illa vix quidquam fructus obtineri poterit. Parochi zelo carentes, dum potius quae sua sunt, quam quae Iesu Christi, quaerunt, heu quam facile modo sermonem omittunt: modo negligenter, sine ulla praeparatione (quin considerent quid magis prodesse possit) et sine ullo spiritu procedunt, solumque pro forma aliquid dicunt; modo vana gloria ducti, instructiones magis necessarias (eo quod nimis elementares et humiles sint), itemque motiva magis efficacia, scilicet mortis, iudicii, inferni etc. (eo quod nimis communia sint) dedignantur, et solum de rebus inauditis in sublimitate sermonis verbis altitonantibus (quidquid sit de fructu) loqui volunt; modo denique (repeto) tunc solum verba clara et argumenta ad captum promunt, quando agitur de eleemosyna quaerenda, aut de

(1) Parochus bene consideret 1. quodnam argumentum erit magis necessarium vel magis utile. 2. Quonam modo illud pertractare debeat, ut verum fructum faciat. Quid enim si loqueretur contra vitia quae in paroecia non adessent? Quid si adessent quidem, sed non illo gradu, quem sermo respiceret? Invehit v. g. contra odia mortalia, dum adsunt solum dissidia ordinaria et certe multo minora: vel declamat contra detractiones quae graviter laedunt honorem, dum in paroecia adsunt solum consuetae mormurationes de rebus levibus vel iam notoriis. Ille profecto, declamando contra mala quae non adsunt, aerem verberaret; et nihil dicendo de malis quae vere adsunt, illis nullum remedium apponeret.



reprehendendis murmurationibus contra se ipsos. Cf. Barbosa (I. xiv 4).

122. *Quid notandum circa septimam dotem (cum prudentia)?* Trid. (XXIV. vii) dicit loquendum esse *prudenter*; et profecto imprudentiae non solum aliquod malum, sed etiam interdum magnam ruinam producere possunt. Speciatim adhibenda est cautela: 1° In loquendo de sexto praecepto, aut de muneribus coniugum, aut de impedimentis matrimonii. 2° In exponendis doctrinis, quae consequentias ruinosas facile habere possunt, v. g. circa praedestinationem, exiguum numerum electorum, ius compensationis etc. 3° In polemica, quae longe magis noceret quam prodesset, si obiectiones contra fidem exponerentur, sed vivaciter ac triumphanter non resolverentur. 4° In redarguendis vitiis divitum. 5° In loquendo de vanis observantiis aliisque similibus rebus, quae bona fide a populo fere toto fiant. Cavendum est 6° ab indicationibus particularibus, expresso nomine, v. g. talis vel talis collegii, scholae, et multo magis personae, quod severissime prohibitum fuit a Concil. Lat. V., et poenae quoque civiles incurri possent. (In dubio de modo se gerendi in quibusdam circumstantiis extraordinariis et valde momentosis, consulatur Episcopus). Cavendum est 7° ab obiurgationibus vel allusionibus circa facta recentia et ad paucas personas restricta (puellae crimen v. g. notorium evasit; familia duxit choreas in loco reprobandas etc.), maxime si personae ipsae concioni praesentes essent. Imprudentissimi sunt etiam qui 8° obiurgationes continuas contra parochianos in ore habent, et maxime si 9° delationes ad auctoritatem civilem vel ad eorundem dominos illis minitarentur. Idem dic 10° de illis qui, loquendo de ornatu foeminarum, de choreis, de theatris, de visitationibus adamantium etc. excessive procedunt; maxime vero si dicant hos non posse absolvi. Cautelae speciales adhiberi debent etiam 11° si catechismus a duobus (nempe magistro et discipulo in forma dialogi) peragatur.

123. *Quid notandum circa octavam dotem (iuxta veritatem et doctrinam sanam)?* Trid. (XXV) dicit: « Sa-  
« nam doctrinam... praedicari diligenter studeant... Incerta  
« item vel quae specie falsi laborant... tractari non per-  
« mittant ». Nihil itaque falsi, nihil exaggerati, dici debet. Cavendum speciatim ne dicatur esse de fide quod de fide non est; maxime vero ne facta vel exempla adducantur quae iam prorsus inverisimilia, aut omnino falsa sunt. Nec bonus finis excusaret; mendacium enim est malum intrinsece, et non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Praeterea maiora mala sequerentur; ipsa enim praedicatio evangelica existimationem amittendi in periculum coniceretur. Ad minus, si quid incertum narraretur, de tali incertitudine populus admoneri deberet.

124. *Quid notandum circa nonam dotem (opportune)?* Habenda est ratio loci, temporis et circumstantiarum.

*Loci*, considerando vitia quae in paroecia magis et foedius grassantur, pericula specialia (si quae ibi sint), parochianorum conditionem, educationem, occupationes etc.; ut scilicet parochus digitum in plagam ponat, inutiliter non loquatur, libenter audiatur, intelligatur etc. Ben. XIV (Const. *Etsi minime*) et Cat. Rom. (in proem.).

*Temporis*. Antiquae instructiones et homiliae non amplius plene satisfaciunt. Incredulitas, impiae sectae, impii libri, impiae ephemerides, impia comitia, impiae ad populum allocutiones, obiectiones sparsae contra religionem et contra auctoritatem Romani Pontificis, principia socialistica et subversiva, impiae scholae, impiae rapraesentationes, templa protestantica, matrimonium civile, sepulturae civiles, crematio cadaverum, novae superstitiones (tabulae rotantes, evocatio spirituum, usus ipnotismi ad morbos curandos etc.), inobservantia adeo magna mandatorum Ecclesiae etc.; sunt mala nova, et pericula nova, quae nova monita novaque remedia exigunt.

*Circumstantiarum*. Ante bacchanalia; ineunte Quadagesima; appropinquante Paschate; ingruente aliqua publica

calamitate; ineunte et finiente anno; appropinquantibus maioribus anni solemnitatibus; occasione Rogationum, aut visitationis episcopalis, aut publicae administrationis Sacramenti Confirmationis; ineunte tempore hyemali (quando serotinae conversationes incipere solent); tempore aestivo, si forte tunc (prout ruri contingit) furta magis committantur et dies festi profanentur; item occasione electionum municipalium vel politicarum etc.; in his, inquam, et similibus circumstantiis expedit, vel prorsus oportet, ut parochus monita praeventiva non omittat.

#### ARTICULUS IV.

*Quibus diebus sermo ad populum fieri debent, et an intra Missam?*

125. *Quibus diebus?* De iure communi non solum diebus dominicis, sed etiam aliis diebus festis de praecepto. Patet ex Tridentino (V. II. XXII. VIII. XXIV. IV. VIII), ex Benedicto XIV (Const. *Etsi minime* et *Instit. X*), et ex pluribus S. C. C. decretis. De exceptionibus verba faciam infra. Episcopus autem praecipere potest ut parochi sive per se sive per alios praedicent diebus quoque feriabilibus in Quadragesima et Adventu, imo et alias, scilicet quotiescumque id opportune fieri posse iudicaverit, ut decrevit Trid. (XXIV. IV).

126. *An intra Missam?* Affirmative regulariter. Patet 1<sup>o</sup> ex generali et antiquissima Ecclesiae praxi. 2<sup>o</sup> ex Tridentino (XXII. VIII). 3<sup>o</sup> Ex ratione, quia tunc (propter praeceptum audiendi Missam), non solum personae piae, sed fideles omnes adesse solent. Cf. Lucidi (I 317).

127. Hinc parochi nunquam possunt impedi quominus intra Missam praedicent. Hoc adeo verum est ut, quamvis Urbanus VIII mandaverit, ut, quando Episcopus praedicat, silere debeant eo tempore alii concionatores, lex ista ad parochos intra Missam in suis paroeciis sermonem habentes non extenditur. C. Lucidi (I. III. 318). A fortiori (non obstante consuetudine) nequeunt impedi quin praedicent, eo quod horis pomeridianis concionator quadragesimalis, sive in Ecclesia matrice (Lucidi l. c. 315) sive in eadem Ecclesia, praedicare

debeat. Imo qui simul esset canonicus et parochus in cathedrali posset (invito quoque capitulo) sermonem habere ad populum intra Missam conventualem, quam ipse celebrare deberet, dummodo e suggestu et non ultra mediam horam praedicaret. Decisum. (Cf. Lucidi l. g. 328).

128. Alicubi leges dioecesanæ praecipunt ut sermo ad populum habeatur in prima Missa; imo haec videtur esse consuetudo ruri atque in parvis oppidis communissima; et profecto est valde attendenda, tunc enim maior rudiorum pars intervenire, maiorque populi concursus haberi solet. Laudandus tamen parochus, qui ad maiorem paroeciae suae utilitatem, iis etiam qui secundae vel ultimae Missae intervenire solent, vocem suam interdum audire faceret.

129. Obligatio praedicandi intra Missam non eximeret parochos ab obligatione praedicandi etiam horis pomeridianis, si tunc (ut explicavi supra n. 112) catechismum ad populum facere deberent.

130. Petes an, seclusa obligatione ita bis praedicandi, possit parochus invertere ordinem, et, loco praedicandi mane intra Missam, praedicare post meridiem, idque habitualiter? Sola ratione commodi sui, vel etiam consuetudinis, negandum est. Cf. Lucidi (I. III. 317). Affirmandum vero ratione maioris utilitatis populi sui (Berengo n. 58). At tamen de huius maioris et habitualis utilitatis existentia non praepropere iudicare deberet; considerandum est enim quod (speciatim ruri) accidere solet quod viri (et maxime illi qui verbo Dei magis indigent) post meridiem non veniunt, aut, dum parochus concionem facit, extra Ecclesiam morantur.

131. Dixi supra quod parochi nunquam possunt impedi quominus praedicent intra Missam; sed non est ita si extra Missam praedicare vellent; tunc enim certe praedicare nequirent ea ipsa hora qua in eadem Civitate praedicaret Episcopus. Sed quaestio est an parochi praedicare possint extra Missam tali hora ut populus ad concionem praedicatoris quadragesimalis sive in cathedrali sive in matrice concurrere nequeat? R. Negative si obstet consuetudo, quae in loco pro lege habeatur. Quum enim valde inter-

sit ut conciones quadragesimales (quae ad supplendum parochorum defectui ab Ecclesia exiguntur) sustineantur, difficile constabit quod consuetudo ipsa pro abusu haberi debeat. Si tamen ageretur de paroecia a matrice dissita, cuius parochus vere zelans esset, facile contingeret quod Episcopus ad tempus dispensare posset vel etiam deberet.

## ARTICULUS V.

*Utrum obligatio sermonem habendi ad populum in parochia sit onus personale?*

132. Certe est onus personale. Excipe nisi iustis de causis (quae infra exponuntur) parochus excusetur; sed tunc per substitutum praedicare deberet. Trid. (V. II et XXIV. IV. Cf. supra n. 108). Innoc. XIII Const. *Apostolici ministerii*, et S. C. C. apud Lucidi (I. III 311 et seq.).

133. An autem parochus possit semper velle praedicare per se ipsum excludendo quemlibet alium; et, casu quo substitutus vel quomodolibet alius Praedicator advocetur, quid sit notandum, videbimus infra n. 145 et seq.

## ARTICULUS VI.

*Quaenam circa obligationem praedicandi adesse possunt excusationes?*

134. Aliquae excusationes sunt legitimae; aliae nihil valent; aliae denique valere possunt sub conditione vel quod adhibeatur substitutus, vel quod postea aliter suppleatur.

135. *Quaenam excusationes sunt legitimae?* Si rarissimis vicibus explicatio Evangelii omitteretur ex causa rationabili, et speciatim in sequentibus circumstantiis. 1° Quia (v. g. ruri occasione messis) populus indigeret cito expediri. 2° Quia parochus brevi aliqua infirmitate detineretur.

Bouvier (*De ord. de obl. praed. n. 4*). 3° Quia in eadem Ecclesia post meridiem adesset praedicatio Quadragesimae vel Adventus (nec Episcopus exigeret ut parochus quoque intra Missam praedicaret) S. C. C. apud Lucidi (I. III 316). Dixi in eadem Ecclesia; certe enim non excusaretur parochus ea de causa quod populus se conferre possit ad matricem. 4° Quia, videntibus et non reclamantibus Episcopis, adesset consuetudo illam omittendi in quibusdam solemnitatibus, quae magna cum pompa celebrentur. Non bona tamen videtur consuetudo eandem omittendi in consuetis solemnitatibus Paschatis, Pentecosten etc.; tunc enim ad propriam paroeciam concurrere solent magno numero etiam illi qui raro vel nunquam ad illam accedunt, et proinde sui pastoris monitis et principalium christianae mysteriorum explicatione magis indigent.

136. *Quaenam excusationes nihil valeant?* Parochus non potest se eximere a praedicatione 1° Quia conciones et catechismi abundant in aliis eiusdem civitatis Ecclesiis. 2° Quia satis provideatur per praedicatores quadragesimales. 3° Quia paroecia sit exiguissima. 4° Quia adsit consuetudo immemorabilis in illa paroecia sermonem non habendi (Videantur decisiones apud Lucidi I. III. 313). 5° Quia satis sit praedicare bono exemplo. 6° Quia fiat catechismus pueris. 7° Quia populus non correspondeat, non interveniat, parochum non audiat libenter (P. Segneri *Rammemorazione in fine del Cristiano istruito*). 8° Quia satis sit praedicare, diebus dominicis, et iam adsit consuetudo omittendi explicationem Evangelii aliis diebus festivis. S. C. C. apud Acta (IX. 468). 9° Quia agatur de paroecia in cathedrali; et de diebus in quibus praedicat Episcopus, vel fiunt lectiones S. Scripturae etc., et iam adsit consuetudo tunc non explicandi Evangelium (Acta XV 323 et Lucidi I. 310 II. IX 99). Denique 10° nihil valet consuetudo praedicandi per alium, vel ut alternatim una vice parochus et alia vicarius praedicet. S. C. C. apud Lucidi (I. III 312).

137. *Quaenam excusationes valent quidem, sed sub conditione quod substitutus adhibeatur?* 1<sup>o</sup> Infirmitas vel inhabilitas diuturna aut habitualis; si tamen inhabilitas esset studio superabilis, utique superanda foret; neque magna exigitur habitas, dicente Tridentino, parochum praedicare debere *pro sua capacitate*. 2<sup>o</sup> Absentia in mensibus conciliaribus vel utcumque legitima. Bouix (*IX. 10*) et Segneri (*Parr. istr. C. ult.*). 3<sup>o</sup> Obligatio celebrandi Missam in alia Ecclesia, prout contingere potest v. g. in parcho qui regat duas paroecias, vel sit etiam Episcopus; vel sit canonicus et debeat canere Missam Conventualem. 4<sup>o</sup> Impotentia (quae interdum occurreret se praeparandi). 5<sup>o</sup> Maior populi utilitas. 6<sup>o</sup> Debilitas propter senectutem aut malefirmam valetudinem. His tamen ultimis de causis difficile ita excusaretur parochus, ut subinde vocem suam audire non faceret. Bouvier (*l. c. 4*).

138. *Quid de parcho qui sermonem non memoriter recitaret, sed legeret?* Si absque causa cogente ita se gereret, non satisfaceret; consuetudo quippe sic Tridentinum interpretatur, et sermo memoriter recitatus maiorem vivacitatem et efficaciam habet. Qui tamen ob memoriae defectum solum legere posset, tunc sic quoque (Evangelium explicando, non autem tantummodo aliquem librum devotum legendo) satisfaceret, atque (per se loquendo) ad hoc teneretur. Oporteret tamen ut meliori modo possibili defectui suppleret; nempe 1<sup>o</sup> se gerendo ad modum non praecise legentis sed recitantis. 2<sup>o</sup> Advocando identidem, sin minus sacram missionem, saltem aliquem zelantem concionatorem. 3<sup>o</sup> Ante oculos habendo non librum sed sermonem a se ipso scriptum (vel saltem transcriptum) et populo suo, cum monitis iuxta circumstantias necessariis, accomodatum. Cf. P. Segneri (*Rammemoraz. in fin del Crist. istr.*), Gury (*II 112*), et Bouvier (*De Ord. de Par. de obl. praed. n. 8*). Hic ultimus auctor notat, sacerdotem huiusmodi impedimento detentum curam animarum suscipere non posse, nisi Episcopo certiorato; qui tamen non

equidem ordinarie, sed in quibusdam adiunctis, illum nihilominus eligere posset.

139. *An liceat interdum omittere explicationem Evangelii sub conditione ut postea suppleatur?* Ex causa rationabili affirmative. Scripsit S. Lig. (*III n. 269*): « Bene posse parochos conciones omittere, ut postea opportunius suppleant ». Et Salmant. (*Tr. XXIII n. 138*): « Iudicamus quod si ob iustas causas aliquibus dominicis omittant parochi explicare et edocere doctrinam christianam, et aliis diebus aut temporibus, v. g. Adventus aut Quadragesimae dies omissos repetant, nullo modo peccabunt ». Hinc censeo permitti posse ut parochi, cum tali intentione postea supplendi (v. g. praedicando diebus etiam ferialibus occasione Rogationum, aut mensis Maii, vel procurando paroeciae suae exercitia spiritualia etc.), aliquas conciones omittant, dum interim ad sacras missiones (utique cum non parva propriae paroeciae aedificatione) se conferunt.

140. *Quid de parcho, qui ex una parte propter chronicam infirmitatem, aut magnam balbutiem, aut timorem panicum invincibilem, sermonem ad populum (ne legendo quidem) habere posset; et ex alia ope substituti stabilis providere impossibile aut plus vel minus difficile ei esset?* P. Segneri (*Rammem. cit.*) dicit, paroeciam tunc esse resignandam; sed ordinarie temperamentum advocandi frequenter alios concionatores et identidem sacram missionem sufficere videtur. In dubio S. Sedes consuli posset, vel saltem Episcopus; ad quem etiam in quovis casu spectabit indicare, utrum defectus adeo damnosus sit, ut parochus sive ad acceptandum coadiutorem sive etiam ad resignandam paroeciam (ut suo loco explicavi) cogi debeat.

## ARTICULUS VII.

*Quid de poenis contra negligentes?*

141. Trid. (V. II) dicit: « Id vero si quis eorum  
« praestare negligat...., Episcoporum sollicitudo non desit  
« ne illud impleatur: *Parvuli petierunt panem, et non*  
« *erat qui frangeret eis.* Itaque, ubi ab Episcopo moniti  
« trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censu-  
« ras ecclesiasticas, seu alias poenas ad ipsius Episcopi ar-  
« bitrium, cogantur; ita ut etiam, si ei sic expedire visum  
« fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet,  
« honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse  
« respiciens officium suum impleat ».

Potestne Episcopus recurrere ad multas paecuniarias?  
S. C. C., etsi de potestate Episcopi non dubitaverit, id  
tamen fieri non decere respondit. Bened. XIV (*De Synodo*  
X. IX 8).

## ARTICULUS VIII.

*Quid de gradu culpae?*

142. *Utrum hac in re detur parvitas materiae; an vero, sicut parochus peccaret mortaliter si vel unicam Missam pro populo sive per se sive per alium applicare praetermitteret, ita mortaliter peccet si vel unica vice concionem omitteret?* Ex communissima theologorum sententia datur parvitas materiae; et ratio differentiae forsan est, quia praedicare aut substituere sibi alium qui praedicet, non est res ita facilis sicut applicatio Missae; unde parochi nimis gravarentur nimisque conscientiae scrupulis exponerentur, si praeceptum praedicandi personaliter, aut in casu impedimenti alium substituendi, semper urgeret sub gravi.

143. *Quandonam igitur parochus negligens peccabit mortaliter et quando non?* Regula communior dicit, parochum peccare mortaliter, si sermonem omittat uno mense continuo, vel tribus mensibus discontinuis (nempe 14 vel 15 vicibus interpolatis in toto anno). Argumentum sumitur ex praedicta poena statuta a Tridentino contra omit- tentes praedicationem tribus mensibus post monitionem; sed argumentum istud (ut unusquisque facile intelligere potest) rem non evincit. Alii theologi autem (v. g. Salmanticenses) strictius; et alii (v. g. Suarez *De Relig.* I. II. XVI; Bouvier *l. c.*; Baller. *II. 112*; Lehmkuhl *II. 645*); etc. mitius loquuntur. Meo sensu, considerandae sunt circumstantiae; et speciatim quanta populus adstringatur necessitate audiendi verbum Dei et praecise in paroecia; quanti valoris parochi conciones futurae essent; an agatur de paroecia magna vel parva; an parochus ullo detinea- tur impedimento; an et quantum de parochi omissionibus parochiani scandalizentur etc. Parochus, v. g. uno quidem mense continuo sermonem omittit, sed aliis undecim mensibus continuis populum suum diligenter instruit et cum zelo adhortatur; vel omittit quidem sermonem quindecim vicibus interpolatis in toto anno, sed reliquis quinquaginta quinque vicibus cum diligentia et zelo concionem facit. In his casibus peccatum mortale ego non admitterem: populus enim magnam instructionem plurimasque exhortationes a tali parochi haberet, neque facile de ipso graviter scandalizaretur. Parochus e contra non solum omittit praedica- re uno mense continuo vel tribus discontinuis, sed etiam, quando aliis vicibus praedicat, leviter, negligenter, et sine zelo id praestat. In hoc casu (re in complexu considerata) grave peccatum facile admitterem. Parochus denique non ex culpabili negligentia, sed ex naturali et invincibili ineptitudine ita praedicat, ut eius sermones parum valere possint. Tunc omissiones (etiam ultra unum mensem continuum, vel tres menses discontinuos) fortasse de gravi culpa non erunt redarguendae; speciatim si populus iam

in aliis Ecclesiis sufficiens pabulum habeat, atque cognoscat quod parochus non ex mala voluntate sed ex mera ineptitudine praedicare omittit; maxime vero si ille (ad quod caeteroquin sub gravi teneri posset) identidem sacras missiones, aut exercitia spiritualia, aut quid simile (prout mox infra videbimus) populo ipsi procuret.

## ARTICULUS IX.

*Quid notandum circa monita ad populum danda.*

144. Parochus debet 1º admonere populum de festis, vigiliis aliisque ieiuniis intra hebdomadam occurrentibus. 2º Proclamare matrimonia. 3º Denunciare nomina eorum qui ad aliquem Ordinem Sacrum proxime promoveri volunt. 4º Appropinquante tempore administrationis Sacramenti Confirmationis, aut visitationis Episcopalis, de his quoque (ut supra innuebam) debet populum admonere. 5º Item de quacumque alia re, quae iussu Episcopi publicari debeat. Monita de rebus mere saecularibus non fiant, nisi sint de consuetudine, aut ex Episcopi licentia expressa vel saltem certe praesumpta, dari possint vel debeant. Notat Bouvier (*l. c.*) quod nova miracula, aut novae revelationes vel prophetiae, ante S. Sedis recognitionem, annuntiari prohibentur.

## ARTICULUS X.

*De aliis praedicationibus, quae forte in paroecia locum habere possint.*

Agendum est 1. De regula generali quae servari debet circa alios sacerdotes pro concione advocandos. 2. De praedicatione quadragesimali. 3. De sacris missionibus.

145. *Quaenam sunt generaliter observanda circa alios sacerdotes pro concione advocandos?* Oportet 1º Ut sint idonei (Trid. V. II), de illis scilicet qui bene et

fructuose, iuxta instructionem S. Sedis (Cf. *Monitore VIII. II 151*) praedicare solent. 2º Ut ab Ordinario loci approbati fuerint; nequidem enim Episcopus alterius dioecesis absque tali licentia ad praedicandum recipi valet (Cf. Ferraris *v. parochus a. II n. 78*). Attamen lex vel consuetudo dioecesana adesse posset, vi cuius sufficeret licentia vicarii foranei, vel etiam licentia praesumpta pro viro iam bene cognito, et praedicationibus non continuatis.

146. *Quid de praedicatione quadragesimali?*

I. Praedicatio quadragesimalis, quae non fit a paroco sed ab alio concionatore, tamquam res magni momenti (ut alias innui) aestimari debet, quia 1º Non ad unam paroeciam sed ad plures paroecias (quae congregationem seu plebanatum efformant) dirigitur. 2º Supplet parochorum minori capacitati, vel impotentiae vel negligentiae. 3º Vox nova et conciones melius elaboratae multos atrahunt, et quidem illos qui ad paroeciam fere nunquam se conferunt, et magis indigent. Valde itaque interest ut praedicationes istae sustineantur; nec facile praeponderant quaedam mala, quae (speciatim ruri) illorum occasione oriri solent.

II. Praedicator quadragesimalis recipit stipendium alicubi a municipio, alicubi ab aliquo legato, et alicubi a fidelibus, qui eleemosynam (in singulis concionibus et post pascha) eidem elargiuntur.

III. Parochus tenetur acceptare praedicatorem quadragesimalem (utique approbatum ab Episcopo) in duobus casibus. 1º Si stipendium ei detur ab aliis, ut modo dicebam (Cf. Lucidi *I 200* et Ferraris *v. Parochus a. II n. 80* et *Monitore VIII. II 233*). 2º Si ex una parte Episcopus iudicet, praedicationem quadragesimalem in illa paroecia esse necessariam, et ex alia parochus ipse esset impeditus (vide supra *n. 108*); tunc enim etiam suis sumptibus ei satisfacere deberet (Cf. Ferraris *v. alimenta in fin.*). Si vero non esset impeditus, et posset atque vellet per se ipsum praedicare, ad dictum praedicatorem suis

sumptibus acceptandum obligari non posset. Cf. Lucidi (*I. C. II n. 200*), et Bouix (*V. IV 4*). Notandum quod si parochus, loco praedicatoris quadragesimalis, aliquo anno praedicaret, stipendium eidem praedicatori debitum nullatenus (et nequidem praetextu cuiuscumque paupertatis) praetendere posset. S. C. C. apud Bouix (*l. c. 5*).

IV. Episcopum posse praecipere parochis ut in quadragesima post meridiem a praedicatione absterneant, suosque parochianos ad concionem in matrice mittant, notat etiam *Monitore l. c.* Non tamen posse impedire quemquam ne mane evangelium explicet, idque quamvis eandem explicationem tunc omittendi consuetudo adesset, declarat S. C. C. apud Ferraris (*l. c. n. 76*).

147. *Quid de sacra missione?*

I. Missiones (et exercitia spiritualia) sunt media valde efficacia ut paroecia melioretur et magna mala eliminentur, dummodo tamen bene peragantur, et parochus postea fructum conservare satagat.

II. Ad missiones procurandas parochus sub gravi teneri posset in tribus casibus. 1° Si iam necessariae essent ad supplendum eiusdem defectui, v. g. propter senium, habitualement infirmitatem etc.; maxime vero ad reparanda mala ex eiusdem negligentia vel scandalo orta; atque ad hoc ab Episcopo ipso cogi posset. 2° Si, non obstante eiusdem capacitate et diligentia, magnae inordinationes in paroecia adessent, atque ad sustinendas expensas media non deficerent. 3° Si ad satisfaciendum oneri alicuius legati missio periodice advocari deberet.

De re ista diffuso sermone egi in casibus conscientiae *an. 1893*, et in opusculo cui titulus *Discorso sulle sacre missioni*.

## CAPUT V.

### De speciali puerorum et iuvenum cura.

#### ARTICULUS I.

##### *De cura puerorum.*

##### 148. *Quid imprimis est generatim advertendum?*

I. Plures parochi hac in re sunt valde negligentes: catechismum enim vel parum vel non bene faciunt.

II. Attamen cura puerorum valde cordi eis esse deberet; agitur enim 1° de fructu facili, non enim adhuc obstant praedicia, passionis, et reluctantiae sicut in adultis. 2° Agitur de fructu pretiosissimo; parochus enim ordinarie facile habebit pueros a sexto anno usque ad duodecimum, atque ita tempore satis diuturno; si bene et cum zelo partes suas praestet, tale ac tantum religionis fundamentum in iisdem efficere poterit, ut illos revera salvandi confidere valeat. 3° Agitur de obligatione gravissima, quae certe absque peccato mortali negligi nequit. Pius IX (*Encycl. Nostris*) dicit: « Eamque instructionem (puerorum) ad graviores sui muneris partes omnino pertinere meminerint (parochi) ». 4° Agitur de obligatione quae specialissimo modo urget diebus nostris; si enim iuvenes in fide et bonis moribus non fundentur, et contra mundi pericula non praemuniantur donec christianam doctrinam frequentare debent, nonne certo certius gliscentis incredulitatis et impiarum sectarum victimae evadent; et tunc quidnam ad illos salvandos facere poterit parochus?

III. Ut autem parochi optatum finem assequantur et muneri suo satisficiant, debent 1° pueros instruere; 2° alia quoque praestare, ut quantum oportet de illis curam habeant.

sumptibus acceptandum obligari non posset. Cf. Lucidi (*I. C. II n. 200*), et Bouix (*V. IV 4*). Notandum quod si parochus, loco praedicatoris quadragesimalis, aliquo anno praedicaret, stipendium eidem praedicatori debitum nullatenus (et nequidem praetextu cuiuscumque paupertatis) praetendere posset. S. C. C. apud Bouix (*l. c. 5*).

IV. Episcopum posse praecipere parochis ut in quadragesima post meridiem a praedicatione absterneant, suosque parochianos ad concionem in matrice mittant, notat etiam *Monitore l. c.* Non tamen posse impedire quemquam ne mane evangelium explicet, idque quamvis eandem explicationem tunc omittendi consuetudo adesset, declarat S. C. C. apud Ferraris (*l. c. n. 76*).

147. *Quid de sacra missione?*

I. Missiones (et exercitia spiritualia) sunt media valde efficacia ut paroecia melioretur et magna mala eliminentur, dummodo tamen bene peragantur, et parochus postea fructum conservare satagat.

II. Ad missiones procurandas parochus sub gravi teneri posset in tribus casibus. 1° Si iam necessariae essent ad supplendum eiusdem defectui, v. g. propter senium, habitualement infirmitatem etc.; maxime vero ad reparanda mala ex eiusdem negligentia vel scandalo orta; atque ad hoc ab Episcopo ipso cogi posset. 2° Si, non obstante eiusdem capacitate et diligentia, magnae inordinationes in paroecia adessent, atque ad sustinendas expensas media non deficerent. 3° Si ad satisfaciendum oneri alicuius legati missio periodice advocari deberet.

De re ista diffuso sermone egi in casibus conscientiae *an. 1893*, et in opusculo cui titulus *Discorso sulle sacre missioni*.

## CAPUT V.

### De speciali puerorum et iuvenum cura.

#### ARTICULUS I.

##### *De cura puerorum.*

148. *Quid imprimis est generatim advertendum?*

I. Plures parochi hac in re sunt valde negligentes: catechismum enim vel parum vel non bene faciunt.

II. Attamen cura puerorum valde cordi eis esse deberet; agitur enim 1° de fructu facili, non enim adhuc obstant praedicia, passionis, et reluctantiae sicut in adultis. 2° Agitur de fructu pretiosissimo; parochus enim ordinarie facile habebit pueros a sexto anno usque ad duodecimum, atque ita tempore satis diuturno; si bene et cum zelo partes suas praestet, tale ac tantum religionis fundamentum in iisdem efficere poterit, ut illos revera salvandi confidere valeat. 3° Agitur de obligatione gravissima, quae certe absque peccato mortali negligi nequit. Pius IX (*Encycl. Nostris*) dicit: « Eamque instructionem (puerorum) ad graviores sui muneris partes omnino pertinere meminerint (parochi) ». 4° Agitur de obligatione quae specialissimo modo urget diebus nostris; si enim iuvenes in fide et bonis moribus non fundentur, et contra mundi pericula non praemuniantur donec christianam doctrinam frequentare debent, nonne certo certius gliscentis incredulitatis et impiarum sectarum victimae evadent; et tunc quidnam ad illos salvandos facere poterit parochus?

III. Ut autem parochi optatum finem assequantur et muneri suo satisficiant, debent 1° pueros instruere; 2° alia quoque praestare, ut quantum oportet de illis curam habeant.



*De instructione pueris suppeditanda.*

Tractanda sunt sequentia. 1. Catechismus pueris quibusnam diebus tradi debeat? 2. Quantum durare? 3. Qua aetate sint pueri advocandi? 4. De modis adhibendis ut pueri bona voluntate respondeant. 5. De mediis particularibus ut interveniant. 6. De mediis ut attentionem praesentent. 7. De mediis ut facilius addiscant formulas. 8. De necessitate explicationis, et de modo illam perficiendi. 9. An in parochis obligatio catechizandi pueros sit personalis?

149. *Quibusnam diebus catechismus pueris tradi debeat?*

I. Trid. (XXIV. iv) dicit: « Saltem dominicis et aliis « festivis diebus ». Servandae sunt etiam leges vel consuetudines dioecesanae v. g. ad parandos pueros sive ad sacramentum confirmationis, sive ad primam communionem.

II. Consuetudo se limitandi ad solos dies dominicos pro corruptela haberi debet, nisi ex consuetudine defectus suppleatur, v. g. in diebus ferialibus quadragesimae.

III. Non dantur vacationes; nec profecto quidquid valet consuetudo doctrinam christianam omittendi praetextu sive brevitatis dierum, sive (nisi forte ruri diebus messis praecise) laborum ruralium. Decisum a S. C. C. apud Lucidi (II. ix 101).

150. *Quantum temporis spatium in catechismo insumendum?* Pendet a numero puerorum aliisque circumstantiis, sed generatim una hora circiter.

151. *Qua aetate pueri advocari debent?* Ab usu rationis (et facile ante septennium), tunc enim ad actus virtutum theologalium, atque ad observantiam legis Dei et Ecclesiae teneri, nec non sacramento poenitentiae indigere incipiunt. Regulariter autem non prius quam annum duodecimum compleverint, erunt dimittendi; ut scilicet in christiana doctrina satis fundari, et praemuniri possint. Caeterum observandae sunt consuetudines dioecesanae, quae alicubi exigunt ut diuturniori tempore adolescentuli cate-

chismum frequentent, dum prius pro una vice, et dein pro principalibus solemnitatibus ad communionem admittantur, donec ultimo anno ad catechismum venire teneantur solum in quadragesima, et postea (prorsus approbati) ad sacramentum mensam pro libitu accedere valeant.

152. *Quid de mediis praecipuis ut pueri bona voluntate respondeant?* 1<sup>o</sup> Imprimis curet parochus ut percipiant quid sit doctrina christiana; quomodo scilicet distinguatur a scholis profanis, quatenus agitur de verbo Dei, et de via salutis aeternae. 2<sup>o</sup> Bonis modis procedat. 3<sup>o</sup> Aemulationem excitare satagat; in quem finem (iustitia semper et debita discretionem servata) distinctiones, laudes, munuscula, maxime vero publica praemiorum distributio (post examen singulis annis), valde deserviunt. Quoad haec praemia, bene esset si in decursu anni distribuerebantur singulis vicibus puncta bona ab hoc vel illo promerita propriis genitoris ostendenda, atque ad praemii regulam desumendam in fine anni. Praemia non solum pro scientia, sed etiam pro diligentia, attentione, devotione etc. assignari debent. Non plurima sint, sed nequidem ita pauca ut paucissimi illa sperare possint. Non in pecunia aut dulcariis; sed in imaginibus, coronis, numismatibus etc. maxime vero in libris devotis, consistant. Ad excitandam aemulationem iuvat quoque, si, puero grandiore respondere nesciente, parochus efficiat ut puer minoris aetatis (quem magis instructum dignoscit) respondeat. 4<sup>o</sup> Valde deservit etiam si pueri moneantur, quod, nisi bene se gerant vel talem an talem catechismi partem bene didicerint, ad Confirmationem, vel Communionem non admittentur etc.

153. *In particulari quaenam industriae deserviunt ut pueri assidue et libenter interveniant?* 1<sup>o</sup> Hora eis magis commoda eligatur. 2<sup>o</sup> Eorum elenchus quotannis conficiatur, singulis vicibus advocentur, et qui desunt notentur; aut quotannis cuilibet puero libellus tribuatur, qui singulis vicibus ad Ecclesiam portetur, in eoque (ad interventus testimonium) finito catechismo parochiale sigil-

lum imprimatur. Quid de parochis qui nesciunt quidem quot pueros edocendi sint? Nunquid ita ignorant quot agnos in ovili habeant? 3<sup>o</sup> A percussioibus, vituperiis, publicis irrisioibus etc., quae tam pueris quam genitoribus odiosissima sunt, parochus abstineat; sed ad obtinendum silentium atque attentionem, aliis mediis, quae non desunt, ut infra explicabitur, utatur. 4<sup>o</sup> Non permittat ut unus contra alium delationes publice sibi faciat. 5<sup>o</sup> Si divites concurrant, eos cum plebeis et sordidis non confundat. 6<sup>o</sup> Quae pueris placent adhibeat; cuiusmodi sunt speciatim boni modi; laudes et praemia iuxta meritum, aut sortitio (quae plurimum iuvat) nonnullorum munusculorum (pro interventu) singulis vicibus; cantica spiritualia; exempla etc. 7<sup>o</sup> Nihil dico de admonitionibus sive in genere, sive in particulari quoad genitores, sive obsecrando, sive etiam increpando et comminando (iuxta prudentiam), si forte in mittendis filiis ad catechismum negligentes essent.

154. Potestne parochus facile condescendere genitoribus, qui dicunt se non mittere filios ad Ecclesiam, sed instruere illos per se ipsos, vel per magistros? Negative; instructio enim, quae a personis saecularibus datur, magisterium Ecclesiae supplere non potest; pueri enim ex una parte in sacerdotibus (non item in saecularibus) vocem Dei venerantur; et ex alia explicationes (in quibus solis vera instructio consistit, ut infra videbimus) aut nullas, aut insufficientes, aut, cum erroribus commixtas habituri essent. Parochus itaque curabit ut pueri ad se mittantur. Intellege quantum fieri potest, in civitatibus enim a divitibus et nobilibus ordinarie apud nos hoc obtineri nequit.

155. Quamvis autem genitores dicerent, se mittere filios ad alios parochos vel sacerdotes, nequiret parochus facile acquiescere. Patet quia 1<sup>o</sup> Valde expedit ut parochiani iam inde a pueritia ad paroeciam propriam accedere se assuescant. 2<sup>o</sup> Si pueri ad ecclesiam propriam accedunt, parochus de accessu ipso eiusque assiduitate certam notitiam habebit; secus, ut plurimum, in incertitudine ver-

sabitur. 3<sup>o</sup> Pueri maiorem parochi proprii timorem (et proinde maiorem addiscendi curam) habere solent. Familiae quoque magis curabunt ut filii ad catechismum accedant, ne de negligentia a parochi proprio redarguantur. Adde quod parochi proprii maiorem parochianorum suorum curam habere solent. 4<sup>o</sup> Parochus de facto suo, nempe de diligentia in istruendis pueris, nec non de instructionis ordine, copia et perfectione, certus erit: sed non ita (ut plurimum) quomodo alii se gerant cognoscere poterit. 5<sup>o</sup> De hoc extat responsio S. C. C. ad Card. Lambertini. Excipe nisi, attentis circumstantiis (v. g. difficultate itineris) omnino expediret ut facultas adeundi aliam paroeciam vel habendi instructionem ab alio sacerdote (saltem sub conditione ut identidem propria paroecia adeatur) tribueretur. Cf. *Casus Consc. 1884 (Cas. 1 in fin.)*.

156. *Quid de mediis ut pueri non evagentur et attentionem praestent?* 1<sup>o</sup> Pueri sedeant. 2<sup>o</sup> Sedilia (si fieri possit) ita collocentur, ut pueri nec tam facile ad ecclesiae ianuam oculos vertant, nec invicem se inspiciant. 3<sup>o</sup> Ad minus tres classes efformentur, et (si fieri possit) unaquaeque in locis separatis proprium instructorem (quoad formulas) habeat. Pueri 6-8 annorum in infima; 9-10 in media; 11-12 in superiore classe regulariter constituentur. 4<sup>o</sup> Instructor non deambulet, sed eo loco se collocet ut semper unico intuitu pueros omnes inspicere possit. 5<sup>o</sup> In exigendo silentio firmissimum se demonstret. 6<sup>o</sup> Si quem paullisper evagatum deprehendat, nulla interiecta mora, illum ad attentionem revocet. 7<sup>o</sup> Si quoad aliquem id non invet, illum in loco separato aut prope se collocet. 8<sup>o</sup> Benevoluntatem se ostendat, sed gravitatem praeseferat; ita ut pueri, dum illum amant etiam timeant ac vereantur. 9<sup>o</sup> Catechismum explicando, ad modum non concionis sed dialogi procedat, pueros scilicet interrogando, ita ut fere ex continuis interrogationibus et responsionibus tota instructio perficiatur (Hoc monitum magni momenti, et, pene dixerim, prorsus substantiale est). 10<sup>o</sup> Interrogatio-

nes ad pueros omnes in globo dirigantur, ita tamen ut non omnes respondere debeant; sed exigatur ut hic vel ille respondeat (ordine non servato), atque etiam interdum exigendo responsum ab illis qui paullo antea responderunt, saepiusque interrogando eos qui facilius evagantur. 11<sup>o</sup> Instructio sit brevis, et proinde succus attendatur et vana eruditio resecetur. 12<sup>o</sup> Denique exempla, similitudines, sermonis claritas et familiaritas, laudes, praemia etc. sicut deserviunt ut pueri libenter adveniant, sic proderunt ut attentionem praestent.

157. *Quid de mediis ut pueri bene addiscant formulas?* 1<sup>o</sup> Unicuique classi propria materia intra duos annos evolvenda, repetenda et perfecte addiscenda, designetur. 2<sup>o</sup> Utendum catechismo dioecesano. 3<sup>o</sup> Curandum ut qui legere sciunt, catechismum ipsum domi habeant; ut sic citius illum memoriae mandent. 4<sup>o</sup> Curandum ut in familiis zelus docendi catechismum promoveatur. 5<sup>o</sup> Pauca intra eandem diem Instructor doceat; ordinatim procedat; nec transeat ad sequentem interrogationem, nisi maior puerorum pars bene responderit ad praecedentem. 6<sup>o</sup> Responsum ipse prius enuntiet; postea efficiat ut omnes in globo illam secum clare et distincte iterum iterumque repetant; dein singulos (ut supra n. 156. 10) interroget; atque denuo omnes in globo etc. 7<sup>o</sup> Sub initio catechismi repetantur interrogationes Dominicae praecedentis; et in fine proponatur materia Dominicae sequentis. Sed aliqua ex istis expedit ut sequenti modo melius declarentur.

158. Unicuique classi proprius magister vel propria magistra praeficiatur. In parvis paroeciis magister pro masculis et magistra pro foeminis; imo magistrae etiam pro masculis (parvulis) deservire possunt. In magnis paroeciis oportet ut unaquaeque classis subdividatur, et cuilibet subdivisioni magister vel magistra assignetur. Destinanda sunt loca aptiora ne confusio oriatur. Expedire solet etiam (speciatim in civitatibus et oppidis) ut prius fiat catechismus pueris classium inferiorum, quibus dimissis, classis superior adveniat.

Oportet ut magistri nedum bene sciant interrogationes et responsiones, sed etiam debitas cautelas habeant et in omnibus bene se gerant. Quatenus itaque opus sit, parochus illos prius doceat, et quomodo res procedant invigilet.

159. Magistri vel magistrae quomodo inveniuntur? Praeter parochi ipsius vicarium, deservire valent 1. Clerici; imo et sacerdotes alia officia incompatibilia non habentes, qui advocari (imo etiam ab Episcopo, ut ostendit *Mo-*

*nitore XIII. 519.* obligari) possunt. 2. Boni iuvenes (quoad masculos) alique boni laici (maxime ex illis qui ad comitatum parochialem pertinent). 3. Illae bonae puellae quae melius aliis christianam doctrinam didicerunt, vel aliae piae foeminae, quae (ut experientia patet) faciliter inveniuntur et optime deservire solent. N. B. His magistris parochus sive de proprio, sive concurrente dicto comitatu, praemia aliqua tribuat. Insuper illis significet indulgentias quae a Romanis Pontificibus, pro docenda doctrina christiana, concessae fuerunt.

160. Quam male se gerant parochi, qui docent catechismum a se ipsis confectum, ostendi in *Casibus conscientiae* (an. 1895 pag. 80). Ad uniformitatem et securitatem, optandum ut catechismus pro tribus praedictis puerorum classibus, et alter magis copiosus pro adultis, summa cura conficerentur, atque (ut erat in votis Concilii Vaticani) in toto Orbe Catholico adhiberentur. Sed nunc saltem oportebit ut catechismus, sive provincialis sive dioecesanus a proprio Episcopo designatus (aliis prorsus exclusis) a parochis omnibus adhibeatur; et bene compactus (gall. *relié*) a typographis exeat, et in familiis omnibus inveniat.

161. *Quid de necessitate explicationis et de modo illam perficiendi?*

I. Quod parochi ad explicationem istam vere obligentur, patet ex Bened. XIV (Const. *Etsi minime*), et ex ipsa rei natura. Formulae sunt nucleus evolvendas et semen irrigandum; et plurima in solis formulis expressa pueri nullatenus intelligerent, illaque sicut echo vel psittacus repeterent. Panis non frangeretur, et nequidem ostenderetur, sed (ut bene dicit P. Segneri, *Par. istr.*) traderetur clausus in capsula, quin miseri pueri illius clavem habeant. Omissio itaque explicationis (quoad fidem, legem Dei et Ecclesiae, nec non quoad sacramenta aliaque media salutis) sine dubio non leve sed mortale peccatum constitueret.

II. Explicatio autem non utcumque sed sequenti modo peragi debet. 1<sup>o</sup> Non sufficit suggestum ascendere et instructionem ad populum facere, quamvis tunc pueri quoque praesentes essent. Explicatio pueris facta populo quoque (si praesens sit) deservire potest; sed non viceversa. Instructio ad modum concionis fere nihil pueris deservit. 2<sup>o</sup> Summam claritatem tum quoad ideas et rationes, tum quoad verba, parochus servet. 3<sup>o</sup> Explicationem valde dividat, atque (ut ita dicam) panem per frustula porrigat; unde (ut supra dicebam) ad modum dialogi (et quidem minuti) procedat; semperque curet ut, quod pueri sensum bene intellexerint, tutus evadat. 4<sup>o</sup> In hunc finem saepe

oportet ipsam interrogationem principalem explicare. 5<sup>o</sup> Postquam puer interrogatus responderit ad sensum sive bene sive male, parochus interroget alium dicendo: *Quid tibi videtur? Rectene respondit?* Dein declaret an bene an vero male responsum fuerit; et, si male, dicat quomodo respondendum fuisset; et, si opus sit, rem melius explicet. Denique eadem super re plures pueros interroget; donec certus evaserit quod omnes satis intellexerint.

III. Sed tenebiturne parochus singulis vicibus explicationem facere singulis classibus? Supponendo illum esse solum, nec alios habere pro explicationibus idoneos, respondeo quod si hunc laborem suscipere posset et reapse susciperet, valde esset laudandus; sed bonum effectum sufficienter obtineret, si singulis vicibus pueris classis superioris instructionem faceret; seriam scilicet et completam instructionem tum circa fidem, tum circa legem Dei et Ecclesiae, tum circa media salutis (sacramenta, orationem etc.) intra biennium eis tribuendo. Imo (in rigore) non esset culpandus parochus, si dictis pueris classis superioris aliqua rara vice explicationem non faceret; dummodo in substantia efficeret, ut (secluso periculo hallucinationis in re tanti momenti) circa omnia praedicta sufficienter instructi remanerent.

IV. Dices: Nunquid ergo parochus a quavis explicatione facienda pueris classium inferiorum se eximere poterit? Negative. Res enim magis necessariae, quoad fidem, mores, et media salutis, eis quoque explicari debent. Id autem praestabit parochus 1<sup>o</sup> dum ad sacramentum confirmationis illos praeparat; 2<sup>o</sup> identidem infra annum, nempe illis raris vicibus in quibus classi superiori explicationem (ut supra) non faceret; et praecipue statim post Pascha, ut ipsi quoque ad confessionem annuam disponantur; 3<sup>o</sup> designando aliqua documenta magis necessaria, quae a magistris (iis classibus praepositis) pueris saepe commemorentur.

162. *Obligatio catechizandi pueros estne personalis, an vero posset parochus id muneris aliis committere?* Quoad formulas certe potest parochus aliena opera uti; dummodo sit certus quod bene praestetur. Quoad explicationem vero, iuxta praesentem disciplinam, obligatio est parochi personalis. Patet ex declaratione Inn. XI dicentis: « Teneri per se ipsos docere (pueros) ». Cf. Lucidi (*I. n. 338*). Si sit impeditus, curet ut sacerdos bene instructus eiusdem vices suppleat; sed ordinarie clericis non fidat.

163. *Quid si ob paroeciae vastitatem oporteret ut aliqua puerorum pars alibi instrueretur?* Tunc etiam parochus non omnino eximeretur ab illorum puerorum instructione; sed identidem, et speciatim occasione admittendi eos ad Confirmationem atque ad primam Communionem, eos non solum quoad formulas, sed etiam (imo praecipue) quoad sensum, instruere vel examinare deberet.

Idem dic de pueris divitibus, qui alicubi solum ea occasione ad parochum mitti solent. Cf. Benedicto XIV Const. *Etsi minime*.

164. *Estne curandum ut magistri in scholis laicis catechismum doceant?* Affirmative, sed solum quoad formulas, non vero quoad explicationes, periculum enim esset ne sive ex ignorantia, sive etiam quandoque ex malitia et ex falsis principiis, quibus (speciatim hodie) imbuti esse possunt, errores et quidem gravissimos tradituri essent.

PUNCTUM II.

*De cura quae (praeter instructionem) puerorum haberi debet.*

165. *Sufficitne curare ut pueri catechismum addiscant?* Negative: bene vero oportet etiam 1<sup>o</sup> Cavere ne occasione catechismi in aliquod spirituale offendiculum incurrant. 2<sup>o</sup> Procurare ut iam inde ab illis teneris annis vitia declinent, virtutes exercent, et uno verbo in vita

vere christiana assuefieri incipiant. 3<sup>o</sup> Satagere ut bene faciant primam communionem. 4<sup>o</sup> Antequam catechismum frequentare cessent, perseverantiae consulere, atque illos, quantum fieri potest, in tuto ponere.

166. *Quomodo cavebit parochus, ne pueri occasione catechismi in aliquod spirituale offendiculum incurrant?*

1<sup>o</sup> Explicationes, quae spectarent ad sacramentum matrimonii, virginitatem Mariae SS. mae et sextum praeceptum, qua parte in malitiam conicere possent, praetermittat. Dixi *qua parte*; oportet enim summopere ut pueri etiam contra peccata in materia sexti praemuniantur. Sed hoc ita praestari debet, ut, si adhuc innocentes sint, malitiam non addiscant; quod obtinetur loquendo in genere de signis (e. g. erubescitiae, timoris punitiois etc.), quibus dignoscitur aliquid esse malum et peccatum. 2<sup>o</sup> Loquendo de defectibus qui ordinarie solent esse veniales, caveat ne istorum malitiam ita exaggeret, ut pueri exinde colligere possint esse mortales. 3<sup>o</sup> Non solum pueros a puellis separatos servet, sed etiam curet ne in sedilibus ita collocentur, ut illi istas in facie conspiciant. 4<sup>o</sup> Dum ad Ecclesiam venire incipiunt, curandum ut aliquis sit praesens eisque invigilet, ne in ipsa Ecclesia aliquid mali faciant, maxime vero ne duo eodem tempore ad loca secreta se conferant. 5<sup>o</sup> Curandum est etiam ne extra Ecclesiam, dum ad catechismum veniunt aut ab illo recedunt, per viam immorentur. Monita hac de re pueris, et aliquando genitoribus dentur. Ruri aliqui boni parochi exigunt, ut pueri processionaliter et recitando rosarium veniant et redeant, aliquo cum cruce praecedente. Certe optima regula est prius foeminas, et dein solum circiter post horae quadrantem masculos domum mittere. Bona regula est etiam (intellige semper ruri) campanae sonitu significare genitoribus catechismum esse finitum, ut, si forte pueri in via immorentur, id cognoscere eosque punire possint. 6<sup>o</sup> Puellae, speciatim grandiores, clericis instruendae non dentur.

167. *Quomodo procurabit parochus, ut pueri iam inde a teneris annis vitia declinent, virtutes exercent, et vitae vere christiana assuefieri incipiant?*

1<sup>o</sup> Aliquod monitum maioris momenti (modo circa peccati eiusque occasionis fugam; modo circa poenitentiam post peccatum; modo circa orationes matutinas et vespertinas maxime vero recursum ad Deum adveniente tentatione: modo circa memoriam praesentiae Dei et aeternarum veritatum; modo circa frequentiam sacramentorum etc.) antequam discedant, semper vel fere semper illis dabit. 2<sup>o</sup> In exhortationibus non remisse sed ita ferventer loquatur, ut pueri etiam ex eius vultu, voce, gestibus etc. cognoscant quod ex corde loquitur et de rebus magni momenti agitur; neque solum intellectu addiscant sed etiam affectu moveantur. 3<sup>o</sup> Explicando catechismum, pro re nata, ad applicationes practicas (etsi breviter) descendat. Explicat v. g. dogmata de inferno, et de purgatorio? Dicat: Quis ibit in infernum?... Quis in purgatorium?... 4<sup>o</sup> In ipsis correctionibus advertentias morales immisceat (v. g. itane timorem Dei habes?... Nonne scis quod Ecclesia est domus Dei etc.?) 5<sup>o</sup> Efficiat ut in Ecclesia sint non solum devoti, sed semper occupati in piis exercitiis; v. g. visitando SS. mum Sacramentum, peragendo *Viam Crucis*. Efficiat speciatim ut Missam reverenter audiant, rosarium recitando, aut librum devotum legendo. Efficiat praecipue ut ad confessionem iam inde ab anno septimo frequenter accedant; ad quod obtinendum optime deserviret, si quolibet mense fixus designaretur dies, in quo (post Missam parochialem) omnes (non adhuc ad communionem admissi) ad confessionem (piis foeminis eos praeparantibus et pluribus se praestantibus confessariis), accedere possent. 6<sup>o</sup> Si parochus exercitia spiritualia aut missionem parociae procuraret, valde expediret ut pueri separatim a populo advocarentur.

168. *Quid notandum circa primam communionem?*

1<sup>o</sup> Apud nos generatim (saltem ruri) expedire non solet ut pueri ad primam communionem admittantur, nisi prius

catechismum didicerint; frustra enim speraretur ut illum postea addicerent. Ad summum admitti poterunt pro una vice, persoluto primo anno in classe superiori, dum (nisi alia, ut supra *n. 151*, esset Dioecesis consuetudo) admittentur absolute in fine secundi anni (Cf. Bened. XIV Const. *Etsi minime*). Attamen, si iam adolescere inciperent (nec quidquam melius sperari posset) admittendi essent ad communionem, etsi adhuc catechismum non bene didicissent. Certe non ultra an. 14 differendum. Frassinetti (*Man. n. 335*). 2<sup>o</sup> Uno anno priusquam ad communionem admittantur, expedit admonere illos ut in talem finem frequentia maiori (v. g. bis in mense) ad confessionem accedant. 3<sup>o</sup> Duabus vel tribus hebdomadis ante primam communionem quotidie ad Ecclesiam vocentur, et speciatim instruuntur circa ea quae ad hoc sacramentum spectant. 4<sup>o</sup> Triduo proxime praecedenti curet parochus ut exercitia spiritualia eis suppeditentur, cum exhortatione ut non iam consuetam, sed generalem confessionem peragant, nullum grave peccatum ex verecundia reticendo. 5<sup>o</sup> Expedit ut confessarius non eiusdem loci eorum confessiones audiat. 6<sup>o</sup> Non expedit ut moneantur de venia petenda genitoribus. 7<sup>o</sup> Sacra functio cum pompa (quantum poterit) peragatur. 8<sup>o</sup> Curandum ut eidem functioni puerorum genitores intersint, qui ferventissime adhortandi sunt ut illos a periculis custodiant. 9<sup>o</sup> Denique pro memoria diei adeo sollemnis (qui expedit ut sit festivus etiam in familia) munusculum pueris dare convenit.

169. *Quomodo parochus, antequam adolescentuli catechismum frequentare cessent, consulet perseverantiae, eosque, quantum fieri poterit, in tuto collocabit?* Duo sunt necessaria.

Primum quod non iam perfructorie una vel altera vice, sed modo qui magnam impressionem faciat, loquatur cum illis de necessitate perseverandi et ducendi totam vitam in timore Dei, simulque de tentationibus et periculis evitandis, atque de mediis adhibendis ut salutem aeternam

assequi valeant. Die autem primae communionis, vividissime haec illis illorumque genitoribus repetantur.

Secundum est quod, si in loco adsit (vel fundari possit) aliquod institutum vel aliqua pia unio, quae iuvenibus maiorem securitatem suppeditet, parochus curet ut eidem nomen dent. Sed de re ista paullo infra sermo redibit.

## Appendix

*De quibusdam aliis in doctrina christiana edocendis, et speciatim de surdo-mutis.*

170. *Potestne contingere quod parochus teneatur docere vel examinare in particulari alios quoque praeter pueros?* Affirmative; scilicet 1<sup>o</sup> sponso ante matrimonii publicationes; 2<sup>o</sup> poenitentes de quibus animadvertat vel dubitet quod necessaria ignorent; 3<sup>o</sup> si in paroecia adesset aliquis, qui ex una parte ad Ecclesiam nunquam venire posset, et ex alia instructione indigeret, eamque a parochi suo libenter excepturus esset. Cf. Bened. XIV Const. *Etsi minime*; S. Lig. (*Hom. ap. VII 35*), D' Annib. (*III 519*), Lehmkuhl, Croix etc.

171. *Quid de surdo-mutis?* Surdo-mutus ex una parte est doli capax, et quidem probabiliter peccato mortali gratiam Dei amittere potest; et ex alia maximum subit periculum, ne divinae revelationis ideâ, et proinde fide actuali et iustificatione post culpam, perpetuo careat. Facile quidem actus religionis exercebit et fortasse magnae devotionis signa dabit; sed maxime verendum est, ne rerum sacrarum sensum non percipiat, et ex mero imitationis instinctu omnia peragat. Quidam surdo-mutus credebatur crucifixum esse facinorosum ob sua delicta ita punitum! Curabit itaque parochus ut surdo-mutus iuxta modernas methodos verba scripta intelligat; sic enim ope scripturae tuto et sufficienter de omnibus rebus fidei et religionis

intrui poterit. Si autem id fieri nequeat, tunc curabit ut a matre (quae forsitan aliis omnibus aptior erit) instruat, attamen sub sua directione, et (saltem identidem) se praesente. Instructio autem dabitur ope gestuum et imaginum, modo sequenti. Imprimis dabitur surdo-muto aliqua idea Dei, ope imaginis SS. mae Trinitatis (in qua tamen Filius non repraesentetur ut crucifixus; quae idea opportunius dabitur ei postea). Dein curandum ut intelligat aliquo modo non solum tres illas Personas esse unum Deum, sed etiam Deum creasse coelum et terram (deserviet imago Aeterni Patris exequentis creationem, indicando quod omnia ab illo facta fuerunt). Postea ei significabitur Deum esse infinite bonum, hominum amantissimum, sapientissimum et veracissimum. Dein dabitur ei idea Dei loquentis cum hominibus et dicentis 1° Bonum esse faciendum, et malum (v. g. furtum, homicidium, mendacium etc.) esse vitandum. 2° adesse paradisum (seu locum delitiosissimum in coelo) pro bonis; et infernum (seu locum ignis et tormentorum sub terra) pro malis. 3° Filium Dei descendisse in Mariam Virginem, et ex ea natum fuisse etc., ut tandem moreretur in cruce ad paradisum nobis aperiendum (Deserviunt imagines, quae nativatem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem et ascensionem D. N. I. Christi, atque iterum SS. mam Trinitatem, repraesentant, curando ut surdo-mutus semper intelligat Christum esse Deum). 4° Deum condonare nobis peccata, si ea detestemur eaque amplius committere non velimus, atque sacerdoti confiteamur. 5° Dominum N. I. C. esse in hostia consecrata.

Supposita hac instructione, surdo-mutus non solum absolvi poterit (saltem sub conditione) toties quoties sua peccata confitebitur; sed etiam ad Communionem poterit admitti; et, uno verbo, non erit cur ab aliis christifidelibus distinguatur. Cf. Roetti, *Del Vecchio* (I. 285), et Frassinetti (*Man. in fin.*).

## ARTICULUS II.

*De cura iuventutis.*

172. *Debentne parochi specialem iuvenum curam habere?* Loquendo (apud nos) de masculis in civitatibus et oppidis (et alicubi etiam ruri), affirmative. Patet enim ab experientia quod adolescentuli (masculi), postquam ab primam Communionem admissi fuerint, maxima ex parte Ecclesiam et actus religiosos deserunt et iam vix duo vel tres pro centum Missam diebus festis audire et praecepto paschali satisfacere pergunt. Fere omnes rationalistae, materialistae, athei evadunt, et sic amissa fide, vitiis quoque quaquaversus habenas solvunt. Plurimi insuper sectis massonicis, vel socialisticis, vel anarchicis nomen dant. Plures denique nedum totalem in vita et in morte apostasiam profitentur, sed etiam alios in eandem ruinam conicere satagunt, et contra religionem odio acerrimo aestuantes quidquid mali eidem inferri nituntur. Homines huiusce generis evadent vel patres-familias, vel rectores officinarum et opificiorum, vel divites multas sub se familias habentes, vel magistri, vel professores in Universitatibus, vel scriptores diariorum, vel dominationem exercentes sive in Municipiis, sive in Locis Piis, sive in Exercita, sive in Gubernio. Sic autem malum ex iisdem proventarum quis aestimare poterit? Agitur profecto de malo adeo magno, ut si aliquo medio satis facili ei occurrere possit, utique erit adhibendum. Sed medium huiusmodi non deest, et de illo egi in opusculo nuper in lucem edito, cui titulus: *De iuventute ab hodierna incredulitate praeservanda*. In illo diffuso sermone de re ista egi; sed hic breviter puncta principalia expono, et sic dico.

173. I. Si in loco iam adesset Opera, quae appellatur *Praeservationis fidei*, et proinde adessent *Consilia dire-*

intrui poterit. Si autem id fieri nequeat, tunc curabit ut a matre (quae forsitan aliis omnibus aptior erit) instruat, attamen sub sua directione, et (saltem identidem) se praesente. Instructio autem dabitur ope gestuum et imaginum, modo sequenti. Imprimis dabitur surdo-muto aliqua idea Dei, ope imaginis SS. mae Trinitatis (in qua tamen Filius non repraesentetur ut crucifixus; quae idea opportunius dabitur ei postea). Dein curandum ut intelligat aliquo modo non solum tres illas Personas esse unum Deum, sed etiam Deum creasse coelum et terram (deserviet imago Aeterni Patris exequentis creationem, indicando quod omnia ab illo facta fuerunt). Postea ei significabitur Deum esse infinite bonum, hominum amantissimum, sapientissimum et veracissimum. Dein dabitur ei idea Dei loquentis cum hominibus et dicentis 1° Bonum esse faciendum, et malum (v. g. furtum, homicidium, mendacium etc.) esse vitandum. 2° adesse paradisum (seu locum delitiosissimum in coelo) pro bonis; et infernum (seu locum ignis et tormentorum sub terra) pro malis. 3° Filium Dei descendisse in Mariam Virginem, et ex ea natum fuisse etc., ut tandem moreretur in cruce ad paradisum nobis aperiendum (Deserviunt imagines, quae nativatem, miracula, passionem, mortem, resurrectionem et ascensionem D. N. I. Christi, atque iterum SS. mam Trinitatem, repraesentant, curando ut surdo-mutus semper intelligat Christum esse Deum). 4° Deum condonare nobis peccata, si ea detestemur eaque amplius committere non velimus, atque sacerdoti confiteamur. 5° Dominum N. I. C. esse in hostia consecrata.

Supposita hac instructione, surdo-mutus non solum absolvi poterit (saltem sub conditione) toties quoties sua peccata confitebitur; sed etiam ad Communionem poterit admitti; et, uno verbo, non erit cur ab aliis christifidelibus distinguatur. Cf. Roetti, *Del Vecchio* (I. 285), et Frassinetti (*Man. in fin.*).

## ARTICULUS II.

*De cura iuventutis.*

172. *Debentne parochi specialem iuvenum curam habere?* Loquendo (apud nos) de masculis in civitatibus et oppidis (et alicubi etiam ruri), affirmative. Patet enim ab experientia quod adolescentuli (masculi), postquam ab primam Communionem admissi fuerint, maxima ex parte Ecclesiam et actus religiosos deserunt et iam vix duo vel tres pro centum Missam diebus festis audire et praecepto paschali satisfacere pergunt. Fere omnes rationalistae, materialistae, athei evadunt, et sic amissa fide, vitiis quoque quaquaversus habenas solvunt. Plurimi insuper sectis massonicis, vel socialisticis, vel anarchicis nomen dant. Plures denique nedum totalem in vita et in morte apostasiam profitentur, sed etiam alios in eandem ruinam conicere satagunt, et contra religionem odio acerrimo aestuantes quidquid mali eidem inferri nituntur. Homines huiusce generis evadent vel patres-familias, vel rectores officinarum et opificiorum, vel divites multas sub se familias habentes, vel magistri, vel professores in Universitatibus, vel scriptores diariorum, vel dominationem exercentes sive in Municipiis, sive in Locis Piis, sive in Exercita, sive in Gubernio. Sic autem malum ex iisdem proventarum quis aestimare poterit? Agitur profecto de malo adeo magno, ut si aliquo medio satis facili ei occurrere possit, utique erit adhibendum. Sed medium huiusmodi non deest, et de illo egi in opusculo nuper in lucem edito, cui titulus: *De iuventute ab hodierna incredulitate praeservanda*. In illo diffuso sermone de re ista egi; sed hic breviter puncta principalia expono, et sic dico.

173. I. Si in loco iam adesset Opera, quae appellatur *Praeservationis fidei*, et proinde adessent *Consilia dire-*



*ctiva*, quae praeservationem iuventutis pro scopo praecipue habent; tunc medium omnino adhibendum Opera ipsa foret.

II. Si talis opera in loco non adesset nec facile institui posset, tunc oporteret distinguere; aliud enim esset si ageretur de civitate continente plures paroecias, et aliud si ageretur de paroecia unica (prout in parvis oppidis, in villis, et ruri contingere solet).

III. In primo casu, parochi, cum consensu Ordinarii, convenire deberent de fundando oratorio et recreatorio pro iuvenibus a duodecimo usque ad decimum octavum annum, cum congruis regulis et sub directione Commissionis. (Pro explicatione autem et solutione quarundam difficultatum, vide *opusc. cit.*)

IV. In secundo casu, ordinarie bene deservit aliquod pium sodalium. Attamen sedulo notandum quod sodalitia parum proderunt, si in celebranda aliqua annua festivitate solum consistant. Ut vere prosint, oportet ut, ex ipsius sodalitiis regula, singulis mensibus iuvenes ad sacramenta accedant, simulque coadunentur ut brevem sermonem eisdem accomodatum audiant. Dies designatus equidem pro puellis in oppidis et civitatibus poterit esse ferialis; sed adolescentuli ordinarie solum die festo coadunari poterunt.

Si autem quoad istos parochus sive per se sive per alium nedum semel in mense, sed singulis diebus festis, et maxime horis vespertinis (quae solent esse periculosiores) in ludis et exercitiis gymnasticis, non sine aliquibus bonis verbis familiaribus nonnullisque precibus et canticis spiritualibus, illos detinere posset: et multo magis si identidem aliquam refectiunculam (it. *merenda*) eis procuraret; hoc esset medium valde magis efficax ut maiori numero intervenirent. Iuvant etiam praemia, munuscula, deambulationes, aliaque (maxime tempore bacchanalium) honesta solatia.

V. Dices: Nonne semper melius erit ut adolescentes ad circulos catholicos aut alios similes conventus mittantur? Imprimis dicta aetate forsitan adhuc non acceptarentur; sed,

supposita etiam acceptatione, certe melius non esset omittere praedicta et solum ad eosdem circulos vel similes conventus illos mittere. Videndum esset insuper quomodo illuc res procederent. Quid enim si usque ad tardissimas noctis horas unusquisque illuc remanere posset? Quid si subinde puellae quoque invitarentur, et cum illis conversationes, cantus et ludus promiscue fierent? Quid si, dummodo vexillum sit catholicum, vix ulla de moribus consideratio haberetur? Contingere quippe potest vel quod in rebus quoque optimis abusus interveniant, vel quod ad impedienda mala maiora (nempe generalem transitum ad sectas) evaserit expediens ut in instituto catholico circumstantiae etiam periculosae permitterentur; quo casu institutum ipsum pro communitate quidem, sed non pro omnibus et singulis individuis, revera bonum et expediens esset.

## CAPUT VI.

### De Baptismo.

Agendum est 1. De instructione populi et obstetricum quoad baptismum. 2. De cura fontis baptismalis. 3. De baptismi administratione publica. 4. De casibus in quibus vel obstant difficultates ex parte parentum, vel necessaria sit administratio privata. 5. De inscriptione baptizatorum in proprio libro.

### ARTICULUS I.

*De instructione populi atque obstetricum quoad baptismum et de prima obligatione ministri baptismi.*

174. *Debetne parochus et quomodo instruere populum circa baptismum?* Affirmative. Instructio versabitur 1º Circa essentiam, effectus et necessitatem baptismi. 2º Quatenus opus sit, circa obligationem deferendi infantem ad sacrum fontem quamprimum (*Rituale*), scilicet ad summum intra triduum. 3º Circa obligationem et modum baptizandi infantem privatim si in mortis periculo versaretur, defe-

*ctiva*, quae praeservationem iuventutis pro scopo praecipue habent; tunc medium omnino adhibendum Opera ipsa foret.

II. Si talis opera in loco non adesset nec facile institui posset, tunc oporteret distinguere; aliud enim esset si ageretur de civitate continente plures paroecias, et aliud si ageretur de paroecia unica (prout in parvis oppidis, in villis, et ruri contingere solet).

III. In primo casu, parochi, cum consensu Ordinarii, convenire deberent de fundando oratorio et recreatorio pro iuvenibus a duodecimo usque ad decimum octavum annum, cum congruis regulis et sub directione Commissionis. (Pro explicatione autem et solutione quarundam difficultatum, vide *opusc. cit.*)

IV. In secundo casu, ordinarie bene deservit aliquod pium sodalium. Attamen sedulo notandum quod sodalitia parum proderunt, si in celebranda aliqua annua festivitate solum consistant. Ut vere prosint, oportet ut, ex ipsius sodalitiis regula, singulis mensibus iuvenes ad sacramenta accedant, simulque coadunentur ut brevem sermonem eisdem accomodatum audiant. Dies designatus equidem pro puellis in oppidis et civitatibus poterit esse ferialis; sed adolescentuli ordinarie solum die festo coadunari poterunt.

Si autem quoad istos parochus sive per se sive per alium nedum semel in mense, sed singulis diebus festis, et maxime horis vespertinis (quae solent esse periculosiores) in ludis et exercitiis gymnasticis, non sine aliquibus bonis verbis familiaribus nonnullisque precibus et canticis spiritualibus, illos detinere posset: et multo magis si identidem aliquam refecturiam (it. *merenda*) eis procuraret; hoc esset medium valde magis efficax ut maiori numero intervenirent. Iuvant etiam praemia, munuscula, deambulationes, aliaque (maxime tempore bacchanalium) honesta solatia.

V. Dices: Nonne semper melius erit ut adolescentes ad circulos catholicos aut alios similes conventus mittantur? Imprimis dicta aetate forsitan adhuc non acceptarentur; sed,

supposita etiam acceptatione, certe melius non esset omittere praedicta et solum ad eosdem circulos vel similes conventus illos mittere. Videndum esset insuper quomodo illuc res procederent. Quid enim si usque ad tardissimas noctis horas unusquisque illuc remanere posset? Quid si subinde puellae quoque invitarentur, et cum illis conversationes, cantus et ludus promiscue fierent? Quid si, dummodo vexillum sit catholicum, vix ulla de moribus consideratio haberetur? Contingere quippe potest vel quod in rebus quoque optimis abusus interveniant, vel quod ad impedienda mala maiora (nempe generalem transitum ad sectas) evaserit expediens ut in instituto catholico circumstantiae etiam periculosae permitterentur; quo casu institutum ipsum pro communitate quidem, sed non pro omnibus et singulis individuis, revera bonum et expediens esset.

## CAPUT VI.

### De Baptismo.

Agendum est 1. De instructione populi et obstetricum quoad baptismum. 2. De cura fontis baptismalis. 3. De baptismi administratione publica. 4. De casibus in quibus vel obstant difficultates ex parte parentum, vel necessaria sit administratio privata. 5. De inscriptione baptizatorum in proprio libro.

### ARTICULUS I.

*De instructione populi atque obstetricum quoad baptismum et de prima obligatione ministri baptismi.*

174. *Debetne parochus et quomodo instruere populum circa baptismum?* Affirmative. Instructio versabitur 1º Circa essentiam, effectus et necessitatem baptismi. 2º Quatenus opus sit, circa obligationem deferendi infantem ad sacrum fontem quamprimum (*Rituale*), scilicet ad summum intra triduum. 3º Circa obligationem et modum baptizandi infantem privatim si in mortis periculo versaretur, defe-

rendo postea illum, si supervivat, ad sacrum fontem pro caeremoniis. (Haec instructio repeti debet pluries singulis annis. Frassinetti *Man.* 294). 4<sup>o</sup> Circa paternos (qui per se vel per alium infantem teneant), eorumque munus, et cognitionem spiritualem constituentem impedimentum matrimonii, notando etiam non expedire uti obstetricibus quae fere omnes infantes nomine proprio teneant.

175. *Potestne parochus habere ullam obligationem circa obstetrices?* Utique; eas scilicet examinandi accurate 1<sup>o</sup> circa formam et materiam baptismi, notando speciatim ne unus proferat verba et alter aquam infundat. 2<sup>o</sup> Circa baptismum conferendum (saltem conditionate) foetibus abortivis, aut (in partu periculoso) adhuc existentibus in utero matris, aut monstruosis etc. Examen istud fieri debet a paroco proprio quoad illas quae nunc primum tale officium exercere volunt (nisi Episcopus aliter providerit), vel utcumque insurgente dubio. Imo quilibet alius baptismi minister examinare debet obstetricem dicentem se domi infantem baptizasse nisi intenta iam illius nota approbatione, peritia, religione et probitate, atque qualitate casus, de baptismo valide collato prorsus praesumendum sit (\*).

176. *Minister baptismi ad quid imprimis tenetur?* Legere et attente considerare regulas quae in Rituali exponuntur.

## ARTICULUS II.

### *De cura sacri fontis.*

177. *Si in paroecia adsit fons baptismalis, quomodo cura illius erit habenda?* Pro praxi, praeter dictam observationem Ritualis, dico solum quod singulis annis in

(\*) Libellum scriptum latine (*Examen obstetricum*) et italice (*Esame delle ostetrici*) in hunc finem composui.

Sabbato Sancto, nedum Paschatis sed etiam Pentecosten, aqua est renovanda et benedicenda; et quod curari debet mundities in omnibus, et speciatim in veste candida, superpelliceo, stolis, gossypio, sale (attrito et sicco), armario etc.

## ARTICULUS III.

### *De baptismi administratione publica.*

178. *Circa baptismi ad sacrum fontem administrationem, quatenus praecipue pro praxi notari debent?*

I. Si in paroecia adsit fons baptismalis, residentia strictius urget, atque exigit ut speciales cautelae adhibeantur, ad evitandum periculum ne, dum infantes deferuntur, sacerdos absit.

II. Si aqua esset nimis frigida, oporteret illam in vasculo ad id parato calefacere, vel admiscere cum alia calefacta, ne infantulo noceat.

III. Parochus facultatem baptizandi delegare potest facile alteri sacerdoti, sed non facile diacono (S. Lig. VI 116). Diaconus autem sic delegatus non salem benedicere, sed solum benedicto uti, posset. (S. R. C. n. 3684).

IV. Infantes alienae paroeciae baptizare interdicitur sub gravi. Excipe 1<sup>o</sup> si adesset consuetudo baptizandi indiscriminatim quotquot afferuntur; 2<sup>o</sup> si gravi de causa exceptio aliqua fieri deberet; significando postea in scriptis paroco infantis quod baptismus eidem collatus fuit.

V. Si diceretur, infantem fuisse domi baptizatum, caeremoniae essent quidem supplendae, sed baptismus denuo conferri non posset indiscriminatim. Conferri tamen deberet sub conditione 1<sup>o</sup> si, examine facto (ut supra n. 175), dubium non prorsus spernendum superesset; 2<sup>o</sup> si hic et nunc nullum examen fieri posset, et baptismum differre non expediret. Cf. Praxis (*Ed. III v. III n. 850*). Puer autem expositus esset baptizandus sub conditione, quamvis delatus fuisset cum schedula (non praeseferente plenam

certitudinem), quae diceret illum fuisse baptizatum. (*l. c. n. 852*).

VI. Id tantum quod de aliquo iam adulto ex catholicis nato fides baptismi non inveniretur, non constitueret dubium sufficiens ad illum baptizandum sub conditione, nisi ex aliis circumstantiis vere esset dubitandum; et tunc Episcopus consuli deberet (*l. c. 855*).

VII. Filius Protestantium, excepto periculo mortis, baptizari nequiret, nisi parentes in religione catholica illum educare promitterent. S. C. S. O. (*26 Ang. 1885 apud Acta XVIII 343*).

VIII. Si pater haereticus omnino vellet ut filius a ministro haeretico baptizaretur, mater autem catholica vellet ut prius ei conferretur baptismum a sacerdote catholico; tunc baptizari posset (Episcopo consulto) solum si baptismum haeretici futurum esset invalidum aut dubium. Del Vecchio (*II 445*).

#### ARTICULUS IV.

*De casibus in quibus vel obstant difficultates ex parte parentum, vel necessaria sit administratio privata.*

179. *Quid de difficultatibus, quae ex parte parentum intervenire possunt?*

I. Si pater impius pertinaciter nollet ut filius baptizaretur, sed mater consentiret, baptismus conferri posset (S. C. S. O. apud Collect. P. F. *n. 546*); sed caute vel privatim, et consulto Episcopo. Idem dicerem, si mortua matre, vel etiam utroque parente dissentiente, consentirent alii consanguinei, unde christianae educationis spes esset; ius enim habet Ecclesia baptizandi filios haereticorum vel apostatarum, eoque uti potest si adsit spes fructus, nec magis malum quam bonum oriturum sit. Cf. Genicot (*II 146-148*).

II. Si usus invaluisse levi de causa conferendi domi baptismum, etiam cum caeremoniis, de abusu (exceptis filiis principum) prudenter eliminando ageretur. S. R. C. (*27 Apr. 1877 n. 3418*).

III. Si parentes vellet, sive ex consuetudine sive causa expectandi paternos, pluribus hebdomadis vel etiam mensibus differre delationem infantis ad Ecclesiam, et con-

sentirent ut neonatus prius baptizaretur privatim; tunc quoque parentes male se gererent; sed, si omnino vellet tamdiu expectare, sic in gratiam non illorum sed infantis, baptismus ei conferri posset. S. C. C. (*14 Apr. 1894 apud Monitore VIII. II 100*).

IV. Si infantulo imponi vellet nomen alicuius impii et Ecclesiae persecutoris, nec dissuasiones valerent, non ideo baptismus esset recusandus, addito tamen submissa voce nomine alicuius Sancti (*l. c. 868*).

V. Si pro officio patrini praesentaretur notorius excommunicatus vel publicus peccator, hodie apud nos vix unquam invitatus repellere deberet, ordinarie enim sine ullo fructu mala provocarentur atque esset valde maius malum quam bonum; et iam apud nos de nemine repellendo consuetudo esse videtur. Cf. S. Lig. (*L. VI Tr. I C. II n. 54*).

VI. Si in loco adesset mos specialia signa laetitiae (v. g. per sonitum organi) in quibusdam casibus ostendendi, haec pro natis ex matrimonio mere civili adhiberi nequirent. *Prax. (l. c. n. 869)*.

VII. Si mulier gravida in periculo mortis versaretur, et iudicio medicorum adesset spes extrahendi foetum vivum, illa mortua, per operationem caesaream; tunc parochus curare deberet ut actu mortis medicus interveniret et operam suam praestaret, ad quam praestandam iuridice quoque cogi posset si foetus maturus foret aut saltem (septimo mense iam incepto) vitalis. Foetu autem sic detecto, baptizari deberet sive absolute sive (in dubio de vita) sub conditione. Si vero, mortua matre, medicus non adhuc praesens esset, venter defunctae calidus interim servari deberet. Caeterum parochus ab operatione adeo sibi indecenti per se exequenda certe abstinere deberet (S. C. S. O. apud *Praxim ed. III v. III n. 892*), et poenis quoque a lege civili comminatis subiici posset.

VIII. In partu difficili et stante periculo ne foetus ante nativitatem moriatur, parochus curabit ut ope siphonis vel similis instrumenti, vel spongiae, vel gossipii, vel

panniculi aqua imbuti, baptismus conferatur (et idem die si in matre viva operatio sive caesarea sive *Porro*, cum dicto periculo, perficeretur). Quamvis autem foetus in utero matris adhuc existens baptizatus fuisset, et quidem in capite, si vivus nasceretur denuo sub conditione baptizari deberet. Ita S. C. C. 12 Jul. 1794, et novissime 16 Mart. 1897 (apud Alberti *Theol. pastor. P. I n. 6 not. 2*).

## ARTICULUS V.

*De inscriptione baptizatorum in proprio libro.*

180. Hoc in puncto observanda sunt sequentia.

I. Probe cognoscantur regulae, quae prostant in Rituali (*Tit. Formulae scribendi etc.*).

II. Praeter librum consuetum, habeatur etiam liber notitiarum secretarum.

III. In libro consueto 1° filii coniugatae conviventis cum marito vel etiam a decem mensibus sive non conviventis cum illo sive viduae, scribantur sub nomine nedum matris ipsius sed etiam eiusdem mariti; nec ad quidquam in contrarium adducatur parochus attendat. 2° Filii ex matrimonio civili scribantur ut supra, sed cum adnotatione relativa. 3° Filii nati extra quodlibet matrimonium ex parentibus sive incognitis prorsus, sive suorum nominum inscriptioni nullatenus aut non certe consentientium, scribantur cum adnotatione *ex parentibus ignotis* vel *de domo Dei*. 4° Iidem filii illegitimi scribantur tamquam ex matre nota et patre ignoto si ille solus revera vel esset ignotus, vel posset denunciari mendaciter, vel inscriptioni sui nominis non certe et indubitanter consentiret. Si autem qui puerum deferunt, patrem quoque (non indubitanter consentientem) indicarent, tunc fiat adnotatio *vide librum notitiarum secretarum*, et in illo scribatur nomen patris, sed caute, dicendo v. g. *ut aiunt*, vel *ut reldum fuit*, vel *ut institerunt scribi etc.* Post inscriptionem autem infantis ille-

gitimi relinquatur spatium, ut prolis legitimatio, si forte in posterum subsequatur erit, adnotari valeat.

181. Solum autem in dicto libro notitiarum secretarum (qui etiam in parocciis quae sunt sine fonte baptismali esse deberet) scribantur infantes 1° baptizati occulte, quia pater baptismum consentire noluit; 2° baptizati, invitis parentibus, ab obstetrice v. g. quia in periculo mortis versari credebantur, et postea supervixerunt.

## CAPUT VII.

## De Sacramento Confirmationis.

182. *Quaenam sunt parochi circa sacramentum istud obligationes?* Debet instruere populum circa illius naturam, et effectus; circa obligationem illud suscipiendi; circa aetatem; dispositiones; patrilinos etc. Debet insuper specialem adhibere curam 1° (certiorem faciendo Episcopum) si in parocchia sua multi sine hoc sacramento iam adlescere inciperent; 2° si aliquis iam adultus non adhuc confirmatus esset (maxime occasione sacrae visitationis); 3° si puer esset moribundus, et Episcopus solitus esset ad privatas domos in hunc finem accedere, idque facile obtineri posset. Maxime autem debet 4° disponere pueros ad hoc sacramentum, speciatim occasione illius publicae administrationis. Debet denique 5° inscribere confirmatos in libro parochiali (si in Dioecesi talis esset consuetudo) iuxta formulam in Rituali praescriptam. Cf. Frassinetti (*Man. n. 302*).

## CAPUT VIII.

## De Sacramento Eucharistiae in Ecclesia administrando.

Agendum est 1. De instructione circa hoc sacramentum populo danda, et de cura ut fideles frequenter illud suscipiant. 2. De obligatione illud administrandi. 3. De casibus in quibus a sacra mensa aliqui impediri aut repelli possunt vel debent.

panniculi aqua imbuti, baptismus conferatur (et idem die si in matre viva operatio sive caesarea sive *Porro*, cum dicto periculo, perficeretur). Quamvis autem foetus in utero matris adhuc existens baptizatus fuisset, et quidem in capite, si vivus nasceretur denuo sub conditione baptizari deberet. Ita S. C. C. 12 Jul. 1794, et novissime 16 Mart. 1897 (apud Alberti *Theol. pastor. P. I n. 6 not. 2*).

## ARTICULUS V.

*De inscriptione baptizatorum in proprio libro.*

180. Hoc in puncto observanda sunt sequentia.

I. Probe cognoscantur regulae, quae prostant in Rituali (*Tit. Formulae scribendi etc.*).

II. Praeter librum consuetum, habeatur etiam liber notitiarum secretarum.

III. In libro consueto 1° filii coniugatae conviventis cum marito vel etiam a decem mensibus sive non conviventis cum illo sive viduae, scribantur sub nomine nedum matris ipsius sed etiam eiusdem mariti; nec ad quidquam in contrarium adducatur parochus attendat. 2° Filii ex matrimonio civili scribantur ut supra, sed cum adnotatione relativa. 3° Filii nati extra quodlibet matrimonium ex parentibus sive incognitis prorsus, sive suorum nominum inscriptioni nullatenus aut non certe consentientium, scribantur cum adnotatione *ex parentibus ignotis vel de domo Dei*. 4° Iidem filii illegitimi scribantur tamquam ex matre nota et patre ignoto si ille solus revera vel esset ignotus, vel posset denunciari mendaciter, vel inscriptioni sui nominis non certe et indubitanter consentiret. Si autem qui puerum deferunt, patrem quoque (non indubitanter consentientem) indicarent, tunc fiat adnotatio *vide librum notitiarum secretarum*, et in illo scribatur nomen patris, sed caute, dicendo v. g. *ut aiunt*, vel *ut reldum fuit*, vel *ut institerunt scribi etc.* Post inscriptionem autem infantis ille-

gitimi relinquatur spatium, ut prolis legitimatio, si forte in posterum subsequatur erit, adnotari valeat.

181. Solum autem in dicto libro notitiarum secretarum (qui etiam in parocciis quae sunt sine fonte baptismali esse deberet) scribantur infantes 1° baptizati occulte, quia pater baptismum consentire noluit; 2° baptizati, invitis parentibus, ab obstetrice v. g. quia in periculo mortis versari credebantur, et postea supervixerunt.

## CAPUT VII.

## De Sacramento Confirmationis.

182. *Quaenam sunt parochi circa sacramentum istud obligationes?* Debet instruere populum circa illius naturam, et effectus; circa obligationem illud suscipiendi; circa aetatem; dispositiones; paternos etc. Debet insuper specialem adhibere curam 1° (certiorem faciendo Episcopum) si in parocchia sua multi sine hoc sacramento iam adlescere inciperent; 2° si aliquis iam adultus non adhuc confirmatus esset (maxime occasione sacrae visitationis); 3° si puer esset moribundus, et Episcopus solitus esset ad privatas domos in hunc finem accedere, idque facile obtineri posset. Maxime autem debet 4° disponere pueros ad hoc sacramentum, speciatim occasione illius publicae administrationis. Debet denique 5° inscribere confirmatos in libro parochiali (si in Dioecesi talis esset consuetudo) iuxta formulam in Rituali praescriptam. Cf. Frassinetti (*Man. n. 302*).

## CAPUT VIII.

## De Sacramento Eucharistiae in Ecclesia administrando.

Agendum est 1. De instructione circa hoc sacramentum populo danda, et de cura ut fideles frequenter illud suscipiant. 2. De obligatione illud administrandi. 3. De casibus in quibus a sacra mensa aliqui impediri aut repelli possunt vel debent.

panniculi aqua imbuti, baptismus conferatur (et idem die si in matre viva operatio sive caesarea sive *Porro*, cum dicto periculo, perficeretur). Quamvis autem foetus in utero matris adhuc existens baptizatus fuisset, et quidem in capite, si vivus nasceretur denuo sub conditione baptizari deberet. Ita S. C. C. 12 Jul. 1794, et novissime 16 Mart. 1897 (apud Alberti *Theol. pastor. P. I n. 6 not. 2*).

## ARTICULUS V.

*De inscriptione baptizatorum in proprio libro.*

180. Hoc in puncto observanda sunt sequentia.

I. Probe cognoscantur regulae, quae prostant in Rituali (*Tit. Formulae scribendi etc.*).

II. Praeter librum consuetum, habeatur etiam liber notitiarum secretarum.

III. In libro consueto 1° filii coniugatae conviventis cum marito vel etiam a decem mensibus sive non conviventis cum illo sive viduae, scribantur sub nomine nedum matris ipsius sed etiam eiusdem mariti; nec ad quidquam in contrarium adducatur parochus attendat. 2° Filii ex matrimonio civili scribantur ut supra, sed cum adnotatione relativa. 3° Filii nati extra quodlibet matrimonium ex parentibus sive incognitis prorsus, sive suorum nominum inscriptioni nullatenus aut non certe consentientium, scribantur cum adnotatione *ex parentibus ignotis vel de domo Dei*. 4° Iidem filii illegitimi scribantur tamquam ex matre nota et patre ignoto si ille solus revera vel esset ignotus, vel posset denunciari mendaciter, vel inscriptioni sui nominis non certe et indubitanter consentiret. Si autem qui puerum deferunt, patrem quoque (non indubitanter consentientem) indicarent, tunc fiat adnotatio *vide librum notitiarum secretarum*, et in illo scribatur nomen patris, sed caute, dicendo v. g. *ut aiunt*, vel *ut reldum fuit*, vel *ut institerunt scribi etc.* Post inscriptionem autem infantis ille-

gitimi relinquatur spatium, ut prolis legitimatio, si forte in posterum subsequatur erit, adnotari valeat.

181. Solum autem in dicto libro notitiarum secretarum (qui etiam in parocciis quae sunt sine fonte baptismali esse deberet) scribantur infantes 1° baptizati occulte, quia pater baptismum consentire noluit; 2° baptizati, invitis parentibus, ab obstetrice v. g. quia in periculo mortis versari credebantur, et postea supervixerunt.

## CAPUT VII.

## De Sacramento Confirmationis.

182. *Quaenam sunt parochi circa sacramentum istud obligationes?* Debet instruere populum circa illius naturam, et effectus; circa obligationem illud suscipiendi; circa aetatem; dispositiones; paternos etc. Debet insuper specialem adhibere curam 1° (certiorem faciendo Episcopum) si in parocchia sua multi sine hoc sacramento iam adlescere inciperent; 2° si aliquis iam adultus non adhuc confirmatus esset (maxime occasione sacrae visitationis); 3° si puer esset moribundus, et Episcopus solitus esset ad privatas domos in hunc finem accedere, idque facile obtineri posset. Maxime autem debet 4° disponere pueros ad hoc sacramentum, speciatim occasione illius publicae administrationis. Debet denique 5° inscribere confirmatos in libro parochiali (si in Dioecesi talis esset consuetudo) iuxta formulam in Rituali praescriptam. Cf. Frassinetti (*Man. n. 302*).

## CAPUT VIII.

## De Sacramento Eucharistiae in Ecclesia administrando.

Agendum est 1. De instructione circa hoc sacramentum populo danda, et de cura ut fideles frequenter illud suscipiant. 2. De obligatione illud administrandi. 3. De casibus in quibus a sacra mensa aliqui impediri aut repelli possunt vel debent.

## ARTICULUS I.

*De christifidelibus circa SS.iam Eucharistiam instruendis, et de cura circa frequentiam.*

183. *Quid de instructione?* Populus instrui debet circa 1° Institutionem huius sacramenti. 2° Praesentiam realem. 3° Obligationem. 4° Effectus. 5° Dispositiones a parte corporis. 6° Dispositiones a parte animi.

184. *Quid de cura circa frequentiam?* Parochus nendum summopere commendabit perceptionem Eucharistiae extra casum strictae obligationis, nempe sive in praecipuis solemnitatibus, sive singulis mensibus, sive singulis hebdomadis; sed etiam (maxime in civitatibus et oppidis) de magno bono communionis quotidianae aut quasi quotidianae verba faciet.

Ad obtinendam autem frequentiam communionis, praeter instructiones et exhortationes, deserviunt speciatim sequentia. 1° Si Missae horis fixis (et maxime aliqua summo mane) quotidie celebrentur, et SS.ia Eucharistia, quin personae expectare cogantur, administretur. 2° Si confessoriorum copia semper praebatur. 3° Si virtutes (speciatim castitas) floreat. 4° Si SS.ia Eucharistia convenienti decore conservetur et distribuatur. Quid enim si, v. g., conopoeum, stola, tobalea etc. essent sordida, lacera etc.? Personae, speciatim civilis conditionis, ab his abhorrent.

## ARTICULUS II.

*De obligatione sacramentum istud administrandi.*

185. *Quandonam tenetur parochus Eucharistiam administrare?* Non solum in paschate, sed toties quoties personae communicandae adsint:

186. *Quid de gradu culpae si recusaret?* Etsi absque magna petentis turbatione, bonis modis, et solum rarissimis vicibus se eximeret, certe aliquo modo peccaret (intellige nisi iustâ causâ impediretur). A culpa mortali autem excusari non posset 1° si ex systemate solum in paschate Eucharistiam distribuere vellet; 2° si, denegando, grave scandalum suscitaret; 3° si denegatio in petentis infamiam et iniuriam redundaret; 4° si magnam turbationem eidem inferret.

187. *Obligatio ministranti Eucharistiam estne personalis: an vero parochus potest delegare alium, sive sacerdotem sive diaconum?* Die paschatis debet ministrare Eucharistiam personaliter, nisi legitime impediatur. *Rituale.* Infra annum potest delegare alios sacerdotes; sed non diaconum, nisi deficiente sacerdote. S. Lig. (VI. 237).

188. *Quid de parochis, qui non equidem prorsus recusant, sed petentes expectare faciunt, vel ad communionem frequenter accedentes irridunt, spernunt etc.?* Peccant, ut per se patet.

## ARTICULUS III.

*De casibus in quibus a sacra mensa aliqui impediri aut repelli possunt vel debent?*

189. *Potestne vel debet parochus a sacra mensa indignitatis causa aliquos repellere?* Casus huiusmodi hodie apud nos sunt rarissimi, et solum contingerent 1° In muliere, quae valde immodeste accederet. 2° In publico peccatore, si talis esset ut si ei Eucharistia administraretur, christifideles de hac ipsa administratione valde scandalizarentur; prout contingeret in publica lupanaris meretrice; in publicis concubinariis cum filiis modo uxorio conviventibus, aut solo matrimonio civili coniunctis; in publicis excommunicatis, si manifeste essent adhuc impenitentes etc. 3° Etiam in peccatore occulto, seu (ad rectius loquendum) impeni-



tente occulto, si occulte peteret et absque ullo infamiae periculo repelli posset; quod (uti patet) in praxi vix unquam accidit. Cf. *De occas.* (n. 149).

Attamen, si parochus praevideret quod parochianus omnino repellendus, Eucharistiam esset publice petiturus, tempestive procurare deberet ne id accideret. In casibus dubiis consulat Episcopum; et, si tempus non suppetat, Eucharistiam potius ministret quam deneget.

190. *Potestne parochus titulo nimiae frequentiae aliquem repellere?* Negative. Patet ex Decr. S. C. C. (12 Febr. 1669) dicente: « Nemo a sacro convivio, seu « frequenter seu quotidie accesserit, repellatur ». Iudicium de hoc ad confessarium, non ad parochum, spectat.

191. *Quid de iis qui, etsi proprie infirmi non sint, fere quovis momento per modum cibi vel potus aliquid sumere indigent, et sic ieiunium ad communionem requisitum nunquam servare possunt?* Secluso indulto Apostolico, sic communicare nequeunt. In paschate autem providendum esset per communionem statim post mediam noctem, sed si ne ita quidem fieri valeret, communicare possent etiam non ieiuni (quia communio annua probabiliter urget iure divino quod praevalet ecclesiastico). Attamen (ne in lege adeo rigore servanda abusibus ianua aperiat vel scandalum aliquod sequatur) licentia Episcopi exigeretur. Cf. *Praxis* (Ed. III Vol. IV n. 968).

192. *Quid de semifatuus?* Nisi irreverentias committant aut manifeste constet quod panem a pane non distinguant, admittendi sunt toties quoties accedunt, saltem si talis in loco iam sit consuetudo; nec profecto Eucharistiae administrator huiusmodi distinctiones facere potest, et secus perturbationes provocaturus esset. Aliud foret de confessario. Cf. *Examen* (n. 765).

193. *Quid de surdo-mutis methodice non instructis?* De his quoque scrupuli non sunt habendi, atque ut modo dicebam circa semifatuos tractari debent. Cf. *Praxis* (Ed. III Vol. II. n. 1428).

194. *Quid de obsessis aut infestatis a daemone?* Ab hoc sacramento, quo plurimum et longe magis aliis indigent, arceri non debent (S. Lig. VI 303). Excipe nisi irreverentiae intolerabiles locum haberent; ut puta, si daemon ad ieiunium prius frangendum, vel ad os diu observandum (ne sacra particula recipi possit); vel ad sacras species expendas etc., eos cogeret; aut si eorum os stercore conspurcasset, vel illos (cum turbatione devotionis aliorum) in terram coniceret, ad clamorem excitaret etc.

## CAPUT IX.

### De Sacramento Poenitentiae in Ecclesia administrando.

Agendum est de parochia 1. Quoad instructiones et exhortationes circa istud Sacramentum. 2. Quoad iurisdictionem. 3. Quoad obligationem audiendi confessiones et subinde providendi alios confessarios. 4. Quoad usum scientiae confessionis. 5. Quoad benignitatem. 6. Quoad diversa personarum genera. 7. Quoad confessionalia et alia loca pro confessionibus.

195. *Quid de christifidelibus instruendis et adhortandis circa hoc sacramentum?* Instruendi sunt circa 1<sup>o</sup> Illius institutionem divinam. 2<sup>o</sup> Obligationem et necessitatem. 3<sup>o</sup> Dispositiones, et speciatim quoad dolorem, propositum, et (superando verecundiam) sinceritatem. 4<sup>o</sup> Utilitatem et subinde necessitatem frequentiae. Exhortationes speciales fieri debent appropinquantibus maioribus solemnitatibus, et maxime quoad viros. Item rogandi sunt genitores ut filios, iam inde ab anno septimo, ad confessionem mittant. Enixe denique rogandi sunt omnes ne, post lapsum in peccatum mortale, in tali statu vivere et poenitentiam differre audeant.

196. *Quid notandum circa parochi iurisdictionem?* Iurdictio in parochis ex ipso officio provenit quoad parochianos, nec respicit territorium bene vero personas; unde parochus etiam extra Dioecesim parochiani sui confessionem valide semper (atque etiam licite si privatim, aut de consensu rectoris Ecclesiae) excipere potest. Dixi quoad

tente occulto, si occulte peteret et absque ullo infamiae periculo repelli posset; quod (uti patet) in praxi vix unquam accidit. Cf. *De occas.* (n. 149).

Attamen, si parochus praevideret quod parochianus omnino repellendus, Eucharistiam esset publice petiturus, tempestive procurare deberet ne id accideret. In casibus dubiis consulat Episcopum; et, si tempus non suppetat, Eucharistiam potius ministret quam deneget.

190. *Potestne parochus titulo nimiae frequentiae aliquem repellere?* Negative. Patet ex Decr. S. C. C. (12 Febr. 1669) dicente: « Nemo a sacro convivio, seu « frequenter seu quotidie accesserit, repellatur ». Iudicium de hoc ad confessarium, non ad parochum, spectat.

191. *Quid de iis qui, etsi proprie infirmi non sint, fere quovis momento per modum cibi vel potus aliquid sumere indigent, et sic ieiunium ad communionem requisitum nunquam servare possunt?* Secluso indulto Apostolico, sic communicare nequeunt. In paschate autem providendum esset per communionem statim post mediam noctem, sed si ne ita quidem fieri valeret, communicare possent etiam non ieiuni (quia communio annua probabiliter urget iure divino quod praevalet ecclesiastico). Attamen (ne in lege adeo rigore servanda abusibus ianua aperiat vel scandalum aliquod sequatur) licentia Episcopi exigeretur. Cf. *Praxis* (Ed. III Vol. IV n. 968).

192. *Quid de semifatuus?* Nisi irreverentias committant aut manifeste constet quod panem a pane non distinguant, admittendi sunt toties quoties accedunt, saltem si talis in loco iam sit consuetudo; nec profecto Eucharistiae administrator huiusmodi distinctiones facere potest, et secus perturbationes provocaturus esset. Aliud foret de confessario. Cf. *Examen* (n. 765).

193. *Quid de surdo-mutis methodice non instructis?* De his quoque scrupuli non sunt habendi, atque ut modo dicebam circa semifatuos tractari debent. Cf. *Praxis* (Ed. III Vol. II. n. 1428).

194. *Quid de obsessis aut infestatis a daemone?* Ab hoc sacramento, quo plurimum et longe magis aliis indigent, arceri non debent (S. Lig. VI 303). Excipe nisi irreverentiae intolerabiles locum haberent; ut puta, si daemon ad ieiunium prius frangendum, vel ad os diu observandum (ne sacra particula recipi possit); vel ad sacras species expendas etc., eos cogeret; aut si eorum os stercore conspurcasset, vel illos (cum turbatione devotionis aliorum) in terram coniceret, ad clamorem excitaret etc.

## CAPUT IX.

### De Sacramento Poenitentiae in Ecclesia administrando.

Agendum est de parochia 1. Quoad instructiones et exhortationes circa istud Sacramentum. 2. Quoad iurisdictionem. 3. Quoad obligationem audiendi confessiones et subinde providendi alios confessarios. 4. Quoad usum scientiae confessionis. 5. Quoad benignitatem. 6. Quoad diversa personarum genera. 7. Quoad confessionalia et alia loca pro confessionibus.

195. *Quid de christifidelibus instruendis et adhortandis circa hoc sacramentum?* Instruendi sunt circa 1<sup>o</sup> Illius institutionem divinam. 2<sup>o</sup> Obligationem et necessitatem. 3<sup>o</sup> Dispositiones, et speciatim quoad dolorem, propositum, et (superando verecundiam) sinceritatem. 4<sup>o</sup> Utilitatem et subinde necessitatem frequentiae. Exhortationes speciales fieri debent appropinquantibus maioribus solemnitatibus, et maxime quoad viros. Item rogandi sunt genitores ut filios, iam inde ab anno septimo, ad confessionem mittant. Enixe denique rogandi sunt omnes ne, post lapsum in peccatum mortale, in tali statu vivere et poenitentiam differre audeant.

196. *Quid notandum circa parochi iurisdictionem?* Iurdictio in parochis ex ipso officio provenit quoad parochianos, nec respicit territorium bene vero personas; unde parochus etiam extra Dioecesim parochiani sui confessionem valide semper (atque etiam licite si privatim, aut de consensu rectoris Ecclesiae) excipere potest. Dixi quoad

*parochianos*; nam quoad alios iurisdictio est delegata. Haec tamen delegatio alicubi semper subintelligitur, non solum quoad eos qui ad Ecclesiam parochialem se conferunt, sed etiam pro tota dioecesi (non vero extra).

197. *Quid de obligatione audiendi confessiones et subinde procurandi etiam alios confessarios?*

I. Obligatio audiendi confessiones in parochia est personalis; imo haec inter praecipuas pastoralis curae partes recenseri debet.

II. Ipse ad minus diebus festis promptus atque assiduus operam suam praestabit. Certe a gravi peccato excusari nequeunt parochi, qui solum in paschate ad confessionale se conferunt. Dicunt: poenitentes non adsunt. Sed cur non adsunt? Utique quia sciunt Ecclesiam esse clausam, aut parochum dormire, vel utcumque ad confessionale se conferre nolle. Dixi *ad minus diebus festis*; speciatim enim in magnis parochiis, oppidis et civitatibus, potest esse valde laudabile (aut etiam necessarium et obligatorium) ut parochus diebus quoque ferialibus in confessionali praesto sit. Certe si sit requisitus, quaecumque die et hora, parochianorum (si tamen indiscrete et irrationabiliter non petant) confessiones audire tenetur.

III. Muneri autem suo deficeret parochus non solum si recusaret; sed etiam si poenitentes expectare cogeret, vel taedium ostenderet etc.

IV. Quamvis parochus personaliter se praestare debeat (ut dixi), id non impedit quominus adiutores sibi adsciscat. Hoc semper laudabile erit, imo passim plus vel minus necessarium. Speciatim ubi difficile sit quod parochiani alibi se conferant, oportet omnino ut parochus identidem confessarium extraordinarium parochiae suae procuret; idque speciatim in paschate. In parochiis satis amplis vicarius stabilis (etiam in hunc finem) exigi poterit; et interdum ille non sufficet, sed alii confessarii quoque procurari debebunt. Videndum tamen quinam illi sint, ne forte potius nocumentum quam adinumentum afferant.

V. Caeterum parochus omnimodam libertatem parochianis relinquat, ut etiam ad alias Ecclesias se conferant pro confessione; et hac de re nullam nec publice nec privatim querimoniam moveat, aut displicentiae signum praebeat.

VI. Si tamen fere nemo ad illum accederet, valde attendere ne ex aliquo magno defectu proprio id accideret, et (quatenus ita esset) se emendare deberet.

198. *Quid notandum circa usum scientiae confessionis, vel utcumque circa illa quae confessionem odiosam aut suspectam reddere possunt?* Ab his summopere cavendum; nedum enim parochi confessionale desertum et ille quoad confessiones inutilis redderetur, sed etiam gravissimum religioni ipsi damnum obveniret. Caveat itaque solertissime parochus non solum ne quovis modo (etsi valde indirecte) sigillum violet, aut notitia peccatorum in confessione habita utatur ad externam gubernationem cum gravamine poenitentium; sed etiam ne quovis modo molestus aut suspectus iisdem reddatur. Hinc non facile roget poenitentes ut eorum dictis ad aliquod monitum vel aliquam correctionem uti possit. Non utatur confessionali ad inquirendum de parochianorum moribus; huiusmodi enim praxis solet esse molesta personis interrogatis et invisae omnibus. In acceptando onere faciendi restitutiones pro parochianis (maxime vero in illis reapse exequendis) cautissime procedat, propter periculum ne is cui restitutio fit, aut cui efficienda committitur, in cognitionem vel suspectum personae devenire possit. Denique si forte ex scientia externa iam aliquid sciat atque ad remedium apponendum procedere debeat, adveniente delinquente pro confessione, prudentia exigere potest, ut (antequam confessionem incipiat) dictam suam scientiam illi significet. Si vero solum post auditam confessionem ea de re scientiam externam acquirat; tunc maxime caveat ne violati sigilli suspectum ingerat, et proinde (nisi factum iam notorium evaserit) externe non procedat, aut differat, aut saltem circumstan-

tias confessioni auditae extraneas indicet, ut scilicet delinquens cognoscat quod parochus de re illa post confessionem suam ab aliis notitiam acquisivit.

199. *Debetne parochus in confessionali esse benignus, an vero rigidus?* Omnia extrema sunt vitiosa; sed caveat speciatim (maxime hodie) a rigiditate, quae peiores effectus habere solet. Parochi confessionale desertum remaneret, et ille quoad sacramenti poenitentiae administrationem (quae, ut dixi, inter praecipuas eius ministerii partes recensetur) inutilis, ut optime dicit Frassinetti (*Man. n. 391*), redderetur.

200. *Quid de parochis relate ad sacramentum confessionis circa viros, circa foeminas, et circa personas devotas?*

I. *Quoad viros.* Magna commoditas iis praestari debet; ipsi enim expectandi patientiam non habent, graviora peccata habere solent, et, si quando accedunt commoditatem non inveniunt, difficile cito redibunt. Optimum factu erit, si singulis diebus festis (et maxime tempore paschali) prius viri omnes (qui valde diluculo venire solent) in sacristia audiantur, et postea (Missâ celebratâ) in confessionali audiantur foeminae. Pessime se gerunt illi parochi qui viros despiciunt, aut eos aegro animo audire palam faciunt, aut totam eos audiendi provinciam (quae profecto maioris momenti est) vicario relinquunt.

II. *Quoad foeminas.* Monita (caeteroquin notissima) adsunt in *Praxi* (*Ed. III v. IV n. 503*). Hic dico quod, nisi parochus magnam prudentiam et brevitatem adhibeat, magnus scopulus et occasio dieteriorum esse solent. Noto etiam quod confessarii « nisi ex necessitate, audire non debent » mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et « ante auroram » S. C. Epp. 21 Jan. 1620. Interveniente autem necessitate, vel causa iusta (pro casu extraordinario), lumina apponantur, et saltem aliquae aliae personae adsint in Ecclesia. Diurno quoque tempore nullius foeminae confessio audiatur, ianuis omnibus Ecclesiae clausis.

III. *Quoad personas devotas.* Hae (quantum fieri potest) diebus ferialibus (speciatim in oppidis et civitatibus) audiantur, ne diebus festis, alii, qui magis indigent, audiri vel nullo modo possint vel solum perfunctorie. Dictae personae devotae possunt esse matres familias aut foeminae pauperes, quae necessitatem habent se cito expediendi atque ordinarie summo mane dumtaxat venire possunt, et illucescente die domum redire coguntur, ut rebus familiaribus consulant, aut laborando victum sibi comparent. Ex sacramentorum frequentia in his personis magnum bonum sine dubio provenit; sed, uti patet, necesse est ut parochus (cui tale bonum cordi sit) semper citissime e lecto surgat, et sic (magnum meritum sibi comparaturus) non leve incommodum subeat. Curet ut vicarius idem faciat. Orationem autem et meditationem ad aliud tempus differat. Caeterum in personis huiusmodi veram et solidam devotionem cum defectuum emendatione serio procuret.

201. *Quid denique notandum circa confessionalia aut alia loca confessionibus destinata?* Confessionalia collocentur in loco patenti, atque ita ut nimis prope nec sedilia nec genuflexoria adsint. Bene est si cortinis (quae confessarium obtegant) muniantur, dummodo loci consuetudo id patiatur. Curandum ut crates sint semper politae, maxime vero ut ostiola bene et facile claudi possint; secus enim poenitens, ab alia parte genuflexus et expectans, verba confessarii audiret. Si confessionalia nova fieri debeant, curandum ut tam pro confessario quam pro poenitentibus commoda sint, atque ut foramina cratum sint minutissima ac rotunda, non vero oblonga.

Locus aptus et specialis ad excipiendas confessiones virorum semper erit utilis, et poterit quoque esse necessarius.

Confessionale etiam, aut tabula cum crate pro mulieribus surdis, ut sic melius modestiae consulatur, in sacristia aut alio loco congruo, valde conveniens esse posset.

## CAPUT X.

De parcho quoad primas infirmorum visitationes,  
et Sacramentum Poenitentiae iisdem administrandum.

Agam de modo se gerendi parochi 1. in generali ut facilius et tempe-  
stive ad infirmos advocetur; 2. in particulari habita notitia alicuius infirmi;  
3. de modo accedendi; 4. de modo se gerendi in cubiculo et ad lectum eiusdem;  
item 5. de modo se gerendi actu audiendi illius confessionem; 6. de infirmo sen-  
sibus destituto. 7. de confessione et absolutione iteranda; 8. de morbis conta-  
giosis et an cum quolibet incommodo parochus accurrere teneatur?

## ARTICULUS I.

*De modo se gerendi parochi in generali ut facilius  
et tempestive ad infirmos advocetur.*

202. I. Non solum de modo bene vivendi, sed etiam  
identidem de modo bene moriendi parochianos doceat.

II. Demonstret sibi valde cordi esse ut, eveniente casu  
periculosae infirmitatis, cito advocetur.

III. Benedictionis, quae pro infirmis a rituali prae-  
scribitur, utilitatem ostendat.

IV. Medicos quoque et phlebotomos, qui ad paroeciae  
suae infirmos advocari solent, sibi benevolos reddat, cu-  
rando ut ab iis certior reddatur de periculose decumben-  
tibus, maxime si agatur de familiis hac in re parum sol-  
licitis.

V. Infirmis pauperibus eleemosynas dare aut saltem  
procurare studeat; id enim ut cito advocetur non parum  
iuvabit.

VI. Curet ne suae visitationes quasi pro nuntio cer-  
tae mortis habeantur. In hunc finem etiam infirmos morti  
non vicinos, aut illo morbo non morituros libenter visitet;  
et dandi praedictam simplicem benedictionem consuetudi-  
nem habeat.

VII. Sive die sive nocte, et non obstantibus incommodis,  
ad infirmum vocatus se conferat, et quidem statim. Nullam  
autem querimoniam moveat, si forte infirmitas leviuscula  
faerit, neque illum advocandi necessitas adfuisse. Hae  
querimoniae in causa esse possent cur pro aliis vere indi-  
gentibus non tempestive advocetur.

## ARTICULUS II.

*De modo se gerendi parochi in particulari, habita  
notitia quod aliquis infirmus decumbat.*

203. Praemittendum, oportere ut parochus morborum  
frequentius occurrentium aliquam notitiam habeat, ut sci-  
licet, sciendo quinam non sint et quinam sint mortis  
plus vel minus vicinae periculosi, de infirmo visitando et  
ei Sacramentis conferendis regulam sumere possit.

204. *Quinam morbi solent esse mortis nequaquam  
periculosi?* Sunt praecipue 1° Dolores ventris (*coliche*).  
2° Febris rheumatica articularis (nisi pulmonem aut cere-  
brum afficiat). 3° Respirandi difficultas (*asma*). 4° Haeri-  
sipolae. 5° Convulsiones epilepticae. 6° Convulsiones hy-  
stericae.

205. *Quinam est cursus morborum magis commu-  
nium, qui plus vel minus mortis periculum inducere so-  
lent?* Apoplexia; vulnera in cavum penetrantia; magna  
haemorrhagia (v. g. in puerpera); febris perniciosa palu-  
stris (maxime in secundo accessu); insolatio (*colpo di sole*);  
asphisia; venenum ex arsenico vel acido nitrico (*acqua  
forte*); cholera. Hi morbi paucis horis aut citius mortem  
afferre possunt.

Inflammati retis totalis, quam medici italice vocant  
*peritonite acuta diffusa*; inflammatio acutissima membra-  
nae cerebri (*meninge-encefalite-siero-fibrinosa*); carbun-  
culus malignus, si cito adustione non curetur; hernia in-  
carcerata, si cito remedium apponi non possit. Hi morbi

cursum brevissimum, nempe duorum vel trium dierum, habere solent.

Variolae arabae (*vaiuolo nero o maligno*); angina (*croup*); idrofobia; tetanus; intestinorum oclusio (*mal del miserere*). Hi morbi intra septem aut quinque aut etiam tres dies occidere possunt.

Inflammatiō pulmonis (vulgo *polmonite, pneumonite, pleurite, peripneumonite, cattarrale, malattia di petto, attacco di petto, doglia di costa, mal di punta*) regulariter septem vel novem dierum cursum habet; et interdum quatuor, interdum duodecim. In senibus est fere semper lethalis, quamvis forte mitis videretur.

Febris putrida (vulgo *tifo, sinoco, febbre tifoidea, mal maligno*) hodie apud nos saepe cum bono exitu curatur. Regulariter duabus hebdomadis durat, et interdum tribus. Saepe surditatem et delirium adducit. Interdum habet cursum (uti aiunt) *tumultuarium*, et intra paucos dies ad mortem ducit; unde tunc cito administranda sunt Sacramenta. Si tamen infirmus delirio non subiiciatur, quatuor etiam aut quinque hebdomadis morbus durare potest.

Infirmitates, quae tempore magis diuturno durare solent, sunt speciatim paralysis (dummodo organa ad vitam necessaria non afficiat); hydropisis; chancrum stomachi (*callo al piloro*); et phthisis. Tertium (seu ultimum) stadium in phthisi indicatur praecipue a sudoribus solum in media parte personae, nempe a ventre usque ad caput et in palmis manuum post somnum, nec non ab alvi profluviis praecipitosis, febris pluries in die exacerbata, et sputis copiosis, fere liquidis, purulentis atque assiduis.

206. *Quidquid sit de genere morbi, quanam sunt signa mortis vicinae?* Sunt 1° Si inflatio a cruribus iam ad pectus procedat. 2° Si infirmus cibum amplius non sumat. 3° Si eruptiones (v. g. *la migliare*) rapide dispareant et intus redeant. 4° Somnolentia continua. 5° Singultus. 6° Si diebus criticis (nempe septimo et quarto-decimo) febris adaugeatur. 7° Respiratio frequentissima

(*affanno*) cum multo catharro, qui vix aut ne vix quidem expelli possit. 8° Si personae iam seni, aut vitio organico vel magna gibbositate vel morbo chronico affectae, infirmitas acuta (nempe cum febris) superaddatur. 9° Si in morbo acuto remedia nihil profuerint. 10° Si infirmus in osse sacro aut coxendicibus plagari incipiat. 11° Si involuntarie urinam et excrementa emittat. 12° Si febris sit ardentissima, nempe 41 graduum centigradi, aut 130-150 pulsationum in singulis minutis. Attamen ultima tria signa in typho non essent attendenda; bene vero in hoc fere semper mortalis est gradus 42, aut rapidus descensus ad gr. 37 vel 36.

207. *Quanam praecipue sunt morbi contagiosi?* Sunt qui italice dicuntur *il vaiolo* (variolae), *la scarlattina, la felse* (morbillum), *la deuterite* (inflammatio gulae) quae dicitur etiam *angina maligna*; item *il colera*, et *il tifo petecchiale*. Item morbus qui italice dicitur *influenza*. Febris typhoidea quoque est contagiosa, sed in gradu multo minori. Ad minuendum periculum contagii, cautelae sunt praecipue ventilatio, evitare contactum et halitum infirmi, et ab eiusdem cubiculo cito exire.

208. *Potestne parochus uti hac regula: ibo si vocatus fuero?* Negative generatim. Rituale dicit: non expectabit ut vocetur. Prudentia tamen necessaria erit; accessus enim non libenter acceptus praeiudicare potest, et quidem interdum gravissime, maxime si de divitibus agatur.

209. *Quomodo itaque se gerere debet parochus si resciat aliquem esse infirmum, et non vocetur?* Imprimis de morbo eiusque statu, sive a medico sive a familiaribus aut vicinis, informationes capere procurabit. Si morbus dilationem patiat et nihil aliud clamet ut sollicitudo adhibeatur, parochus pedetentim procedere poterit, atque interdum (si familia Dei timorem habeat) expectare ut vocetur. E contra si morbus iam ad ultimum stadium processisset, vel snapte natura cursum brevem haberet, vel cito loquelam et cognitionem adimeret; tunc sollicitudo necessaria esset.

Idem die si non equidem mors adeo vicina foret, sed notabile tempus, sive ad procurandum accessum, sive ad disponendum aegrotum, sive ad eius conscientiae negotia componenda, exigeretur.

## ARTICULUS III.

*De modo accedendi ad infirmum.*

210. Si res sit de rusticis aut pauperibus adhuc sincere catholicis, accessus non solet esse difficilis. Imo ordinarie nullum sequitur inconveniens si parochus sic et simpliciter domum infirmi ingrediatur, dicendo, v. g. se intellexisse infirmum adesse, et, ad notitiam de eo habendam vel ad benedictionem ei dandam, divertisse. Ordinarie, inquam, parochus ita se gerens, benevole tam a familia quam ab aegroto excipitur.

Si autem de familia sincere quidem catholica, sed nec rustica nec paupercula agatur: tunc facile melius erit si parochus non sic et simpliciter se praesentet, sed potius ut vocetur expectet, vel (si opus sit) procuret. In hunc finem rogare poterit personam familiae amicam, ut quasi motu proprio familiam ipsam sollicitet ad parochum vocandum et religionis subsidia aegroto procuranda. Sed, si persona ista non inveniatur, tunc parochus cum aliquo de ipsa familia colloquium habeat, et sic accessum ad infirmum obtinere satagat.

211. *Quid si aegrotus esset de illis, qui parum aut nihil religionis habent, et sic difficile sit quod ad acceptandum sacerdotem atque ad recipienda sacramenta disponantur? Quomodo tunc accessus obtineri poterit?* Quoad huiusmodi homines, caveat imprimis parochus ne cum ipsis, dum adhuc sani sunt, quasi inimicus procedat. Potius vultum hilarem eis ostendat eosque salutet, et pro opportunitate illos alloquatur vel invisat. Eveniente lethali infirmitate, si non vocetur, tunc quoque medium magis

aptum esse solet uti personis familiaribus infirmi, quae illum disponant. Aliquando loqui poterunt de confessione facienda; sed ut plurimum melius erit si agant dumtaxat de recipienda simplici parochi (aut alterius sacerdotis magis benevisi vel communiter valde laudati et bene accepti) visitatione, dicendo, v. g. illum habere Imaginem vel Reliquiam prodigiosam eiusque benedictionem etiam pro recuperanda sanitate valde efficacem esse posse: aut (si infirmus esset pauper) dictum sacerdotem eleemosynam fore largiturum; aut venire debere ad vicinam familiam pro tali vel tali negotio: aut iam venisse et licentiam visitandi infirmum petiisse; aut fuisse invitatum, quia auditum fuit eum habere cognitiones medicas, quae prodesse poterunt. Aegroti praedicti difficultates adducere solent, quae ordinarie fundantur 1<sup>o</sup> in respectu humano. 2<sup>o</sup> In timore amittendi subventiones quas a sociis percipiunt. 3<sup>o</sup> In iuramento emisso nihil commune habendi cum sacerdotibus et Ecclesia. 4<sup>o</sup> In defectu fidei. 5<sup>o</sup> In praetextu quod sufficiat omnia componere cum Deo, quin necesse sit confiteri apud sacerdotem. 6<sup>o</sup> In falsa fiducia recuperandi sanitatem. 7<sup>o</sup> In desperatione obtinendi veniam a Deo. 8<sup>o</sup> In rubore tot scelera confitendi. Parochus itaque curabit ut dictae personae familiares eliminent difficultates ab aegroto adductas aut verisimiliter adducendas, dicendo, v. g. parochum venturum esse noctu et nullam publicitatem esse faciendam: si quid forte amittatur, aliis medijs haberi posse tantundem et amplius; dictum iuramentum nullam vim habere, imo maximam esse iniquitatem illud servare; veritates fidei esse certissimas, et, si per impossibile dubiae forent, maximam esse stultitiam malorum aeternorum adeo horribilium periculo se exponere: confessionem apud solum Deum peractam non sufficere quia Deus ipse vult ut cum suo ministro res componantur; mortem supervenire posse sanis, et multo magis infirmis; infirmitatem esse gravem, et periculum dissimulari non posse (sed hoc solum in casu extremo dici poterit); Divinam Misericordiam nullos limi-

tes habere: sacerdotes nullam de sceleribus admirationem concipere, semper enim scelera audiunt; neque oportere ut confessio apud parochum fiat, sed quemlibet alium sacerdotem (sive saecularem sive regularem) advocari posse; demum ex rebus cum Deo rite compositis magnam pacem et consolationem exoriri, quae etiam ad vim morbi immi- nuendam et sanitatem recuperandam valde deservire posset.

Si morbus dilationem patiat, interdum melius erit non loqui statim de sacerdote advocando, sed incipere a longe, procurando ut infirmus sacrum numisma ad obtinendam gratiam sanitatis accipiat et osculetur, aut unam *Ave* vespertinis horis recitet ut dolores leniantur et quiete dormire possit.

Si infirmus alicui sectae adscriptus esset et socii illum assisterent, tunc dictae personae familiares impedire deberent quominus illi ad eius lectum accederent; dicendo v. g. quod indiget quiete et oportet ut cum nemine loquatur.

Si parochus ope consanguineorum nihil obtinere potuerit, videat an ope amicorum, aut vicinorum, vel etiam famulorum, aut alicuius personae, cui infirmus difficile contradicturus sit, aliquid obtinere possit. Foeminae praesertim valde bene deservire solent; idque quamvis non multum religionis haberent. Interdum habetur auxilium ab iis etiam, in quibus nulla spes collocari posse videretur; imo aliquando (etsi profecto rarissime) ab aliquo ex dictis sociis efficacissimum adiumentum habitum fuit, quandoquidem non in omnibus sectis receptio sacramentorum in extremis vetatur; et non omnes socii statuta propriae sectae ex corde servant.

Aliquando praecipuum impedimentum provenit ab ipsis familiaribus infirmi, qui, propter timorem aegrotum turbandi et terrefaciendi, sacerdotis ingressum firmiter impediunt. Tunc parochus bonis modis eos persuasos reddere conabitur, quod tam caute et pedetentim processurus erit, ut infirmus nullo modo turbetur; sed potius magnam pacem, tranquillitatem et consolationem, ipsi eius saluti corporali

valde proficuum, experiatur. Si haec non prosint, tunc dicere debet, quod agitur de aeterna salute illius miseri infirmi; quod morbus ita processit, ut nullam dilationem amplius admittat; quod sacramenta administrata quando aegrotus nihil intelligit, nihil iuvant; et demum quod de illo aegroto miserrimo sine sacramentis morituro aeternum remorsum habebunt.

In his autem et similibus casibus valde difficilibus orationi est incumbendum; atque interdum pro auxilio vel consilio recurrendum ad illos sacerdotes vel religiosos, qui speciali peritia et dexteritate hac in re praediti sunt, et ab huiusmodi infirmis multo facilius excipiuntur.

212. *Quid de illis familiis, quae sacerdotem admittere nolunt, nisi forte in extremis quando moribundus nihil intelligit?* Parochus debet quidem (ut supra dixi) sive indirecte sive etiam directe omnem lapidem movere ut tempestive accedere possit; sed ita ut non teneatur reapse accedere nisi ingressum satis pacificum obtineat. Si tamen nosceret, eius ministerium ab infirmo desiderari et a familiaribus vel impiis sociis impediri, acrius urgere tenebitur, et causam infirmi, meliori quo poterit modo, etiam personaliter se praesentando, vel (in casu extremo) ad Magistratum civilem (it. *Preto*) recurrendo, agere debet. Berengo (110).

213. *Quid si accessus concederetur solum cum pacto ut parochus ad modum amici; non vero ad modum sacerdotis, accedat, quia infirmus nec de benedictionibus nec de confessione quidquam audire velit?* Parochus acceptet; quandoquidem amicus aditum confessario forsan aperire poterit.

214. *Quid de casu valde practico, in quo ex una parte infirmus iam sit dispositus ad benedictionem recipendam vel etiam ad confessionem faciendam apud talem vel talem sacerdotem, sed differat dicendo: faciam in posterum, faciam cras; et ex alia periculum urgeat et infirmus forsam ad cras perventurus non sit?* Tunc prae-



textus aliquis esset adhibendus, dicendo v. g. eundem sacerdotem posse venire hodie, sed non cras, quia tale vel tale impedimentum habet etc.

215. *Sufficitne quod parochus de aditu ad infirmum habendo sollicitus sit?* Negative; sed, si casus sit difficilis, oportet 1° ut prius bene se praeparet; 2° ut (quatenus opus sit) facultatibus necessariis se muniat; 3° ut tempus magis aptum eligat, quod esse solet post horam nonam antemeridianam et circa penultimam ante solis occasum, quando nempe foeminae res domesticas composuerunt et febris remissior esse consuescit. Interdum potest esse necessarium ut tempus nocturnum eligatur; et semper cavendum ne socii impii tunc adsint.

216. *Quid si parochus praevisionem eosdem socios impios ad lectum infirmi reperiat?* Benevolentiam hilari vultu eis ostendat; sed pro tunc de fine religioso, propter quem advenit, nihil dicat. Postea autem ope familiarium curabit ut secedant etc.

217. *Quid si infirmus, sacerdotem videns, imprecationes et impropria contra illum evomeret?* Patientia adhibenda esset, neque statim terga ei verti deberent. Ineusetur vis morbi et delirium; sermo blande ad aliud divertatur, et sic paullisper (si fieri possit) omnia benevole componantur. Si autem infirmus in sua malevolentia perseveret; tunc parochus, quod praeter intentionem fuerit occasio huius turbationis, displicentiam ostendat; dicat se offensum non remansisse et esse amicum sicut antea; recedens infirmum (si expediat) salutet illumque postea familiaribus commendat eisque patefaciat desiderium redeundi, si forte miserrimus ille ad meliores sensus rediturus esset. Dein oret, orare faciat, et videat an alia media adhiberi valeant.

## ARTICULUS IV.

*De modo se gerendi in cubiculo seu ad lectum infirmi.*

218. *Obtento aditu ad infirmum, quidnam imprimis curare debet parochus?* 1° Ut nullam aversionis occasionem ei praebeat. 2° Ut eiusdem benevolentiam positive sibi procuret.

219. *Quomodo nullam aversionis occasionem aegroti praebebit?* Caveat imprimis ab eo terrefaciendo. Dicat, v. g. se illinc transiisse; aut morem sibi esse infirmos visitandi quamvis graviter non decumbant. Caveat insuper ne taedium vel displicentiam aliquam ei afferat. In hunc finem voce submissa loquatur; nec longos sermones neque cum infirmo (maxime si anhelus aut valde debilis esset), neque cum assistentibus habeat, aut saltem petat an vociferationes ei fastidium afferant; risui aut factiis non indulgeat; si infirmus lamenta emittat, id non vetet. Non dicat: Haec infirmitas pro te est magnum bonum, pulcherrimum donum Dei, fortuna ingens. Personae quidem perfectioni attendentes verba huiusmodi in bonam partem forsitan accipere possent, sed non personae mundanae aut rudes, quae pro crudelitate id acciperent (quasi sacerdos de earum infirmitate gauderet). Fere omnes aegroti de salute recuperanda sibi blandiuntur, idque avidissime cupiunt. Hinc caveat parochus ne infirmitatem iam esse sine remedio et mortem esse certam declaret; sic enim infirmus magnam aversionem contra illum conceperet, eius praesentiam invisam haberet, et forsitan visitationes illius absolute respiceret. Ad minus itaque dissimulet; et caveat etiam ne, dum in sua spe aegrotum relinquit, rem esse sine remedio eius uxori aut filiis declaret, si timendum sit ne clamoribus domum repleant, et sic infirmus quid dictum fuit resciat; neque fidendum si profunde sopitus videretur;

contingere enim potest quod omnia (quamvis submissa voce dicta fuissent) perfecte audiat. Denique visitatio sit brevis; infirmi enim plures necessitates habere solent et in libertate relinqui debent. Dum tamen parochus prima vice recedit (ne visitationes sequentes aegrotum terreant) dicat: Si tibi non displicet, veniam iterum; in more enim mihi est ut meos infirmos, donec convaluerint, frequenter visitem.

220. *Quomodo parochus infirmi benevolentiam positive sibi procurare poterit?* In hunc finem (discretionem tamen servata) maxime deservire solent sequentia: 1<sup>o</sup> Ad modum amici cum eo loqui, proprio nomine eum vocando, et dicendo, v. g. Ad te invisendum veni: a longo tempore te cognosco: patrem tuum cognoscebam: reminiscor adhuc de tali vel tali eventu in tua familia etc. Saepe bene erit de aliqua bona qualitate aut habilitate eum laudare; et, si pueros habeat munuscula eis praebere etc. 2<sup>o</sup> Sollicitudinem pro illo ostendere, v. g. (quatenus opus sit et deceat) potum manu propria ei dare; sudorem ab eius fronte abstergere; operimenta aptare; muscas ab eius vultu arcere; consilia igienica (quatenus tuta et grata futura sint) praebere; dulciaria ei dare; maxime vero (si esset pauper) inquirere an necessaria habeat, atque elemosynam ei largiri. 3<sup>o</sup> Si spes recuperandi salutem ei dari possit, hoc est medium optimum obtinendi benevolentiam ab aegrotis quibuscumque, unde saepe expedit ut parochus spem istam aegroto adeo caram positive nutriat, adducendo, v. g. exempla aliorum qui a simili infirmitate, vel etiam a morbis adhuc gravioribus, optime convaluerunt. Sic infirmus gaudebit, et de facili, ut parochus iterum iterumque redeat, desiderabit.

221. *Estne statim in prima visitatione de confessione loquendum?* Negative; nisi circumstantiae aliquid suadeant, ut puta, si infirmitas dilationem non pateretur, aut visitationes facile repeti non possent, vel infirmus esset valde devotus et ipse sacerdotem ad confessionem faciendam vel benedictionem habendam advocasset etc.

Ordinarie praestat ut aliqua visitatio praemittatur, non solum ad infirmi benevolentiam (ut supra) captandam, sed etiam ut sic magis fructuose et bono animo ad confessionem praeparetur.

222. *Monitum de confessione facienda quomodo ordinarie dari debet?* Modo ita blando et industrioso, ut infirmus libenter obsecundet. Ordinarie res bene succedit, si dicatur: Fili mi, sanitas est in manu Dei: medici nihil poterunt, nisi Deus illos illuminet. Consilium tibi do, fili mi: Fac tibi Deum amicum, fac ut sis in eius gratia; ille enim poterit te adjuvare longe plus quam alii omnes. Esse in gratia Dei semper est necessarium, sed multo magis quando infirmi sumus. Eia age itaque, confitere corde contrito omnia peccata tua, et proice te intra brachia Dei tui, qui solus omne bonum quoad animam et quoad corpus tibi dare potest. A multo tempore non es confessus; volo ut nunc bonam confessionem facias; quanta frueris consolatione etc.

Saepe iuvat sumere occasionem a benedictione danda (maxime si petita fuerit, dicendo quod longe magis proderit iis qui bene confessi in gratia Dei sint); vel ab aliqua indulgentia lucranda; vel ab aliqua festivitate appropinquante.

223. Si forte infirmus reluctet vel taedium demonstrat, nec periculum sit in mora, sacerdos dicat: Nolo ut turberis: nolo ut confitearis coacte sed libenter.

Si aegrotus dicat: Veniam ad Ecclesiam et tunc confessionem faciam; sacerdos reponat: Nonne melius esset quod nunc (quandoquidem tanta adest commoditas) confitearis, ut Deus gratiam convalescendi, et te ad Ecclesiam conferendi tibi concedat? Si dicat: Confessionem facere volo, sed in posterum; sacerdos annuat, ita tamen ut tempus vicinum determinet. Si difficultates in medium adducat vel nimiam dilationem petat, et periculum sit in mora; tunc iuvare solet ut sacerdos (maxime si prius de eius moribus informationem habuerit) dicat: Fili mi, iam scio

peccata tua; tu blasphemasti; tu Missam non audisti; tu iam inde a decem vel viginti annis praecepto paschali non satisfacisti; tu amicitiam cum muliere non tua habuisti etc. Nonne haec est confessio tua? Eia age itaque, parum remanebit; ego te adiuvabo: *In Nomine Patris et Filii* etc. Dic: suntne viginti an vero triginta anni ex quo non est confessus? etc.

Difficultas interdum non respicit confessionis substantiam, sed confessarii personam, quatenus multi, speciatim proprio parcho, peccata (maxime furti vel turpitudinum) confiteri nolunt. Si ergo parochianus admonitionem de confessione facienda non libenter audiat, parochus experiri debet an ope vicarii vel alterius sacerdotis, sive saecularis sive regularis illum ad confessionem disponere possit; imo, toties quoties de dicta verecundia et repugnantia suspicandum sit, parochus (antequam ipse cum infirmo de confessione verba faciat) curare debet ope familiarium ut infirmus, apud sacerdotem cum quo maiorem confidentiam habeat, confiteatur.

Tandem si, omnibus cautelis modisque suavioribus adhibitis, infirmus adhuc reluctaret, tunc parochus horrificum aeternae damnationis periculum ei exponere deberet; sed potius ad modum supplicantis, quam obiurgantis; cavendum est enim ne ob id clamores suscitentur et maiora mala provocentur. In casu aliquo iuvare poterit ut prius apertis verbis vicinae mortis nuntium ei datum fuerit, sed bona cautela erit, ut ope tertiae personae id peragatur.

224. *Quid si moribundus diceret se nolle confessionem facere, sive quia rationes suas componere vult cum Deo, non autem cum sacerdote; sive quia iam absolute non credit?* Parochus ad has obiectiones sit paratus. Ad primam respondere poterit: Deus vult ut rationes componantur cum sacerdote, sicut dominus cum ministro. Et ad secundam: Fili mi, infernus adest etiam pro iis qui non credunt..... Fides est necessaria ad salutem.....

Solis credentibus repromittitur praemium vitae aeternae.... Nonne vis salvari?... Deprecare Deum ut fidem habere possis....; et tamquam bonus christianus fac confessionem tuam. — Si moribundus annuat, veniam a Deo petat, et sua peccata accuset, absolvatur (sub conditione tamen, si de eius fide supersint dubia).

## ARTICULUS V.

### *De confessione infirmi actu suscipienda.*

225. Sequentia monita passim dantur. 1° Confessarius inter suum et infirmi vultum (ad minuendam verecundiam) manum interponat. 2° Dicat ut situ commodo remaneat et pausas faciat, ne defatigetur. 3° Si assidua siti vexetur, confessarius identidem quaerat utrum bibere velit eique potum porrigat. 4° Si difficile loquatur, sacerdos interrogationibus illum adiuvet, ita ut fere id unum infirmo reliquum sit ut affirmative vel negative respondeat. 5° Si omnino necesse sit ut confessio valde in longum protrahatur (quod tamen raro continget), ad aliud tempus complementum remittatur, ut infirmus non defatigetur et familiares sinistros suspectus non concipiant. 6° Si ex una parte oporteat ut absolutio statim detur, et ex alia confessio integrari nequeat, confessarius confessione dimidiata (qualis nempe iuxta circumstantias sine gravi incommodo haberi potest) contentus sit, et quietum reddat poenitentem dicendo quod Deus pro tunc confessionem integram non exigit, remanente tamen obligatione illam perficiendi, si postea poterit. 7° Si inservientes infirmum relinquere nequeant, tunc alicuius peccati venialis confessio, et aliorum in genere dumtaxat, exigi debet. 8° Exhortatio ad contritionem sit nervosa simul et affectuosa; sed brevis. 9° Brevisissima quoque et levissima poenitentia detur, indicta tamen alia exequenda si convaluerit. 10° Si infirmus (prout in publicis hospitalibus contingere potest) nolit ut pateat

se fuisse confessum, propter timorem ne, ob factam confessionem, a sociis male habeatur si conualescat, sacerdos ita se gerat ut non confessionem audire aut absolutionem impertiri, sed simpliciter cum eo loqui videatur.

226. *Quid si infirmus gravem aliquam obligationem habeat?* Theologi dant regulas sequentes. Si concubinam teneat, illam eiiciat vel in matrimonium ducat, si possit; et si non possit, saltem eam a proprio cubiculo arceat, nisi adeo derelictus sit, ut (praeter illam) neminem habeat, qui ei necessaria ministret. Si civile dumtaxat matrimonium contraxerit, actum religiosum exequatur. (De facultate quam hodie habere solent Episcopi et parochi dispensandi ab impedimentis moribundos concubinaricos vel civiliter solum coniunctos, vide *Praxim Ed. III Vol. IV n. 931*). Si bona ecclesiastica emisset, curandum esset de compositione statim vel quando poterit facienda (qua de re vide *Praxim l. c. n. 1088 et seqq.*).

Si aliquid restituere deberet, personae probae rem restituendam tradat (confessarius hoc onus periculi plenum declinare procuret), aut in testamento sub forma legati restitutionem adimpleat, nec facile haeredibus (nisi sint meticulousae conscientiae) oretenus illam committat. Si famam reparare teneretur, illam (saltem apud duos testes) exequatur. Si impiis sectis nomen dedisset, ab illis se separet, et duces occultos Episcopo denuntiandos manifestet.

227. *In praxi obligationes istae suntne semper moribundis intimandae?* Negative; sed prudentia adhiberi debet. Moribundi enim saepissime credunt sufficere propositum easdem exequendi in posterum, quando (prout fere semper confidunt) convaluerint. Imo aliquas ex his obligationibus facile non cognoscunt, aut de illis non cogitant, aut non credunt esse graves. Aliunde si talis vel talis obligatio, tamquam hic et nunc sub gravi omnino exequenda, declararetur, non semper speratur fructus; et saepe moribundus a peccato materiali in formale, et in maximum (ne dicam certissimum) periculum imminentis et

aeternae damnationis. coniceretur absque ullo bono effectum; nisi etiam ipse parochus familiae odium contra se concitet et in gravissimas tricas se coniciat. Quomodo itaque agendum? Si poenitens iam *certe* in mala fide sit, omnis lapis moveri debet ut obligationi suae (in quantum ab eo cognoscitur et practice adimpleri possit) satisfaciatur; et si obstinate recusaret, absolvi nequiret. Attamen, quamvis forte etiam extra confessionem eius obstinatio cognita fuisset, secreta teneri deberet; idque non solum ratione scandali, quod ex tali impenitentia suscitaretur vel augetur; sed etiam quia propter sepulturam ecclesiasticam tricae postea exorirentur. Si autem moribundus esset in bona fide, et de malo exitu admonitionis timeri deberet; tunc (vide etiam *Mobitore III. II pag. 148*) silendum esset; nisi forte 1º res a moribundo exequenda (v. g. retractatio) fortiter reclamaretur a bono publico. 2º Viaticum administrari deberet, nec absque scandalo administrari posset, nisi prius moribundus debito suo satisfecisset. Hoc tamen ultimum non facile obstat; etsi enim administratio Viatici declinari nequiret, et quidem diurno tempore perfici deberet; fideles facile supponunt, quod moribundus (cui iam Sacramenta conferuntur) obligationibus suis (quantum potuit in iis circumstantiis) satisfecerit, et conscientiae suae consuluerit; et sic ex Viatici quoque administratione scandalum (saltem tale quod praeponderet) non facile aderit, ut dixi. Interdum tamen vere obstare posset.

228. *Quid notandum est speciatim circa retractationem?*

I. Retractatio triplicis generis esse potest, scilicet 1º *In specie et publica*; retractatio scilicet (ope scripturae vel coram duobus testibus) nominatim talia vel talia scripta, dicta vel facta, simulque retractationem evulgando. 2º *In specie sed occulta*; emittendo scilicet retractationem ut supra, sed secreto; illamque ad Episcopum transmittendo ut in cancellaria servetur (et tempore opportuno post mortem infirmi publicetur); ita tamen ut statim

aliquo modo evulgetur quod infirmus fecit ea quae facere debebat. 3<sup>o</sup> *In genere*; nulla scilicet ab infirmo facta retractatione, sed solum (sive publico sive privato sermone) evulgando quod ille omnibus animae suae rebus consuluit.

II. Interdum exigitur omnino retractatio primi generis; si nempe 1<sup>o</sup> retractandae sint doctrinae valde perniciosae typis editae; 2<sup>o</sup> si ageretur de sacerdote, qui (etsi solum dictis vel factis) habitualiter tales doctrinas se profiteri ostenderit; 3<sup>o</sup> si de insigni aliquo censurato et Ecclesiae rebeli res esset.

III. Interdum sufficit retractatio tertii generis, si nempe ex una parte de nullo ex tribus casibus supradictis ageretur, et ex alia infirmus de obligatione retractationem emittendi non cogitaret, neque prudentia sineret ut circa rem istam in malam finem coniceretur. Berengo (*n. 110*) et Frassinetti (*Man. n. 371. 372*).

IV. Interdum denique exigitur et sufficit ut retractatio secundi generis emittatur; si nempe de iisdem tribus praedictis casibus non agatur, et infirmus ex una parte suam obligationem cognoscat vel prudenter de ea admoneri possit; et ex alia, propter publicationem retractationis in specie peractae, subeundi gravia damna (v. g. amissionem officii caeteroquin liciti) periculum subiturus esset. S. Poenit. apud Scavini (*IV. 221 q. 4<sup>o</sup> 5<sup>o</sup>*).

229. Stante dubio (quod in rebus istis facile occurrit) Episcopus (si fieri possit) consuli debet.

230. *Quid si ageretur de foemina infirma. quae in confessione diceret, medicum illam turpiter tangere absque necessitate?* Consilium ei dabitur ut toties quoties medicus advenit, aliqua alia mulier praesens sit. Si hoc non iuvaret, manu ipsa amoveat, vel tactum impediatur dicendo, dolorem sibi afferre.

231. *Quid si moribundus haberet casus vel censuras reservatas?* In articulo mortis, seu (ut theologi interpretantur) in periculo mortis vicinae, cessat omnis reservatio. Si tamen ageretur de censuris reservatis sive Romano Pon-

tifici *speciali modo*, sive Episcopo (Cf. *Praxis Ed. III Vol. IV n. 210*), ei imponi deberet obligatio, si convalesceret, sub poena reincidentiae, apud superiorem intra mensem comparendi personaliter, aut (stante impedimento) per epistolam et per medium confessarii. S. C. S. O. 23<sup>o</sup> Jun. 1886.

## ARTICULUS VI.

### *De casu infirmi sensibus destituti.*

232. *Quid si sacerdos, vocatus ad Sacramenta ministranda, videat hominem sensibus destitutum?* Interdum explorare debet aliquantulum ne forte agatur de ebrio; odor vini dabit indicium. Caeterum, ut infirmus a sopore excutiat, aliquando iuvat eius frontem nonnullis aquae guttis fortiter aspergere, vel manum iterum iterumque excutere, vel palmam manus vellicare, vel paullulum acetum intra nares aut os immittere; et postea manum illius accipere dicendo: adstringe mihi manum. Iuvat etiam plantam pedis vellicare, vel epigastrium, nempe stomachum, premere (sacerdos tamen quoad mulieres sic non faciat, quamvis forte curare possit ut ab aliis fiat). Si infirmus intelligat, sed loqui non possit, sacerdos ei suggerat, ut manum adstringat in signum quod sua omnia peccata accusat; quod de omnibus culpis suis dolet; quod proponit etc.

233. *Quid si non appareat quod infirmus intelligat, et nullo modo a sopore excuti possit?* Tunc Rituale dicit: « Si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est ».

Etsi autem nemo fidem faceret quod infirmus hoc desiderium expresserit, iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, absolutio dari potest: imo (ut hodie communiter dicunt) debet (attamen sub conditione).

234. *Quid si moribundus ita sensibus destitutus vitam scelestissimam duxisset, vel etiam in actu peccati*

*ita remansisset?* Tunc etiam sub conditione absolvi posset. S. Lig. n. 483. De moribundo ebrio idem docet Gury (*Cas. consc. II 308*); ebrietas enim inculpabilis esse atque attritio ante ebrietatem forte concipi potuit; quod iuxta Scotum sufficeret.

235. *Si moribundus usque ad extremum sacramenta recusasset, possetne absolvi quando sensibus destitutus remanserit?* Si parochus sit certus quod moribundus sic recusaverit sacramenta ex firmo proposito moriendi sine illis; tunc tamquam impoenitens considerari et sine absolutione relinqui debet; maxime si in tali destitutionis sensuum statu diu (v. g. pluribus diebus) non remanserit. Nisi tamen parochus ipse cum moribundo prius locutus fuerit, atque ad eum convertendum frustra adlaboraverit, difficile de praedicta eius voluntate obstinata certus esse poterit. Non enim sufficeret 1° si moribundus ex credulitate recuperandi sanitatem, vel in delirio, vel ex respectu humano (praesentibus sociis), vel ex momentaneo turbationis aestu, sacramenta recusasset; 2° si ille impiam vitam duxisset; 3° si parochus de sacramentorum recusatione a familiaribus vagam aliquam notitiam habuisset. In his casibus absolutio sub conditione adhuc concedi poterit. Aliud est tamen quod possit concedi, et aliud quod debeat; si enim moribundus impie vixisset atque admonitus a familiaribus de sacerdote advocando negative respondisset, tunc, si etiam sine ulla absolutione relinqueretur, nihil mali (imo et Rituali conformius) esset.

## ARTICULUS VII.

*De iterata huius sacramenti administratione vel absolutionis concessione.*

236. *Quid si, confessione audita, morbus perduraret?* Bonum consilium est ut parochus, toties quoties infirmum visitat, antequam recedat, illum interroget utrum aliquid

sibi dicendum habeat. Imo positive eum blande adhortabitur ad iterum confitendum ante Extremam Unctionem et Benedictionem in articulo mortis; imo et aliis vicibus pro sua prudentia, maxime si credendum sit quod infirmus difficile se contineat et saepe peccet (prout speciatim in iuvenibus phthisi affectis contingere solet).

237. *Moribundis sensibus destitutis absolutio (conditionata) potestne dari etiam pluribus vicibus?* Affirmative, speciatim morte iam iam imminente, aut si de moribundo magnis tentationibus subiecto (quibus interne consentire posset) ageretur. S. Lig. (*Praxis n. 76*).

## ARTICULUS VIII.

*De tempore pestis vel utcumque de morbis contagiosis; et an cum quocumque incommodo parochus accurrere teneatur?*

238. *Quid de administratione sacramenti poenitentiae infirmis sive peste sive alio morbo contagioso affectis, et de cautelis tunc adhibendis?*

I. Tempore pestis cautelae adhiberi debent, ut vita propria (tunc adeo necessaria) a contagio (quantum poterit) immunis servetur. Hinc sacerdos 1° Ad infirmos non eat ieiunus. 2° Curet ut in cubiculo infirmi aer prius renovatus fuerit et immunditiæ fuerint ablatae; et, si diutius immorari cogeretur, identidem exeat. 3° Nec infirmum nec quidquam aliud circa ipsum tangat. 4° Faciem versus faciem eius non teneat, ne illius halitum respiret. 5° Salivam non deglutiat sed expuat. 6° Canforam aliave aromata in ore teneat et acidum foenicum secum ferat. 7° Vestem talarem (quae tutior est) habeat. 8° Postquam domum redierit, vestem deponat, illamque aeri exponat et se lavet.

Similes cautelas adhibere expedit etiam in quibuslibet aliis morbis contagiosis, quos supra (n. 207) indicavi.

II. Quoad integritatem materialem confessionis, passim dicunt, tempore pestis non esse necessariam, et sufficere si unum vel alterum peccatum audiatur; sed hoc cum mica salis intelligi debet, si enim periculum contrahendi contagium non adeo magnum esset, et christifideles de tali ac tanta sacerdotum festinatione scandalizarentur, nec de huiusmodi confessionibus dimidiatis quieti remanent; tunc confessiones ex integro (saltem quantum satis erit ad scandalum declinandum) audiendae essent; nisi forte aliqua confessio adeo proluxa evasura foret, ut interim alii moribundi sine ulla confessione relinqui deberent. Benedictus XIV (*De Syn. XIII. xix 19*).

III. Theologi dicunt etiam quod parochus tempore pestis curam audiendi confessiones infirmorum ita aliis demandare posset, ut, quamvis personaliter vocaretur, accedere non teneatur; sed hoc intelligi debet solum pro casu in quo bonum publicum id exigat; quatenus, attenda gravitate periculi, expediat ut vita parochi quantum fieri potest in tuto collocetur, ne paroecia sine rectore remaneat, et ne sani ab illo adeundo pro sacramentis aliisque necessitatibus abhorreant.

239. *Teneturne parochus cum quocumque incommodo atque etiam cum sacrificio vitae, procurare ne quisquam sine confessione moriatur?* Certe accedere tenetur non solum cum levibus, sed etiam cum pluribus gravibus incommodis, nempe non obstante pluvia, nive, vento, vitalutosa, periculo latronum, itinere longo, hora nocturna etc. et quamvis ipse rheumate aut alia levi infirmitate afficeretur; aut aegrotus assistendus variolis arabis, typho, aliove morbo contagioso laboraret. Quod tamen non obstante quocumque incommodo aut periculo accedere tenetur, absolute prorsus dici nequit. Nunquid enim accedere teneretur, si ipse in lecto cum febre gravissima degeret, adeo ut, si ad moribundum se conferret, paulo post certissime

ille quoque causam itineris moriturus esset? Quis cum oneribus huiusmodi paroeciam acceptaret? Regula itaque sumenda erit a sensu communi, et a praxi parochorum timoratae conscientiae, maxime vero a consideratione, an cum tali vel tali onere paroeciae acceptari communiter censeantur.

## CAPUT XI.

### De parcho quoad SS. Eucharistiam infirmis administrandam.

Agendum est 1. de hac administratione ad modum viatici: 2. ex praeepto paschali et ex simplici devotione.

#### ARTICULUS I.

##### *De Viatico.*

##### PUNCTUM I.

##### *Quid sit Viaticum et quando administrandum.*

240. *Quaenam est differentia inter communionem ad modum viatici et ex simplici devotione?* 1º Viaticum administrari potest solum subsistente periculo mortis vicinae. 2º Infirmo etiam non ieiuno. 3º Cadit sub praeepto, quatenus non solum infirmus tunc communicare debet, sed etiam parochus sub gravi procurare tenetur ut communicet. 4º Viaticum administrari debet cum formula: *Accipe, frater (vel soror) Viaticum Corporis Domini Nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducatur te in vitam aeternam. Amen.*

241. *Quomodo iudicabit parochus quod Viaticum administrandi tempus advenerit?* Rituale dicit esse administrandum cum probabile est quod infirmus illud amplius (sive propter mortem sive propter amissionem sensuum sive propter alias circumstantias) sumere non poterit, quum

Similes cautelas adhibere expedit etiam in quibuslibet aliis morbis contagiosis, quos supra (n. 207) indicavi.

II. Quoad integritatem materialem confessionis, passim dicunt, tempore pestis non esse necessariam, et sufficere si unum vel alterum peccatum audiatur; sed hoc cum mica salis intelligi debet, si enim periculum contrahendi contagium non adeo magnum esset, et christifideles de tali ac tanta sacerdotum festinatione scandalizarentur, nec de huiusmodi confessionibus dimidiatis quieti remanent; tunc confessiones ex integro (saltem quantum satis erit ad scandalum declinandum) audiendae essent; nisi forte aliqua confessio adeo proluxa evasura foret, ut interim alii moribundi sine ulla confessione relinqui deberent. Benedictus XIV (*De Syn. XIII. xix 19*).

III. Theologi dicunt etiam quod parochus tempore pestis curam audiendi confessiones infirmorum ita aliis demandare posset, ut, quamvis personaliter vocaretur, accedere non teneatur; sed hoc intelligi debet solum pro casu in quo bonum publicum id exigat; quatenus, attenda gravitate periculi, expediat ut vita parochi quantum fieri potest in tuto collocetur, ne paroecia sine rectore remaneat, et ne sani ab illo adeundo pro sacramentis aliisque necessitatibus abhorreant.

239. *Teneturne parochus cum quocumque incommodo atque etiam cum sacrificio vitae, procurare ne quisquam sine confessione moriatur?* Certe accedere tenetur non solum cum levibus, sed etiam cum pluribus gravibus incommodis, nempe non obstante pluvia, nive, vento, vitalutosa, periculo latronum, itinere longo, hora nocturna etc. et quamvis ipse rheumate aut alia levi infirmitate afficeretur; aut aegrotus assistendus variolis arabis, typho, aliove morbo contagioso laboraret. Quod tamen non obstante quocumque incommodo aut periculo accedere tenetur, absolute prorsus dici nequit. Nunquid enim accedere teneretur, si ipse in lecto cum febre gravissima degeret, adeo ut, si ad moribundum se conferret, paulo post certissime

ille quoque causam itineris moriturus esset? Quis cum oneribus huiusmodi paroeciam acceptaret? Regula itaque sumenda erit a sensu communi, et a praxi parochorum timoratae conscientiae, maxime vero a consideratione, an cum tali vel tali onere paroeciae acceptari communiter censeantur.

## CAPUT XI.

### De parcho quoad SS. Eucharistiam infirmis administrandam.

Agendum est 1. de hac administratione ad modum viatici: 2. ex praeepto paschali et ex simplici devotione.

#### ARTICULUS I.

##### *De Viatico.*

##### PUNCTUM I.

##### *Quid sit Viaticum et quando administrandum.*

240. *Quaenam est differentia inter communionem ad modum viatici et ex simplici devotione?* 1º Viaticum administrari potest solum subsistente periculo mortis vicinae. 2º Infirmo etiam non ieiuno. 3º Cadit sub praeepto, quatenus non solum infirmus tunc communicare debet, sed etiam parochus sub gravi procurare tenetur ut communicet. 4º Viaticum administrari debet cum formula: *Accipe, frater (vel soror) Viaticum Corporis Domini Nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducatur te in vitam aeternam. Amen.*

241. *Quomodo iudicabit parochus quod Viaticum administrandi tempus advenerit?* Rituale dicit esse administrandum cum probabile est quod infirmus illud amplius (sive propter mortem sive propter amissionem sensuum sive propter alias circumstantias) sumere non poterit, quum



scilicet probabile est quod communio illa futura sit ultima. Mox autem dat aliam regulam (in praxi forte magis expectatam) dicendo, Viaticum ministrari posse *brevi morituris*, iis scilicet de quibus probabiliter iudicari debet quod sint brevi morituri. Si iam medicus sacramenta indixisset, tunc nihil dubii. Non semper tamen (speciatim hodie) est bona regula expectare ut medicus sacramenta indixerit. Parochus ipse (ab indiciis supra notatis aliisque circumstantiis normam sumendo) suo iudicio stare poterit. Qua in re cavebit ne decipiatur sive ab infirmis ipsis (qui valde facile hallucinantur et dicunt bene se sentire), sive ab eorundem familiaribus, sive interdum etiam a medicis (qui infirmum et familiam decipere solent), sive demum a melioramentis, quae (morte appropinquante) in morbis fere omnibus contingere solent. Si itaque parochus, considerato rerum complexu, timeat ne infirmus brevi sit moriturus, Viaticum administret, neque in re ista (maxime si ipse infirmus aut eius familia desiderium ostenderit) scrupulos habeat; et, si forte perplexus esset, reminiscatur effati: *Melius est vivere cum sacramentis; quam mori sine illis*.

## PUNCTUM II.

*De SS.mi Viatici impedimentis vel excusationibus.*

242. *Quenam impedimenta vel excusationes cogere vel eximere possunt parochum, ne viaticum administret?*

1° Vomitus vel quid simile. 2° Delirium vel quid simile. 3° Aetas puerilis ante usum rationis. 4° Indignitas subiecti. 5° Indecentia loci. 6° Renuentia infirmi. 7° Si infirmus paullo ante et maxime eodem die Eucharistiam recepisset. Sed haec singula sunt explicanda.

243. *Quid notandum circa vomitum?*

I. Ut Eucharistia ministrari possit, oportet ut absit nendum certitudo, sed etiam periculum, ne vomitus intra unam vel alteram horam post communionem sequatur. Dixi *intra*

*unam vel alteram horam*; non raro enim contingit quod post semihoram aut etiam horam sacrae species in frustulis reiectae fuerint. Ballerini (n. 273).

II. Si itaque infirmus vomitui subiiciatur, illo quoque cessante, cautissime procedendum erit antequam Viaticum ei ministretur; et regula suprema erit ut medicus interrogetur an praedictum periculum adsit, necne.

III. Theologi dant regulam observandi an infirmus sex horis sine vomitu remanserit, et probandi an particulam non consecratam retineat. At vero interdum hoc non sufficit, et interdum e contra tamdiu expectare non oportet. Casus, in quibus tamdiu expectare non oportet, sunt 1° Si agatur de vomitu, qui *matutinus* appellatur, quo nempe interdum laborant foeminae gravidae in primis tribus vel quatuor mensibus, et qui chronico stomachi catarrho (ut plurimum propter diuturnum liquorum abusum) afficiuntur. Huiusmodi vomitus enim, postquam mane acciderit, non iteratur. 2° Si vomitus erat frequentissimus (prout in cholera); et postea (etsi infirmus pluries cibum et potum sumpserit) totaliter cessaverit. Casus e contra, in quibus periculum vomitus perdurat, etsi infirmus iam inde a sex horis non evomuerit, sunt quando ad intervalla inaequalia et non brevia redire soleat; prout accidit, v. g. in hernia incarcerata, in inflammationibus ventris, in morbis renum, et in violationibus cerebri. Tunc ad minus duodecim horis expectandum est.

IV. Si autem, sive ex consilio medici, sive ex sufficienti probatione, de Viatico administrando deliberatum fuerit, ad maiorem securitatem deservire poterint cautelae sequentes. 1° Non solum particula non consecrata sed etiam aliquantulum aquae vel cibi infirmo praebeatur, observando utrum aliqua ad evomendum dispositio in eo appareat. 2° Communione sumpta, paullulum glaciei vel haustus aquae *frigidae* infirmo praebeatur, et postea aliquo tempore sine aliis cibis vel potionibus quietissimus relinquatur.

244. *Quid, si praeter praevisionem, aeger, Viatico sumpto, evomeret?* Si paullo post, vel ad summum intra unam vel alteram horam, id accideret, inspectio fieri deberet. Si species consecratae apparerent, caute separari, in aliquo loco sacro (donec corrumpantur) reponi, et postea in sacrarium mitti deberent. Si autem species non apparerent, tunc vomitum (stuppâ collectum) comburere, et cineres in sacrarium ponere oporteret. *Missale.*

245. *Cur dixisti quod Viatici administrationi obstare potest non solum vomitus, sed etiam quid simile?* Quia interdum obstare potest etiam tussis, atque insuper si infirmus (quod tamen rarissimum est) quidquid sumit, nulla digestionem facta, postea per secessum emitteret. Quoad tussim notandum quod, etsi frequentior esset, et cum magna pituitae excretionem contingeret, difficile communioni obstaret; catarrhus enim non e stomacho sed e pulmonibus vel bronchiis provenit. Si tamen tussis talis ac tanta esset, ut cibi ex eius impetu ab ore eiicerentur, vel de hoc periculum adesset, tunc certe illa quoque communionem impediret.

Recolenda est etiam regula Ritualis de linteo mundo ante pectus communicandi ponendo, quod non solum ad maiorem decentiam, sed etiam pro casu eiectionis sacrae particulae propter tussim impetuosa, aut vomitum repentinum, ab Ecclesia praescribitur.

246. *Quid notandum circa delirium vel quamlibet aliam a sensibus alienationem?* Si delirans vel sopore oppressus habeat lucida intervalla, haec erunt eligenda (intellige si sint satis diuturna ut fidendum sit quod iis durantibus Viaticum deferri possit). Praescindendo autem a lucidis intervallis, non facile delirantibus vel utcumque sensibus aut rationis usu destitutis, hoc sacramentum administrari valet. Imprimis absolute administrari nequit perpetuo amentibus, iis scilicet qui rationis usu nunquam compotes fuerunt; ex praesenti enim Ecclesiae disciplina, ad hoc augustissimum sacramentum recipiendum oportet,

ut illius cognitio atque pia affectio erga illud, saltem aliquando, praecesserit. In aliis casibus autem Viaticum pariter administrari nequit, si infirmus certe aut quasi certe in statu peccati mortalis versetur, eo quod mentem amiserit dum in peccato (confessione non subsequuta) vivere solebat, et multo magis si actu peccati (v. g. ebrietatis, furti, fornicationis etc.) in talem statum inciderit. Supponendo etiam quod infirmus vitam bene moratam ducere solitus fuisset, aut poenitentiae sacramentum recepisset, ad Viaticum administrandum oporteret etiam, ut nullum irreverentiae periculum subesset. Felix huiusmodi casus contingere potest, sed (nisi manifestum sit quod infirmus in illo statu cibos solidos semper et constanter deglutire soleat) non facile. Experientia prius, (et quidem pluries) ope particulae non consecratae, fieri deberet, atque insuper oporteret ut de mutatione non esset timendum; qui timor difficile abesse poterit, et maxime si tempus satis longum (prout ruri contingit) in Viatico deferendo impendi deberet. In praxi itaque, quum agatur de re difficultatibus, periculis et scrupulis nimis subiecta, obligationes parochis non sunt ponendae. Si tamen parochus in aliquo casu ad Viaticum administrandum se resolveret, praeter cautelam supra indicatam, bona regula erit tentare ut moribundus actu communionis a sopore excutiatur, maxime vero statim post communionem haustum vini vel aquae ei praebere, ut sacramentum particulam deglutiat. Cf. *Praxis* (Ed. III vol. III n. 1017) et Baruffaldi (*h. t. n. 47*).

247. *Quid de pueris moribundis, qui ad communionem non adhuc admissi fuerint?* Parochus non tenetur Viaticum illis praebere, nisi habeant aetatem in qua communiter pueri solent ad communionem admitti et casu aliquo (v. g. ex negligentia vel quia totum catechismum adhuc non didicerint) ad illam non fuerint admissi; aut nisi Viaticum recipiendi speciale desiderium ostenderint. Patet ex consuetudine, quae utique est optima legum interpres.

248. *Quid notandum circa subiecti indignitatem? Quid imprimis si moribundus a parochia eius confessione audiente inveniretur prorsus indispositus, ita ut, non obstante quavis admonitione, absolutione donari nequiret?* Tunc actu confessionis imponat ei obligationem dicendi adstantibus se nolle Eucharistiam sumere. Si reapse sic dicat, res erit expedita. Si vero nihil dicat, illum communice. Gousset (II 237).

249. *Quid si parochus ante Viatici delationem dividisset confessionem moribundi eumque indispositum invenisset, simulque oblitus fuisset convenire cum illo de admonendis (aliquo praetextu) familiaribus, qui credant, Viaticum esse illico deferendum?* Deberet ad lectum moribundi iterum se conferre; et, si hoc facere nequiret, dicere deberet familiaribus ipsis, se infirmi confessionem excepisse, sed de Viatico non esse locutum; et proinde illum esse interrogandum. Si autem haec agendi ratio admirationem inducere aut moribundo displicere posset, tunc confessionis sigillum exigeret ut potius sic et simpliciter Viaticum administraret.

250. *Quid si moribundus notorias et certas obligationes haberet, v. g. concubinam eiiciendi, vel matrimonium ecclesiasticum contrahendi, vel retractationem faciendi, vel pro bonis ecclesiasticis emptis se componendi etc.?* Parochus procurare deberet ut his obligationibus satisfaceret ante Viatici administrationem, et, supposita impossibilitate, haec aliquo modo sufficienti divulgari deberet, nisi esset manifesta. Concubina saltem e cubiculo infirmi arceri deberet si possibile esset. Si autem possibilitas quidem adesset eisdem obligationibus satisfaciendi, sed ita ut satisfactio ipsa parum vel nihil sperari posset, tunc videndum an moribundus sit in bona vel mala fide. Si esset in mala fide, utique Viaticum foret semper declinandum; si vero esset in bona fide, quamvis tunc etiam ordinarie declinari deberet, ne administratio ipsa scandalosa foret aut dogma falsum ingereret (quasi obligationes quae revera adsunt

non adessent); tamen aliquando posset suppetere modus impediendi scandalum, dicendo v. g. quod moribundus conscientiae suae consuluit, et sic sinendo ut populus persuasionem conciperet quod ille aut satisfecerit, aut impedimento fuerit detentus et caeteroquin satisfaciendi bonam voluntatem habuerit.

251. *Quid notandum circa indecentiam loci? Quid scilicet si persona moribunda esset in lupanari, vel in domo Hebraeorum, vel in theatro, vel in caupona, vel in loco duelli, vel in stabulo, in foenili, in tugurio etc.?* Certe non liceret deferre SS. Viaticum ad lupanar (Berengo n. 102, et Scavini I 768). Quoad domos Hebraeorum, videndum utrum a consuetudine loci aut legibus synodalibus aliquid disponatur. Insuper circa domos istas, nec non theatrum, cauponam etc. considerandae sunt circumstantiae, ne scilicet angustissimum sacramentum irreverentiis exponatur. Duellans in loco duelli moribundus excommunicationis quidem et infamiae poena afficitur; sed, si facti poenitens confessus fuerit et scandalum reparaverit, quoad Viaticum ei deferendum, nihil (quod sciam) in contrarium adest. (Cf. Const. Detestabilem Bened. XIV). Denique vilitas loci (v. g. tugurii, foenilis, stabuli etc.) nihil obstat (Alex. VII Const. 48, et Clemens. IX Const. 38). Attamen, speciatim quoad huiusmodi loca, parochus exigere debet ut mundentur, et aliquo modo ormentur. Rituale (h. t. X. xi).

252. *Quid notandum circa infirmi renuentiam?* Si parochus cognoscat quod infirmus pro tunc ad Viaticum recipiendum non sit dispositus, et speciatim si multum laborare debuisset ut illum ad confessionem disponeret; specialem prudentiam adhibere debet, ne confessionis iam peractae fructus destruat vel saltem in magnum periculum coniiciatur. In re ista aeternam salutem parochiani sui moribundi, non vero quid alii dicturi sint (etiam forte contra se ipsum), prae oculis habeat. Attamen, eo diligentius quo magis periculum est in mora, curet ut moribundus ad Viaticum quoque recipiendum suaviter et libenter dispo-

natur. Egregie deservire solent personae familiares, maxime vero sive mater, sive uxor, sive soror eiusdem; quibus tamen expedit indicare quid dicere debeant infirmo; scilicet, v. g. quod Dominus gratias non solum pro anima, sed etiam pro corpore ei facere poterit; quod alii multi Viaticum receperunt et postea convaluerunt; quod, illo recepto, magnam pacem habebit, et familia quoque tranquilla erit etc. Interdum repugnantia non respicit Viaticum ipsum (quasi esset nuntium mortis), sed publicitatem; imo aliquando difficultas plus quam ab infirmo, provenit a familia ipsa, eo quod, concurrente populo, deberet domum ornare etc. In his circumstantiis parochus forte poterit etiam nocturno tempore Viaticum deferre; cavendo tamen ne in re ista nimis facilem se ostendat, ut patet ex quaestione sequenti.

253. *Potestne Eucharistia deferri ad infirmos tempore nocturno?* Rituale respondet negative, secluso casu necessitatis.

254. *Qui, non apparente mortis vicinae periculo, communicavit ex devotione, tenebitur iterum communicare pro Viatico si post unum vel alterum diem dictum periculum suboriatur?* Si sanus in Ecclesia communicaverit, consuetudo est ut Viaticum ei deferatur, quamvis paucis diebus antea, aut etiam die praecedenti, communicasset; neque absque scandalo Viaticum tunc omitti posset. Si vero Eucharistia hodie ad personam infirmam ex devotione delata fuisset et cras mortis vicinae periculum insurgeret; tunc iterata Eucharistiae delatio sub obligatione cadere non videtur. Si tamen infirmus illam desideraret, parochus annuere deberet.

255. *Quid si quis mane ex devotione communicasset, et intra eandem diem in mortis iam imminenti periculo versaretur?* Si mane communicasset ex devotione quidem sed infirmus, populo Eucharistiam comitante, non videtur expedire ut populus iterum vocetur (speciatim si distantia esset magna) ut eidem iterum Communio deferatur. Si vero mane communicasset sive sanus in Ecclesia, sive in-

firmus absque populi comitatu; tunc videndum an ille Communionem iterum recipere desideret; nec ne. Si desideret, parochus recusare nequit. Si vero non desideret, parochus quoque silere poterit.

PUNCTUM III.

*De nonnullis aliis animadversionibus circa SS. mum Viaticum.*

256. *Quid notandum circa delegationem alterius sacerdotis ad ministrandam SS. Eucharistiam infirmis?* Duo sunt notanda. 1<sup>o</sup> Quum contingere possit quod infirmus reconciliari indigeat, oportet ut qui SS. Eucharistiam defert sit ad confessiones audiendas approbatus. Excipe nisi ex necessitate aliter fieri deberet. 2<sup>o</sup> Quamvis administratio sacramentorum moribundis sit de strictis iuribus parochialibus; tamen, si forte familia infirmi non nisi alteri sacerdoti aditum permittere vellet, parochus illum delegare deberet; *charitas enim non quaerit quae sua sunt, sed quae Iesu Christi.*

257. *Quid si Viaticum non nisi occulte deferri posset, eo quod familia impia consentiat quidem ut aliquis sacerdos (v. g. consanguineus) accedat ad infirmum, qui sincero animo Viaticum desideret; sed nullo modo permittat ut alii accedant, et quamlibet religiosam caeremoniam firmiter recuset?* In tali casu extremo SS. mum Viaticum etiam occulte administrari poterit. Attamen consulto Episcopo, si tempus suppetat. Sacerdos autem stolam habeat propriis vestibus coopertam. Exiguam pixidem recondat in bursa, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et nunquam solus procedat, sed uno saltem fidei (intellige si fieri possit) in defectu clerici associetur. Gousset (II. 240) Gury (II. 305) et Rituale (*App. noviss.*).

258. *Quamnam cautelam habere debet sacerdos antequam ab altari cum pixide discedat?* Inspicere debet pixidem ipsam, ne forte vacua sit.

259. *Quid notandum circa modum incedendi, maxime si periculum sit ne infirmus, antequam Sacramentum perveniat, moriatur?* Sacerdos ordinarie gravi incessu procedere debet. In dicta autem necessitate poterit quidem gradum sollicitare, sed non currere. Baruffaldi (*h. t. n. 69*).

260. *Licetne deferre SS.mum Viaticum equitando?* Hoc conceditur etiam a Rituali (§ XXXII). Quod tamen intelligi debet si adsit consuetudo, attenta paroeciae vastitate; aut etiam pro casu extraordinario, eo quod propter parochi impotentiam aliter fieri nequiret.

261. *Quid de usu birreti vel parvi pileoli in SS.mi Viatici delatione?* Non licet. (Rituale). Haec prohibitio extenditur etiam ad tempus nocturnum. S. R. C. Decr. (1931) 23 Aug. 1695. Neque pro civitate suffragatur praetextus alicuius infirmitatis (v. g. rheumatis). Decr. cit.

Si propter locum alpestrem magnisque ventis expositum, paroeciae vastitatem, vias impervias etc. usus pileoli, speciatim tempore hyemali, semper vel fere semper necessarius esset, tunc indultum S. Sedis exigeretur. Gury (*II. 308*) ex Decr. (2908) 23 Maii 1846. Pro casu raro autem, extraordinario et impraevisto, si, propter veram infirmitatem, pluviam, nivem, ventum, longitudinem itineris, tempus nocturnum, vias impervias etc., usus pileoli vere necessarius esset, illum licitum esse dicerem. Cf. Gousset (*II. 240*). Si tamen aliquis parochus vel vicarius necessitatem istam sibi facile occurrere posse praevideret, tunc (ne abusibus aditus aperiatur) petenda esset licentia ab Episcopo, qui, iuxta S. Lig. (*Hom. Ap. XV. 12*), illam concedere posset.

262. *Quid si in locis praedictis SS.mum Viaticum nedum equitando et capite cooperto, sed etiam vix aut ne vix quidem uno cum laterna comitante deferri possit?* Tunc quoque (ad consuetudinem legitimandam) a fortiori indultum Apostolicum (quo res iudicio et conscientiae Episcopi remitteretur) necessarium esset. Decr. cit. n. 2908.

263. *Quid de consuetudine deferendi SS.mum Viaticum antequam infirmus confessus fuerit?* Regulariter id fieri nequit. Attamen in vastis paroeciis, quoad moribundos qui valde distant, dicta consuetudo propter necessitatem servari poterit. Rit. (§ XX) et Gousset (*II. 237*).

264. *Quid advertendum si in dicto casu, aut in aliis (dum scilicet sacerdos iuxta Rituale interrogat infirmum an sit dispositus ad S. Viaticum suscipiendum), confessio audiri deberet?* Baruffaldi (*n. 167*) dicit, adstantes (dum confessio auditur) esse removendos. Si tamen infirmus paullo ante confessus fuisset, interrogari posset an velit necne ut adstantes recedant.

265. *Quid si confessio valde prolixa evaderet?* Decisio pendet a circumstantiis. Si, v. g. populus comitatus fuerit SS.mum Sacramentum usque ad ianuam domus infirmi et expectet; vel multo magis si adstantes sint in cubiculo; utique contingere potest, quod, ad evitanda dicta atque etiam ne populus ipse nimis detineatur, pro interim confessio dimidiari possit, imo debeat.

266. *Quid si infirmus praeter praevisionem, propter delirium vel sensuum destitutionem, Communionis incapax reperiretur, et sine mora Extrema Unctione animaeque commendatione donari deberet?* Posita SS.ma Eucharistia in mensa decenti cum luminibus atque adstantium adoratione, sacerdos praedicta praestet, et, si moribundus videretur iam iam moriturus, illum usque ad mortem assistat. Sin minus, praestitis magis necessariis, redeat ad Ecclesiam cum SS.ma Eucharistia; vel, si aliquis sacerdos, non longe distet, curet ut advocetur.

267. *Si parochus sciret quod verba: Accipe, frater, Viaticum etc. nimis contristatura essent infirmum, possetne absque culpa adhibere formulam consuetam: Corpus Domini nostri etc.?* Affirmative. S. Lig. (*VI. 285*).

268. *Parva pixis, quae cum unica particula ruri adhiberi solet, a quonam deportari debet ad Ecclesiam?*

A sacerdote ipso. Aliqui notant quod illa in tabernaculo reponi debet donec purificetur. Berengo (*n. 102*).

269. *Quid notandum circa Viatici repetitionem?* Si infirmus prorsus convaluerit, et postea in novum mortis periculum inciderit; tunc certe nova Viatici administratio sub praecepto caderet. Si vero melius quidem se senserit, sed in substantia eadem infirmitas perduraverit, tunc ad Viaticum iterum recipiendum ille non tenebitur (Baruff. *n. 26*); nisi forte longo tempore (v. g. duobus mensibus) dicta melioratio perduraverit. Si tamen, obligatione non subsistente, iterum communicare desideraret, parochus teneretur ei satisfacere, si discrete peteret, inspectis circumstantiis; aliud enim est si infirmus in ipsa domo parochiali, aliud si in civitate, et aliud si ruri in domo ab Ecclesia valde dissita esset; non enim expediret ut populus, v. g. quotidie, ad talem finem advocaretur. Communio autem horis matutinis ei ieiuno administrari deberet sub formula *Corpus Domini nostri* etc.; nisi forte iterum videretur brevi moriturus. Cf. *Praxis* (*Ed. III. Vol. III. n. 1032*).

270. *Quid si moribundus sacrilege communicasset, aut post Communionem in peccatum mortale reincidisset?* Quamvis in peccatum mortale reincidisset, ad Viaticum iterum sumendum non teneretur, sed sufficeret ut confiteretur. Si vero sacrilege communicasset, in rigore iterum communicare deberet (*Viva prop. XIV. Alex. VII n. 11*); sed in praxi ab hac obligatione facile excusaretur propter difficultates, et speciatim propter admirationem quae in familia et in populo oriretur.

271. *Quid si periculum grave mortis vicinae non ex infirmitate proveniret, sed ex alia causa; v. g. operatione chirurgica, praelio, navigatione, naufragio, itinere valde periculoso, partu, persecutione, aut si miles contra latrones ire deberet; maxime vero si quis ad mortem iam damnatus fuisset?* Certe in his casibus consilium est quod SS. ma Eucharistia sumatur. Imo theologi de hoc strictam

obligationem passim imponunt. Attamen dispensationem a ieiunio ad solos damnatos ad mortem restringere videntur. Cf. Lugo (*De Euch. XVI. 47*), Baruffaldi (*h. t. 34-44*), Berengo (*n. 112*), Bened. XIV (*De Sacr. Miss. III. xx. 6*), Gousset (*II. 227*). Ego de praedicta obligatione rigorosa, saltem sic absolute generali atque adeo extensa, valde dubito. Cf. *Praxis* (*Ed. III. Vol. III. n. 1035*).

272. *Teneturne parochus tempore pestis, praeter sacramentum poenitentiae, Viaticum quoque administrare?* Affirmative; et sententia contraria (etsi communis inter recentiores) est certe falsa, ut patet ex responso S. Sedis (apud Bened. XIV *De Syn. XIII. xix. 10*). Excipe nisi ageretur de peste adeo terrificata, talesque urgerent circumstantiae, ut necessarium vel melius censi deberet a tali administratione abstinere; unde, approbantibus superioribus et sine ullo scandalo, iam omnes ab illa abstinerent. Circumstantiae huiusmodi essent 1° Si ad Viaticum administrandum alii sine absolutione sacramentali (quae maioris necessitatis est) mori cogentur. 2° Si Eucharistia cum solemnitate prout de ritu deferri nequiret, eo quod qui deferant lumina, umbellam etc. non invenirentur. 3° Si magna adesset sacerdotum penuria, quorum vita nimis esset necessaria, nimisque revera propter accessum ad moribundos periclitaretur. Vide *Casus conscient. an. 1884* (*Cas. II*).

273. *Quid de modo et ritu in administratione huius Sacramenti tempore pestis?* Decisio spectabit ad Episcopum, qui (data necessitate) concedere poterit ut Sacramentum in mensula decenter parata apponatur, ex qua aegrotus (praesente sacerdote) suis manibus illud sumat et deglutiat. Concedere poterit quoque, ut sacerdos sacramentum cum aqua aut vino ope cochlearis infirmo porrigat. Cf. Bened. XIV (*De Syn. XIII. xix. 25*).

274. *Quid notandum si Communio ad sacerdotem infirmum deferatur?* Sacerdos cum stola alba collo ap-

pensa communicare debet; unde parochus in hunc finem praeter suam deferet secum aliam. Rit. (*Tit. XXIV. § XI*) et Baruff. (*h. t. n. 206*).

## ARTICULUS II.

*De Eucharistia administranda infirmis sed non ad modum viatici.*

275. *Quid notandum circa communionem infirmorum ad satisfaciendum praecepto paschali?*

I. Parochus tenetur Eucharistiam illis deferre intra quindenam (Rituale). Ex consuetudine tamen (saltem apud nos) praeceptum istud intelligitur dumtaxat de aegrotis ex morbo chronico; non vero de aliis qui post quindenam ad paroeciam se conferre poterunt.

II. Si quis ad modum Viatici intra quindenam communicasset, ad iterum communicandum ratione praecepti paschalis (etsi mortis periculum evanisset) non teneretur. Gury (*Cas. consc. I. 453*), contra Baruff. (*n. 29*).

III. Si infirmus ieiunus stare non posset, vide dicta (*n. 191*).

276. *Quid notandum circa infirmos communicandos ex mera devotione?*

I. Si infirmus desideret communicare ex mera devotione, parochus recusare non potest. (Rituale § 3<sup>o</sup>). Intellige si discrete petat, attento praecipue incommodo populi, qui SS. mum Sacramentum comitari solitus sit.

II. Imo parochus adhortabitur infirmum ut sacram communionem sumat etsi graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat; maxime si festi alicuius celebritas id suadeat (Rituale *l. c.*). Intellige si inspectis circumstantiis monitum istud expediat, et speciatim si agatur de morbo chronico vel utcumque diuturno.

III. Ut infirmus ex mera devotione communicari, possit, secluso indulto apostolico debet esse ieiunus (iuxta dicta *n. 191*, et vide *Examen Vol. IV. n. 4441*).

## CAPUT XII.

## De Extrema Unctione.

Circa sacramentum istud agendum est 1. De obligatione et de ritu. 2. De subiecto. 3. De iterata administratione et nonnullis aliis advertentiis.

## ARTICULUS I.

*De obligatione, et ritu.*

277. *An haec obligatio urgeat sub gravi, atque etiam tempore pestis?*

I. Quamvis forte infirmus excusari possit a mortali, si, secluso contemptu aut gravi scandalo aut speciali necessitate spiritali, Extremam Unctionem suscipere nolit: tamen a gravi peccato excusari nequit parochus, si infirmos absque hoc sacramento mori sinat, dum illud sive expresse sive interpretative desiderant.

II. Quae dixi (*n. 272*) de obligatione administrandi Viaticum tempore pestis, applicanda sunt etiam ad Extremam Unctionem.

278. *Quid notandum circa ritum?* Praeter notissima, notanda sunt sequentia:

I. Unctio pedum non est de essentia, sed solum de praecepto. Dantur tamen casus, in quibus decencia non solum quoad foeminas sed etiam quoad masculos, exigere potest ut haec unctio omittatur (Bened. XIV. *de Syn. VII. xviii*).

II. Etiam unctio renum est solum de praecepto, et quoad masculos dumtaxat, qui ex utroque latere ungi debent, si commode id fieri possit. (Rituale). Multi unctionem istam omittunt, adeo ut in quibusdam Dioecesibus pene in desuetudinem abierit; sed S. R. C. (*14 Aug. 1858 n. 3075*) scribens ad quemdam Episcopum in cuius dioecesi eadem

pensa communicare debet; unde parochus in hunc finem praeter suam deferet secum aliam. Rit. (*Tit. XXIV. § XI*) et Baruff. (*h. t. n. 206*).

## ARTICULUS II.

*De Eucharistia administranda infirmis sed non ad modum viatici.*

275. *Quid notandum circa communionem infirmorum ad satisfaciendum praecepto paschali?*

I. Parochus tenetur Eucharistiam illis deferre intra quindenam (Rituale). Ex consuetudine tamen (saltem apud nos) praeceptum istud intelligitur dumtaxat de aegrotis ex morbo chronico; non vero de aliis qui post quindenam ad paroeciam se conferre poterunt.

II. Si quis ad modum Viatici intra quindenam communicasset, ad iterum communicandum ratione praecepti paschalis (etsi mortis periculum evanisset) non teneretur. Gury (*Cas. consc. I. 453*), contra Baruff. (*n. 29*).

III. Si infirmus ieiunus stare non posset, vide dicta (*n. 191*).

276. *Quid notandum circa infirmos communicandos ex mera devotione?*

I. Si infirmus desideret communicare ex mera devotione, parochus recusare non potest. (Rituale § 3<sup>o</sup>). Intellige si discrete petat, attento praecipue incommodo populi, qui SS. mum Sacramentum comitari solitus sit.

II. Imo parochus adhortabitur infirmum ut sacram communionem sumat etsi graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat; maxime si festi alicuius celebritas id suadeat (Rituale *l. c.*). Intellige si inspectis circumstantiis monitum istud expediat, et speciatim si agatur de morbo chronico vel utcumque diuturno.

III. Ut infirmus ex mera devotione communicari, possit, secluso indulto apostolico debet esse ieiunus (iuxta dicta *n. 191*, et vide *Examen Vol. IV. n. 4441*).

## CAPUT XII.

## De Extrema Unctione.

Circa sacramentum istud agendum est 1. De obligatione et de ritu. 2. De subiecto. 3. De iterata administratione et nonnullis aliis advertentiis.

## ARTICULUS I.

*De obligatione, et ritu.*

277. *An haec obligatio urgeat sub gravi, atque etiam tempore pestis?*

I. Quamvis forte infirmus excusari possit a mortali, si, secluso contemptu aut gravi scandalo aut speciali necessitate spiritali, Extremam Unctionem suscipere nolit: tamen a gravi peccato excusari nequit parochus, si infirmos absque hoc sacramento mori sinat, dum illud sive expresse sive interpretative desiderant.

II. Quae dixi (*n. 272*) de obligatione administrandi Viaticum tempore pestis, applicanda sunt etiam ad Extremam Unctionem.

278. *Quid notandum circa ritum?* Praeter notissima, notanda sunt sequentia:

I. Unctio pedum non est de essentia, sed solum de praecepto. Dantur tamen casus, in quibus decencia non solum quoad foeminas sed etiam quoad masculos, exigere potest ut haec unctio omittatur (Bened. XIV. *de Syn. VII. xviii*).

II. Etiam unctio renum est solum de praecepto, et quoad masculos dumtaxat, qui ex utroque latere ungi debent, si commode id fieri possit. (Rituale). Multi unctionem istam omittunt, adeo ut in quibusdam Dioecesibus pene in desuetudinem abierit; sed S. R. C. (*14 Aug. 1858 n. 3075*) scribens ad quemdam Episcopum in cuius dioecesi eadem



unctio prorsus incognita erat et nunquam adhibita fuerat, dixit: « S. Congregatio ardentissimum votum suum expressit ut, curante Amplitudine tua et doctibus parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur fideles ad istam quoque specialem unctionem in extrema agone recipiendam, iuxta ritualis romani praescriptiones ». Cautè tamen haec unctio fieri debet, ne modestia offendatur, maxime si (prout ruri ordinariè contingit) mulieres praesentes sint; et interdum, propter aliquod notabile incommodum (v. g. propter immunditiam et foetorem) omitti poterit.

III. Qui carent aliquo sensu (v. g. oculis) ungi debent, sicut ungerentur si illum haberent, quia desiderio peccare potuerunt; idque quamvis a nativitate illo sensu caruissent. Brachio vel erure mutilatus ungetur in parte proximiori (Rituale). Si tamen ageretur de coxendice mutilata, modestia exigere poterit, ut unctio omittatur.

IV. Forma comitare debet unctionem, nec ad finem deduci antequam ambo oculi, vel ambae aures, vel ambae manus, vel ambo pedes uncti fuerint (Rituale).

V. In dubio de vita, dici debet: *Si vivis*.

VI. Si moribundus iam iam ultimum anhelitum trahere videatur, ungi debebit in fronte dicendo: « Per istam S. Uctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus omnes ». Quia tamen de validitate huiusmodi administrationis ambigi potest, moribundus, si supervivat, adhuc ungendus erit more solito in singulis sensibus, intelligendo prosequi sacramentum sub conditione si prius valide administratum non fuerit. Alii vero suggerunt ut sub unica forma (dicendo nempe: Per istam sanctam unctionem etc. indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum deliquisti) celerrime ungetur unus oculus, una auris, una naris, unum labium, et una manus (vel pro manu aliqua alia corporis pars).

VII. Tempore pestis sacerdotes gossypium (sacro Oleo intinctum) vel etiam penicillum adhibere poterunt, si Episcopus sic expedire decernat.

VIII. S. Oleum apud infirmum super mensam mappa candida coopertam poni debet.

IX. Administrandum est non solum cum stola, sed etiam cum superpelliceo.

X. Antequam administretur, candelam ceream accendere, Crucifixum infirmo osculandum praebere, atque adstantes ut pro infirmo orent admonere oportet.

XI. Bombacii globuli, quibus loca inuncta fuerunt abstersa, ad Ecclesiam reportari debent, ut suo tempore comburantur, cineresque in sacrarium mittantur (Rit.).

## ARTICULUS II.

### *De subiecto.*

279. *Quid exigitur ut alicui Extrema Unctio dari possit?* Exigitur ut sit 1° doli capax; 2° infirmus; 3° in periculo mortis vicinae; 4° non indignus.

280. *Quid de primo requisito: DOLI CAPAX?* Excluduntur perpetuo amentes, et pueri ante usum rationis. Notandum quod puer qui sacramentalis absolutionis capax censeatur, Extremae Uctionis quoque capax censi debet, quamvis forte Viaticum non videretur ei deferendum. Obligatio tamen praebendi S. Oleum his pueris non videtur gravis, maxime si sat certe constet quod gravia peccata committere non potuerint. In dubio de usu rationis, interrogentur parentes; et, dubio perseverante, puer sub conditione inungatur. (Cf. Bened. XIX. *De Syn. c. VIII. VI. 2*).

281. *Quid de secundo requisito: INFIRMUS?* Non sufficit ut quis (sicut pro Viatico) utcumque sit in periculo mortis vicinae, sed oportet ut praecise sit infirmus. Hinc huius sacramenti incapaces sunt damnati ad mortem, vel subituri operationem chirurgicam periculosam, vel mulieres proximae partui qui solitus sit esse periculosus etc.; nisi fortasse operatio vel partus ipse malevertat, atque ita ve-

ram infirmitatem mortis vicinæ periculosam inducat. Cf. S. Lig. 713, et D' Annib. III. 305.

Certe tamen moriens ex senectute hoc sacramento muniri debet, quia senectus pro infirmitate habetur. (Rit.).

282. *Quid de tertio requisito: IN PERICULO MORTIS VICINAE?* 1º Periculum istud notabilem latitudinem habere solet; et, exceptis morbis chronicis aut suapte natura valde diuturnis (ut phtisi, hydropisi, vitiis organicis etc.), etiam in principio adesse potest. Barbosa (*de Par. II. XVI. 21*). 2º Status infirmitatis subsistere posset quamvis homo in lecto non decumberet, aut etiam se bene valere crederet; et tunc iudicio medicorum standum esset.

283. *Quid de praxi administrandi hoc sacramentum indiscriminatim solum in extremis?* Rituale dicit, hoc sacramentum adhibendum esse « eo tempore, si fieri possit, « cum (infirmis) adhuc integra mens et ratio viget, ut, « ad uberiores sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre « possint ». Et catechismus romanus subiungit: « Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti inungendi ob- « servare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et « sensibus carere incipiat ». Adde periculum ne aegrotus sine hoc sacramento moriatur; multae enim infirmitates valde fallaces esse solent. Praxis itaque administrandi hoc sacramentum indiscriminatim solum in extremis (et maxime si id servaretur etiam in iis morbis, qui speciali periculo mortis *inopinatae* subiiciuntur) corruptela est, et proinde parochus (si in eius paroecia talis abusus vigeret) populum ita instruere deberet, ut fideles ad Extremam Unctionem pio et libenti animo suscipiendam paullo post Viaticum se disponant. Doctrinam autem populo expositam in praxi adhibebit; sed blande et prudenter. *Blande*, adducendo exemplum Apostolorum, qui « ungebant Oleo multos aegros et sanabantur », simulque ostendendo utilitates spirituales et corporales, quae ex hoc sacramento dimanant. *Prudenter*; cum quibusdam enim cautissime procedendum

erit, aut etiam de sacramento isto prorsus silendum (ne quod lucratum fuit, deperdatur). Neque profecto per vim aut quasi per vim quisquam inungi debet; rituale enim dicit: *si fieri possit*; et catechismus ait, hanc coelestem medicinam dandam esse quando magis censenda sit profutura; atque evidenter supponit casum personae, quae non iam aegro animo, sed libenter cum pio et devoto affectu hoc sacramentum susceptura sit. Curandum erit quoque ut non solum infirmus sit contentus, sed etiam illius familia; secus enim ordinarie turbationes suscitarentur et nihil boni obtineretur; imo (apud nos) contingere posset quod, propter Extremam Unctionem, invita familia, administratam, ulterior sacerdotis accessus penitus impediatur.

284. *Quid de quarto requisito: NON INDIGNUS? Et imprimis quid de impenitentibus?* R. Hi certe hoc sacramento donari nequeunt (Rituale).

Sed quid si impenitentia soli parochus nota sit? Quomodo scilicet se gerere debet parochus, si, secreto infirmum allocutus, illum impenitentem repererit; et postea a familia (quae de impenitentia nihil sciat) advocetur, dum infirmus sensibus destitutus evasit? Poteritne Extremam Unctionem eidem administrare, ut ex una parte impenitentiam servet occultam, et ex alia ipse non incusetur quasi muneri proprio deficiat? R. Non solum animae commendationem huic moribundo concedere deberet, sed etiam (si reapse dictam notam aliquo praetextu declinare non posset) Extremam Unctionem, quae non iam ex absoluta subiecti incapacitate (qui enim prius non poenituit postea poenitere potuit), sed solum ex disciplina Ecclesiae, non conceditur iis, qui usquedum loqui potuerunt sacramenta respuerunt; quae disciplina servari debet de regula ordinaria, non vero si circumstantiae speciales clament ut, non obstante dicta impenitentia occulta, hoc sacramentum (intellige sub conditione) conferatur, prout in casu.

285. *Quid si quis, actu peccati (v. g. furti, aggressionis, homicidii, duelli, suicidii etc.), vel in statu peccati*

(v. g. matrimonii mere civilis, concubinatus, meretricii in lupinari, vel officii mortaliter illiciti etc.) sensibus destitutus remanserit? Rituale dicit, hoc sacramentum penitus esse denegandum non solum impenitentibus, sed etiam iis qui, in manifesto peccato mortali moriuntur, cuiusmodi sunt quotquot actu peccati vel in statu peccati sensibus destituuntur et repentina morte praeoccupantur; secus enim de quibusnam rituale loqueretur? Haec itaque est certe regula generalis, et reapse passim huiusmodi moribundis Extrema Unctio denegatur (Cf. Gousset II. 614 et Berengo n. 110), et, si concederetur, christifideles scandalizarentur, quasi sacerdotes sancta darent canibus et projicerent margaritas ante porcos.

Sed circa hanc regulam estne aliquid notandum? Notari debet 1º Esse intelligendam pro casibus publicis, non vero si parochus scientia privata dumtaxat sciret quod moribundus in statu peccati sensus amiserit, ut innuit Gury (*Cas. consc. II. 182*); neque profecto huiusmodi moribundi hoc sacramento incapaces sunt absolute; possibilitas enim quod in corde proprio poenituerint, vix unquam deerit. 2º Ex eo quod Extrema Unctio in casibus publicis dari nequeat, non sequitur quod absolutio quoque sit deneganda; haec enim est maioris necessitatis et secreto dari potest, prout reapse ex doctrina S. Ligorii (ut dixi supra) his etiam moribundis passim datur. 3º In aliquibus locis parochi et capellani hospitalium recedunt a regula ritualis, iamque a longo tempore efformata est praxis communissima non solum absolutionem sed etiam Extremam Unctionem dictis moribundis concedendi, saltem in quibusdam casibus satis obviis; atque ex tali administratione nullum scandalum sequitur, sed potius perturbationes et scandala orirentur si sacramentum non administraretur; et, quatenus ita esset, communem praxim (donec Episcopus illam non interdicat) sequi posse dicerem. Si tamen ageretur de casibus extraordinariis, ita ut Extremam Unctionis administratio male audiretur, tunc in istis etiam

locis abstinendum esset. 4º Quod dictum est de iis qui actu peccati sensus amiserunt, de excommunicatis quoque notorie et pertinaciter, repeti debet (Berengo l. c.).

286. *Recusatio Extremae Unctionis impeditne quominus infirmus, qui recusavit, hoc sacramento muniatur in extremis, quando sensibus destitutus evaserit?* R. Negative ordinarie. Haec enim recusatio accidere solet propter voluntatem non iam absolute respuendi hoc sacramentum, sed procrastinandi, dum infirmus credit non adhuc versari in statu adeo periculoso; vel propter incommodum lavandi pedes et mutandi linteamina; vel denique propter quamdam repugnantiam recipiendi sacramentum istud (quod vulgo pro nuntio mortis habetur) in statu plenae cognitionis. Equidem sacramenta dari nequeunt iis, qui ea suscipere nolunt, et oportet certe ut infirmus sit contentus; sed pro hoc sufficit si moribundus contentus fuerit ut sacramentum ei conferatur in extremis: quod de fere omnibus christianis, etiam valde perversis, praesumendum est. Hoc sensu intelligi debet rituale, ubi dicit, Extremam Unctionem dari posse iis, qui illam *verisimiliter petiissent*: prout patet etiam ex praxi, cui consonant Theologi. Vide Gury (*Cas. cons. II. 183*).

### ARTICULUS III.

*De iterata huius sacramenti administratione et de nonnullis aliis advertentiis.*

287. *Quid de iterata huius sacramenti administratione?* Rituale dicit: « In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum « infirmus convalescit, iterum in periculum mortis incidit ». Oportet itaque ut periculum mortis vicinae evanuerit. Qua in re melius erit stare iudicio medicorum; saepe enim evasio a periculo est illusoria et non realis. Caeterum in dubio scrupuli parochis non sunt iniiciendi.

288. *Quid de furiose delirantibus?* Rituale dicit: « Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino ». Bonum quidem animarum, sed etiam reverentia Sacramenti Ecclesiae cordi est.

289. *Hoc sacramentum potestne dari ante Viaticum?* Extrema Unctio dari debet post Viaticum de regula ordinaria, excepto nempe casu, in quo S. Oleum in promptu esset, et timeri deberet ne, si prius Viaticum deferri vellet, infirmus moriturus esset. Ordinarie etiam expedit ut non praecise immediate post Viaticum conferatur (nisi locorum distantia aut periculum mortis imminentis id suadeat); sed aliqua mora inter utrumque sacramentum interponatur, ut interim infirmus blande et convenienter disponi possit, ut, ex rituali et communi praxi, notat Scavini (III. 416).

290. *Quid si Oleum Sanctum deficere inciperet?* Si facile aliud Oleum ab Episcopo benedictum haberi non posset, oleum commune (attamen semper in minori quantitate) adiungi posset. (Rituale).

291. *Oleum Sanctum potestne retineri domi?* Debet retineri in Ecclesia, et quidem sub clave diligenter custodienda. Si tamen domus parochialis ab Ecclesia valde distaret, tunc posset etiam retineri domi in loco tuto atque decenti. (S. R. C. Decr. 2650 ad 3).

292. *Potestne parochus tradere laico S. Oleum deferendum?* Negative, sed per se ipsum et decenter illud portare debet (intellige seclusa necessitate); neque in domo infirmi illud relinquere potest.

N. B. De assistentia moribundis usque ad extremum praestanda, infra (post absolutum tractatum de Sacramentis) agam.

## CAPUT XIII.

### De parochi quoad sacramentum Ordinis Sacri.

293. *Quid de instructione circa sacramentum istud populo tradenda?* Parochus docebit populum 1º de sublimi sacerdotum dignitate, et multiplici potestate; 2º de obligatione genitorum neque obsistendi, si forte filius ad statum clericalem vocetur; neque filium per vim cogendi, ut, quamvis a Deo non sit vocatus, talem statum eligat; 3º de obligatione denunciandi, si quid grave adsit in contrarium, quando alicuius ascensus ad Ordinem Sacrum in Ecclesia publicatur; 4º de hodierna speciali bonorum sacerdotum necessitate.

294. *Quid de cura illorum qui ad statum clericalem amplectendum dispositionem ostendunt?* Si semper, hodie speciatim (tantam enim in plurimis locis lugemus sacrorum ministrorum penuriam!) cordi debet esse parochis, ut adolescentulos bona indole et bonis moribus praeditos (maxime si ingenio quoque polleant) ad ecclesiasticam vitam eligendam disponant. Summa diligentia a sociis, scholis, et libris periculosos eos avertere studeant. Curent denique ut cito vestes clericales induant; sic enim in minori periculo vocationem amittendi versabuntur.

295. *Postquam juvenis vestes clericales induerit, quid curandum a parochi?* Curandum ut juvenes huiusmodi ad civitatem episcopalem mittantur, diligentissime cavendo (quatenus in seminario claudi nequeant) ne apud familias, in quibus foeminae juvenes aut alia pericula adsint, collocentur. Si autem in parocchia remanere cogantur, tunc quaquaversus (ut nempe spiritum ecclesiasticum custodiant, in congruis studiis proficiant, atque victu et vestitu, si pauperes sint, non careant) eos, quantum fieri poterit, adiuventur. In hunc finem maxime proderit, si parochi in civitatibus et oppidis adlaborent, ut piae societates

288. *Quid de furiose delirantibus?* Rituale dicit: « Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino ». Bonum quidem animarum, sed etiam reverentia Sacramenti Ecclesiae cordi est.

289. *Hoc sacramentum potestne dari ante Viaticum?* Extrema Unctio dari debet post Viaticum de regula ordinaria, excepto nempe casu, in quo S. Oleum in promptu esset, et timeri deberet ne, si prius Viaticum deferri vellet, infirmus moriturus esset. Ordinarie etiam expedit ut non praecise immediate post Viaticum conferatur (nisi locorum distantia aut periculum mortis imminentis id suadeat); sed aliqua mora inter utrumque sacramentum interponatur, ut interim infirmus blande et convenienter disponi possit, ut, ex rituali et communi praxi, notat Scavini (III. 416).

290. *Quid si Oleum Sanctum deficere inciperet?* Si facile aliud Oleum ab Episcopo benedictum haberi non posset, oleum commune (attamen semper in minori quantitate) adiungi posset. (Rituale).

291. *Oleum Sanctum potestne retineri domi?* Debet retineri in Ecclesia, et quidem sub clave diligenter custodienda. Si tamen domus parochialis ab Ecclesia valde distaret, tunc posset etiam retineri domi in loco tuto atque decenti. (S. R. C. Decr. 2650 ad 3).

292. *Potestne parochus tradere laico S. Oleum deferendum?* Negative, sed per se ipsum et decenter illud portare debet (intellige seclusa necessitate); neque in domo infirmi illud relinquere potest.

N. B. De assistentia moribundis usque ad extremum praestanda, infra (post absolutum tractatum de Sacramentis) agam.

## CAPUT XIII.

### De parochi quoad sacramentum Ordinis Sacri.

293. *Quid de instructione circa sacramentum istud populo tradenda?* Parochus docebit populum 1º de sublimi sacerdotum dignitate, et multiplici potestate; 2º de obligatione genitorum neque obsistendi, si forte filius ad statum clericalem vocetur; neque filium per vim cogendi, ut, quamvis a Deo non sit vocatus, talem statum eligat; 3º de obligatione denunciandi, si quid grave adsit in contrarium, quando alicuius ascensus ad Ordinem Sacrum in Ecclesia publicatur; 4º de hodierna speciali bonorum sacerdotum necessitate.

294. *Quid de cura illorum qui ad statum clericalem amplectendum dispositionem ostendunt?* Si semper, hodie speciatim (tantam enim in plurimis locis lugemus sacrorum ministrorum penuriam!) cordi debet esse parochis, ut adolescentulos bona indole et bonis moribus praeditos (maxime si ingenio quoque polleant) ad ecclesiasticam vitam eligendam disponant. Summa diligentia a sociis, scholis, et libris periculosos eos avertere studeant. Curent denique ut cito vestes clericales induant; sic enim in minori periculo vocationem amittendi versabuntur.

295. *Postquam juvenis vestes clericales induerit, quid curandum a parochi?* Curandum ut juvenes huiusmodi ad civitatem episcopalem mittantur, diligentissime cavendo (quatenus in seminario claudi nequeant) ne apud familias, in quibus foeminae juvenes aut alia pericula adsint, collocentur. Si autem in parocchia remanere cogantur, tunc quaquaversus (ut nempe spiritum ecclesiasticum custodiant, in congruis studiis proficiant, atque victu et vestitu, si pauperes sint, non careant) eos, quantum fieri poterit, adiuventur. In hunc finem maxime proderit, si parochi in civitatibus et oppidis adlaborent, ut piae societates

ad pauperum clericorum adiumentum instituuntur, vel (si institutae sint) conserventur atque adaugeantur. In clericos (sive tempore autumnali a seminario reduces, sive habitualiter sive occasione rusticationis in paroecia remanentes) specialem vigilantiam exercent, eos ad Ecclesiam (etiam diebus ferialibus) advocent et bonis modis (si optis sit) corrigant etc.

296. *Quanam sunt defectus in clericis magis animadvertendi?* Sunt 1<sup>o</sup> Si in vestibus et speciatim in capillorum compositione levitatem praeseferant. 2<sup>o</sup> Si conversationes adeant, et speciatim si cum foeminis libenter conversentur. 3<sup>o</sup> Si tempore nocturno huc illuc per civitatem circumvagant, maxime cum saecularibus. 4<sup>o</sup> Si in sacristiis, et multo magis in locis qui *Caffè* vocantur, vel apud pharmacopolas etc. tempus terant, et se esse otio deditos demostrent. 5<sup>o</sup> Si studendi voluntatem non habeant. 6<sup>o</sup> Si sacris functionibus assidui non sint, vel in ipsis devotionem non ostendant. 7<sup>o</sup> Si pro doctrina christiana pueris tradenda servitium diligenter non praesentent. 8<sup>o</sup> Si diebus ferialibus Missam non audiant, SS.mum sacramentum non visitent, vel nimis raro ad sacramenta accedant; et, uno verbo, si veram et constantem animi pietatem non praeseferant.

297. *Quid de relationibus Episcopo dandis quoad clericos?* Quatenus eorum mores sint tales ut (si sacerdotes evaderent) de bono exitu serio timendum esset; tunc parochus Episcopo id significare non omittat. Muneribus, precibus aut promissionibus non cedat; et falsa commiseratione in re adeo momentosa se adduci non sinat.

Hic sequitur tractatus de matrimonio; et agendum est de praestandis a parochis 1. Antequam matrimonium celebretur. 2. Actu ipso matrimonium celebrandi. 3. Postquam matrimonium celebratum fuerit.

## CAPUT XIV.

### De matrimonio, et imprimis de praestandis a parochis antequam matrimonium celebretur.

Agendum est 1. De instructione circa matrimonium populo danda. 2. De notandis circa visitationes adamantium, circa intromissionem parochi in tractatibus matrimonii, et circa simultaneam matrimonii civilis celebrationem. 3. De examine sponsorum et de fide status liberi. 4. De proclamationibus, et de impedimentis denunciandis. 5. De quibusdam rebus post proclamationes peragendis, et speciatim (praemissa brevi expositione impedimentorum) de dispensationibus interdum petendis et exequendis. 6. De matrimoniis conscientiae. 7. De impedimentis detectis dum omnia sunt parata. 8. De quibusdam rebus quae ob stare possunt, sed non sunt impedimenta canonica strictae dicta.

#### ARTICULUS I.

##### *De instructione circa matrimonium populo danda.*

298. *Quaenam sunt instructiones magis necessariae circa hoc sacramentum populo tradendae?* Sunt sequentes.

I. Matrimonium civile, ab ecclesiastico seiunctum, apud Deum, Ecclesiam et in conscientia nihil valet, et est concubinitus. Attamen, celebrato matrimonio ecclesiastico (quod solum veri matrimonii nomen meretur), civile quoque est celebrandum.

II. Matrimonium est sacrum, imo sacramentum magnum; unde in gratia Dei, et (saltem practice) praemissa confessione recipi debet.

III. Benedictio nuptialis, Eucharistiae susceptio aliqui ritus, qui in publica huius sacramenti receptione adhibentur, magni fieri debent; et Ecclesia licentiam celebrandi matrimonium privatim concedit quidem, sed (seclusis causis vere gravibus) non libenter.

IV. Matrimonium secum fert obligationes gravissimas (quae explicari quidem debent sed prudenter).

V. Electio personae matrimonio sibi copulandae est actus quam maxime momentosus, ad quem non ex caeco

ad pauperum clericorum adiumentum instituatur, vel (si institutae sint) conserventur atque adaugeantur. In clericos (sive tempore autumnali a seminario reduces, sive habitualiter sive occasione rusticationis in paroecia remanentes) specialem vigilantiam exercent, eos ad Ecclesiam (etiam diebus ferialibus) advocent et bonis modis (si optis sit) corrigant etc.

296. *Quanam sunt defectus in clericis magis animadvertendi?* Sunt 1<sup>o</sup> Si in vestibus et speciatim in capillorum compositione levitatem praeseferant. 2<sup>o</sup> Si conversationes adeant, et speciatim si cum foeminis libenter conversentur. 3<sup>o</sup> Si tempore nocturno huc illuc per civitatem circumvagant, maxime cum saecularibus. 4<sup>o</sup> Si in sacristiis, et multo magis in locis qui *Caffè* vocantur, vel apud pharmacopolas etc. tempus terant, et se esse otio deditos demostrent. 5<sup>o</sup> Si studendi voluntatem non habeant. 6<sup>o</sup> Si sacris functionibus assidui non sint, vel in ipsis devotionem non ostendant. 7<sup>o</sup> Si pro doctrina christiana pueris tradenda servitium diligenter non praesentent. 8<sup>o</sup> Si diebus ferialibus Missam non audiant, SS.mum sacramentum non visitent, vel nimis raro ad sacramenta accedant; et, uno verbo, si veram et constantem animi pietatem non praeseferant.

297. *Quid de relationibus Episcopo dandis quoad clericos?* Quatenus eorum mores sint tales ut (si sacerdotes evaderent) de bono exitu serio timendum esset; tunc parochus Episcopo id significare non omittat. Muneribus, precibus aut promissionibus non cedat; et falsa commiseratione in re adeo momentosa se adduci non sinat.

Hic sequitur tractatus de matrimonio; et agendum est de praestandis a parochis 1. Antequam matrimonium celebretur. 2. Actu ipso matrimonium celebrandi. 3. Postquam matrimonium celebratum fuerit.

## CAPUT XIV.

### De matrimonio, et imprimis de praestandis a parochis antequam matrimonium celebretur.

Agendum est 1. De instructione circa matrimonium populo danda. 2. De notandis circa visitationes adamantium, circa intromissionem parochi in tractatibus matrimonii, et circa simultaneam matrimonii civilis celebrationem. 3. De examine sponsorum et de fide status liberi. 4. De proclamationibus, et de impedimentis denunciandis. 5. De quibusdam rebus post proclamationes peragendis, et speciatim (praemissa brevi expositione impedimentorum) de dispensationibus interdum petendis et exequendis. 6. De matrimoniis conscientiae. 7. De impedimentis detectis dum omnia sunt parata. 8. De quibusdam rebus quae ob stare possunt, sed non sunt impedimenta canonica strictae dicta.

#### ARTICULUS I.

##### *De instructione circa matrimonium populo danda.*

298. *Quaenam sunt instructiones magis necessariae circa hoc sacramentum populo tradendae?* Sunt sequentes.

I. Matrimonium civile, ab ecclesiastico seiunctum, apud Deum, Ecclesiam et in conscientia nihil valet, et est concubinitus. Attamen, celebrato matrimonio ecclesiastico (quod solum veri matrimonii nomen meretur), civile quoque est celebrandum.

II. Matrimonium est sacrum, imo sacramentum magnum; unde in gratia Dei, et (saltem practice) praemissa confessione recipi debet.

III. Benedictio nuptialis, Eucharistiae susceptio aliqui ritus, qui in publica huius sacramenti receptione adhibentur, magni fieri debent; et Ecclesia licentiam celebrandi matrimonium privatim concedit quidem, sed (seclusis causis vere gravibus) non libenter.

IV. Matrimonium secum fert obligationes gravissimas (quae explicari quidem debent sed prudenter).

V. Electio personae matrimonio sibi copulandae est actus quam maxime momentosus, ad quem non ex caeco

amore, bene vero ex sapienti consilio, matura ponderatione, atque ordinarie cum consensu parentum, deveniendum est.

VI. Ficta data spe matrimonii, puellam diu sibi devincire, magnum delictum est.

VII. Periculosissimi et omnino reprobandi sunt amores, si quovis fundamento solido destituantur, vel tempore nimis diuturno aut clam continuentur; speciatim si parentes nihil scirent, maxime vero si eorum consensus sperari non posset, aut si iam firmiter obstarent, et multo magis si talis reluctantia prorsus rationabilis esset.

VIII. Sponsalia (quamvis apud leges civiles pene nullam vim habeant. *Art. 53. 54*) graves et serias consequentias pariunt; practice enim non raro res eo tandem desinant, ut miseræ puellæ, partim in conscientia (atque etiam apud iudicem ecclesiasticum) et partim ex vexatione, firmiter ligatæ remaneant; et e contra iuvenes omnimodam libertatem sibi arrogent. Sponsalia itaque (nisi contrahantur matrimonio iam instante), maxime si absque scriptura et sine testibus fiant, sunt dissuadenda.

IX. Genitores, et speciatim matres, gravi culpa se coinquinant, si filias cum amasiis solas, sive in cubiculis sive dum illos abeuntes ad domi ianuam comitantur, notabili tempore relinquunt, dum id impedire possent.

X. Denique circa obligationem [gravem denunciandi impedimenta, si quæ sint, populus instrui debet.

## ARTICULUS II.

*De notandis circa visitationes adamantium (praeter supradicta); circa intromissionem parochi in tractatibus matrimonialibus, et circa simultaneam matrimonii civilis celebrationem.*

299. *Circa visitationes, quas adamantes matrimonio praemittere solent, praeter instructionem populo dandam (ut supra), quid est notandum?* Parochus in hac neque nimis rigidus, neque omnino indifferens esse debet; si enim

res (attentis circumstantiis) nimis in longum procedant, et speciatim si puella sine custodia sit; maxime vero si lapsus intercesserint, curare tenetur, ut matrimonium cito concludatur. Sponsalibus autem iam contractis, si forte iuvenes in eadem familia conviverent (v. g. si famula heri filio nuptura esset) separatio exigi deberet. Caeterum vide dicta *De Occasionariis (n. 244 et seqq.)*.

300. *Expeditne ut parochus in tractatibus matrimonii se intromittat?*

I. Circa personae electionem, negative. Lenocinium, quamvis ad honestum matrimonium dirigatur, parochus non decet. Dieteriis et quandoque sinistris iudiciis se exponeret. Nihil dico de maledictionibus, si forte matrimonium exitum infelicem habiturum esset; maxime si sponsorum alteruter solum propter persuasiones et non libenti animo nuptiis consentiret.

II. Parochus tamen se aliquo modo ingerere posset, si conclusio matrimonii ad scandalum reparandum, ad prolem legitimandam, vel ad puellæ honori consulendum necessaria evasisset; sed tunc quoque non semper matrimonium urgere deberet; interdum enim satius est ut puella iacturam suam in pace toleret, quam ut cum perditio in vitiis omnibus perpetuum vinculum contrahat.

III. Caveat etiam parochus, ne matrimonii alicuius conclusioni se opponat, maxime si pro sola utilitate temporali huius vel illius familiae se opponeret (ut puta, si iuvenis dives puellam pauperem ducere vellet).

IV. Rogatus pro informationibus, valde caute procedat; saepe enim expedit, ut, si informationes ab aliis capere deberet, hoc onus declinet; si de scientia propria interrogetur, laudet quatenus convenienter laudare possit, secus taceat, aut verbis ambiguis et evasivis utatur. Si secus ageret, odia multa et fortassis acerrima iuvenum et familiarum facile contra se concitaret; quod semper (seclusa necessitate, quæ in huiusmodi casibus non satis adesse solet) evitandum est.



301. *Quid si parochus timeret, ne praetermissio matrimonii ecclesiastico, matrimonium mere civile celebraretur?* S. Poenitentiaria (*Encycl. 12 Aug. 1882*) dicit: « Penes sponsores, ac praesertim puellas, quae ut plurimum recte de religione sentiunt, etiam per interpositas personas, (parochi) agant ne nuptiis consentiant, nisi eadem ante civiles ritus coram Ecclesia christiano more celebrandae sint, reiectis quibuscumque promissionibus (N. B.) quae non raro fallaces esse solent ». Non desunt viri, qui obtemperaturi sunt, sed aliquantisper a parochis rogari volunt: benevole itaque rogentur. Alii timent expensas sive pro fide status liberi, sive pro eleemosyna Missae, sive multo magis si aliqua dispensatio peti deberet. Parochus, sin minus dicat omnia gratis illos esse obtenturos, saltem curet ut expensae imminuantur, aut solum ab una parte clam sustineantur. Alii respectum humanum reformidant; et tunc matrimonium de licentia Episcopi celebretur privatim, vel in loco dissito, aut (in casu extremo) per procuratorem vel epistolam; aut etiam accipiendo prius consensum unius et postea (v. g. alia die vel hora) alterius; dummodo postea aliquo modo divulgetur matrimonium rite fuisse celebratum. Vide *De Occasionariis* (n. 147).

302. *Teneturne parochus inquirere an sponsi praeter matrimonium ecclesiasticum, civile quoque contracturi sint; et quid si illud non sint contracturi, vel de hoc sit dubitandum?* Parochus tenetur certe (supposito dubio) de hac re inquirere; et, si sponsi matrimonium civile non essent contracturi, vel rem istam sub dubio relinquerent, et (uno verbo) si publicationes civiles simul cum ecclesiasticis locum habiturae non essent; parochus procedere non posset, et Episcopum commonefacere deberet. Vide *De Occasionariis* (n. 118).

303. *Contrahendumne est prius matrimonium ecclesiasticum, an vero civile?* Prius ecclesiasticum. Ita declarat S. Poenitentiaria (*15 Ian. 1886*); et subiunxit:

« Si qua coactio aut absoluta necessitas (quae facile admittenda non est) eiusmodi ordinis invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti consistant ».

## ARTICULUS III.

*De examine sponsores et de fide status liberi.*

304. *Antequam publicationes fiant, quid exigitur?*

- 1° Si forte parochus sciret adesse aliquod impedimentum, agendum esset pro dispensatione (sed de re ista alibi).  
2° Exigitur examen sponsores eorumque consensus pro publicationibus. 3° Fides status liberi.

## PUNCTUM I.

*De sponsores examine et consensu pro publicationibus.*

305. *Examen sponsores in quo consistit?* In examinandis illis (intellige seorsim et a proprio parochis) 1° circa matrimonium et libertatem consensus; 2° circa catechismum.

306. *Quomodo examinari debent sponsi circa matrimonium?* An sciant 1° matrimonium esse sacramentum institutum a Christo Domino ad gratias pro coniugali statu necessarias eis conferendas; 2° recipiendum esse in gratia Dei. Examinari debent 3° an aliquid obstat; maxime vero an libere et sponte consentiant, an adsit quoque parentum consensus, an cum alia persona sponsalia contraxerint, an sciant vel suspicentur aliquod adesse impedimentum, et an ad celebrandum etiam matrimonium civile sint dispositi. Examinari debent 4° circa matrimonii obligationes (intellige quantum decet), et speciatim circa proles educationem.

307. *Quomodo examinandi sunt sponsi circa catechismum?* 1<sup>o</sup> Sufficit ut examinentur per summa capita circa fidem, legem Dei et Ecclesiae, et media salutis. 2<sup>o</sup> Discretionem opus est. Agitur, v. g. de persona quae examen bono animo acceptura sit? Tunc exigatur ut mysteria principalia Fidei, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicalem, Sacramenta, et praecepta decalogi atque Ecclesiae recitet; speciatim si agatur de sponsa (filios enim in catechismo instruere ad matres praecipue spectat); nec iam certe et bene instructas ab examine dispensari debent. Agitur de iis qui adeo hebetis sunt ingenii, et exilis memoriae, ut, v. g. Symbolum Apostolicum nunquam didicere potuerint; aut de puella quae verecundetur et facile confundatur? Cum his (quamvis bono animo, ut dixi, examen subeant) severitas adhiberi non debet. Agitur de iis qui (attenta eorum conditione, aut exigua, ut ita dicam, religione, prout hodie maxime in civitatibus et quoad viros facile accidit) non libenter examen subituri sint? Tunc prudentia exigit ut parochus examen circa formulas magna ex parte vel etiam ex toto (et forte etiam quaslibet alias interrogationes) praetermittat. Attamen cum omnibus (aut fere omnibus) methodum servabit enunciandi paucis verbis (et quasi ad modum reducendis in memoriam) principales veritates circa fidem, legem, et media salutis, ut supra dicebam.

308. *Quid si sponsus apud parochum pro examine et consensu praedicto comparere nolit, sed solum opere tertiae personae (v. g. matris suae) consensum suum ei significet?* Per se loquendo, hoc certe non sufficit; quod enim sponsi comparere debeant personaliter apud parochum, et hic nequeat ad proclamationes procedere, nisi prius de sponsorum instructione sufficienti certus evaserit; hoc est de iure, et generali Ecclesiae lege praecipitur. Quid ergo agendum? Standum erit iudicio Episcopi, qui pro casibus particularibus sive per se sive per vicarios foraneos dispensare poterit.

## PUNCTUM II.

*De fide status liberi.*309. *Quid de fide status liberi?*

I. Antequam matrimonium publicetur, exigitur (et quidem regulariter quamvis sponsi essent ambo dioecesani) fides status liberi conficienda in cancellaria episcopali; ad quam proinde, vel ad vicarium foraneum si pro examine testium fuisset delegatus, duo testes pro sponso et totidem pro sponsa mitti debent. Si hi testes non essent cancellario (prout ordinarie contingeret), aut vicario foraneo, cogniti, exigeretur ut parochus per litteras de eorum idoneitate illum tutum redderet. Erunt autem idonei si ex una parte sint fide digni, et ex alia personam (de cuius immunitate ab impedimentis testari debent cum iuramento) cognoverint iam inde ab eius pubertate, eique adeo prope habitaverint aut quomodolibet semper in tali relatione fuerint, ut, si in vulgus notitia aut rumor de aliquo contracto impedimento irrepsisset, ipsos non latuisset. In hunc finem acceptantur (imo praeferuntur) personae de eadem sponsorum familia (v. g. fratres, genitores etc.), neque excluduntur foeminae. Duo testes pro ambobus sponso sufficerent, si illos ambos ut supra cognovissent. Alicubi unus tantummodo testis pro sponso, et alter pro sponsa adhibetur. Utrum haec consuetudo sit legitima, iudicent alii, et res ista non ad parochos sed ad curiam spectat. Certe tamen, si testis cognitionem praedictam non haberet, ad iurandum de rebus quas ignorat nec adhiberi, nec tamquam idoneus a parochis praesentari posset.

II. Quoad viduos, exigitur etiam fides authentica et legaliter recognoscibilis de morte coniugis.

III. Si, habita fide status liberi a curia episcopali, matrimonium ad tres menses procrastinaretur, ordinarie nova fides exigeretur, nisi Episcopus hanc non esse necessariam existimaret.

IV. Pro matrimoniis in articulo mortis contrahendis, fides status liberi non exigitur. Attamen, si coniux forte convalesceret, matrimonio uti non posset, nisi prius omnia supradicta suppleta fuissent. Cf. Instruct. et Decr. S. C. S. O. apud Berengo (*Enchirid. Miscellanea IX*).

310. *Quid si unus ex sponsis esset diversae dioecesis?* R. Tunc fides status liberi perficienda foret in ambabus curiis, neque publicationes fieri possent antequam curiae eandem fidem sibi invicem communicassent; idque servandum esset quamvis dioeceses vicinae, aut paroeciae sponsorum in duarum diocesum confiniis essent (*l. c.*)

311. *Quid si sponsi non semper extitissent dioecesani?* R. Si ante pubertatem in dioecesim venissent et postea in ipsa semper commorati fuissent, tunc ut simpliciter dioecesani considerantur. Si vero post pubertatem in aliis dioecesibus commorassent, tunc fides status liberi a respectivis curiis exigeretur idque quamvis a decem annis et ultra intra dioecesim venissent, aut etiam coniugati, et postea, mortua uxore, aliam ducere vellent. Si tamen in aliis dioecesibus commorassent ad breve tempus, vel utcumque si sponsus illuc parum cognitus fuisset (ut in militibus contingere solet) et proinde moraliter impossibile foret testes ad rem idoneos (qui scilicet de nullo tunc contracto impedimento certam notitiam habere possent) in iisdem locis invenire; tunc dicta fides non exigeretur, et iuramentum suppletorium sufficeret. Cf. *Monitore (Vol. VIII. II. pag. 57)*. A fortiori, si sponsi fuissent vagi, habita fide status liberi a dioecesi originis et a locis ubi forte diutius moram stabilem duxissent, iuramentum suppletorium illis dari deberet.

## ARTICULUS IV.

*De proclamationibus matrimonii et de denuntiatione impedimentorum.*

## PUNCTUM I.

*De proclamationibus.*

312. *Quomodo de regula ordinaria exigantur proclamationes, explica cur exigantur, et in quo consistant?* Exiguntur ad impediendum ne quis iam alio matrimonio ligatus, aliisve impedimentis detentus, aut inscius rationaliter parentibus, nuptias contrahat.

In quo consistant, declaratur a Trid. (XVII. 1) dicente: « Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium, parrocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum ».

313. *Explica verba: A proprio contrahentium parrocho?* 1º « Si vir et mulier paroeciae sint diversae, in utraque paroecia fiant denuntiationes ». (Rituale). 2º Proprius parochus intelligitur ille, in cuius paroecia sponsi, ut veri parochiani, habitant de praesenti. 3º Interdum publicationes parochi huius non sufficiunt. Si enim matrimonium celebrari debeat a iuvene degente in collegio, monasterio, vel conservatorio; publicationes non solum in paroecia collegii, monasterii etc. sed etiam in illa ubi eius parentes vel tutores degunt, faciendae sunt. Idem dic de milite, si forte in exercitu longe a domo paterna nuptias contracturus foret. Idem dic a fortiori si sponsorum alteruter duplex domicilium haberet (si nempe sex mensibus in alia paroecia habitare solitus esset); aut si matrimonium contrahere vellet in loco quasi-domicilii, dum alibi princi-

palem parochialitatem conservat. De iure faciendae essent proclamationes etiam in paroecia, a qua quis a brevi tempore discessit; atque insuper (absque ulla casuum distinctione) in loco originis. Sed hae ultimae regulae non ubique vigent: et proinde parochi in praxi propriae dioecesis consuetudinem (donec Episcopus aliter non disponat) observare debent.

314. *Quoad verba: Tribus continuis diebus festis, quid de diebus festis suppressis?* In iis quoque fieri possunt proclamationes; sed dummodo frequens populus ad Missam concurrere soleat, et sic scopus a Concilio intentus obtineri possit. Cf. plures S. C. C. decisiones apud Vecchiotti (§ 71).

315. *Quid de illis diebus ferialibus, qui a populo ex devotione tamquam festivi celebrantur?* In his fieri nequeunt proclamationes, nisi pro aliquo casu particulari ex causa rationabili et de licentia Episcopi. Vecchiotti (l. c.).

316. *Quid si proclamationes fierent quidem tribus diebus festis, sed non continuis?* Alicubi consuetudo est ut, si forte occurrat dies festus infra hebdomadam, liceat illum praeterire peragendo proclamationes solis diebus dominicis; imo alicubi dioecesanae leges iubent, ut dies festus sine proclamationibus relinquatur, si forte die immediate antecedenti proclamationes factae fuissent. Parochi itaque propriae dioecesis consuetudinibus vel legibus se conformabunt; sed certe a peccato veniali excusari nequiret parochus, qui, postquam fecerit primam proclamationem, v. g. die dominica, sequentem diem dominicam praeteriret, quin adhuc secundam perageret. Scavini (III. 809).

317. *Proclamationes possuntne fieri etiam tempore pro nuptiis vetito?* Affirmative; sufficit enim ut nuptiarum celebratio ad tempus licitum differatur.

318. *Quid de gradu culpae in omissione proclamationum?* Unius proclamationis omissio peccatum veniale non excedit; idemque dicunt Salmanticenses de duabus. Ego dicerem perpendendas esse circumstantias, et speciatim 1º qua de causa omittantur; 2º utrum alicuius impedimenti timor adsit; 3º an populus admonitus fuerit pro-

clamationem illam esse ultimam; 4º praecipue vero an inter ultimam peractam proclamationem et matrimonii celebrationem intervallum decurrat. Cf. S. Lig. (VI. 990). Omittere autem proclamationes ex toto (intellige seclusa dispensatione expressa aut saltem legitime praesumpta) certe peccatum mortale est.

319. *Quid significant verba: In Ecclesia inter Missarum solemniam?* Significant in Missa parochiali. S. C. C. apud Scavini (809).

320. *Quid si parochus de proclamatione facienda oblitus fuisset?* Tunc illam facere posset in alia Missa (supposito semper populi concursu), aut etiam post meridiem occasione concionis, benedictionis etc.

321. *Quid tempore pestis, si populus ad Ecclesiam non concurreret?* Per publica edicta (nisi Episcopus dispensaret) Ecclesiae ianuis affixa proclamationes peragendaessent (Cf. Scavini n. 900).

322. *Quid de dispensatione a proclamationibus?* Episcopi eorumque Vicarii Generales habent facultatem ordinariam (quam aliis delegare possunt) dispensandi ab illis. Attamen causae legitimae exiguntur; cuiusmodi essent non solum si ageretur de periculo mortis, aut de matrimonii iam contracti revalidatione, aut si qui de facto concubinarii sunt coniuges legitimi reputarentur, aut si iustis de causis matrimonium secretum (vulgo conscientiae), iuxta infra dicenda (n. 400) celebrari deberet; sed etiam si mulier iam foret gravida et timeretur ne vir voluntatem mutaturus esset, vel si sponsi parati essent ad matrimonium civile statim nullaque interiecta mora contrahendum; et multo magis si publicationibus non consentirent, et timendum esset, ne, si fierent, civiliter dumtaxat et non ecclesiastice nuberent; vel si sponsus ad longinquas regiones statim profecturus esset; vel si timeri deberet ne parentes matrimonium inique impedituri forent; vel si ageretur de Regibus et Principibus, quorum matrimonia in Ecclesia publicari non soleant; vel si ex una parte tempus Quadragesimae vel Adventus immineret, et ex alia periculum incontinentiae aut aliud grave motivum suaderet, ne diu

matrimonium differatur; denique si sponsi valde senes, aut sive aetate sive conditione valde dispares essent, unde publicationes risum et diceria provocaturae forent. In praxi parochus, dispensationem implorando, causam exponat, simulque, an alicuius impedimenti timor adsit vel non adsit, Episcopum certiore faciat. Episcopus autem dispensare poterit ab una proclamatione ex causa mediocri, a duabus ex causa gravi, ab omnibus vero solum ex causa gravissima aut saltem valde gravi.

323. *An parochus, absque dispensatione ab Ordinario obtenta, possit aliquando matrimonio, omissis proclamationibus, assistere?* R. Si Ordinarius adiri nequiret, et motiva essent adeo gravia, ut Episcopus dispensationem omnino concedere teneretur; tunc dispensatio praesumpta sufficeret, et parochus assistere posset, imo deberet. S. Lig. VI. 1007. Aliqui censent, parochum assistere posse etiam casu quo Episcopus iniuste remisisset, nec ad altiorum Superiorem recurrendi tempus adesset. Sed haec opinio mihi videtur subversiva et practice non admittenda, nisi forte de re evidentissima ageretur, aut Episcopus iam aliis vicibus de imprudenti severitate convictus fuisset, aut alienationis mentalis signa dedisset.

## PUNCTUM II.

*De denuntiatione impedimentorum.*

324. *Fideles tenentur denuntiare etiam impedimenta improprie dicta, nempe si nupturiens esset excommunicatus: aut, seclusis sponsalibus, aliam ducere teneretur etc.?* Negative; sed haec obligatio (saltem de iure positivo tantum) respicit sola impedimenta veri nominis, sive dirimentia sint, sive impedientia.

325. *Quid si publicationes praetermissae fuissent?* Obligatio denunciandi impedimenta subsisteret sub gravi eodem modo. Sanchez (III. XIII. 2) et Scavini (812).

326. *An et quaedam causae a denuntiandis impedimentis excusent?* 1° Si denuntiatio propter secretum esset illicita. 2° Si esset inutilis. 3° Si absque gravi incommodo fieri nequiret. S. Lig. (VI. 995).

327. *Quodnam secretum impedimentorum denuntiationi obstaret?* Secretum, quod consilii vel auxilii petendi causa commissum fuerit (prout accidit in medicis, obstetricibus etc.). Ita Scavini (812) et Berengo (132) contra alios. Certe solum secretum naturale aut merae confidentiae, etsi promissum et iuratum, ab hac obligatione non eximit. S. Lig. (994).

328. *Quandom denuntiatio censi inutilis, et ex hoc capite omitti poterit?* 1° Si testis de visu iam denuntiasset (tunc enim testis de fama ad nihil teneretur). 2° Si dispensatio iam petita fuisset. 3° Si sponsi admoniti, iam a matrimonio abstinere essent parati. 4. Si matrimonium iam contractum fuisset. 5. Si denuntiatio ad nihil (et nequidem ad indagandum) deservire posset; ut puta, si ex una parte de re suapte natura occulta et probrosa ageretur (prout accidere potest in impedimento affinitatis ex copula illicita), et ex alia parte solum notitia vaga et non fundata (ex dicto alicuius personae levis et temere suspicantis), habita fuisset. Cf. S. Lig. (994), Scavini (812) et Sanchez (III. XIII. 7).

## ARTICULUS V.

*De quibusdam rebus post proclamationes peragendis; et speciatim (praemissa brevissima expositione impedimentorum), de dispensationibus interdum petendis et exequendis.*

## PUNCTUM I.

*De quibusdam rebus post proclamationes peragendis.*

329. I. Si, publicationibus peractis, nullum detectum fuerit impedimentum, parochus sponsi de hac re litteras

testimoniales mittere debet ad parochum sponsae, qui, illis habitis (et non antea), matrimonio assistere poterit.

II. Inter ultimam publicationem et matrimonii celebrationem ad minus una dies intercedere debet, ut, si quis aliquod impedimentum denuntiare debeat, id praestare possit. Scavini (n. 810).

III. Si matrimonium diu differatur, rituale dicit: « Si infra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur ».

IV. Si aliquod impedimentum denuntietur, parochus illud ad Episcopum statim deferre debet; idque quamvis dubium, falsum, vel calumniosum ei videretur; iudicium enim non ad parochum, sed ad Episcopum spectat. Vecchiotti (§ 71).

V. Si, nemine denuntiante, parochus ipse alicuius impedimenti notitiam haberet, illud Episcopo denuntiare teneretur; dummodo non agatur de voto occulte emisso, aut de notitia habita sive ex sola confessione sive ex sponsorum ipsorum secreto commisso (eo quod res sit occulta et absque infamia revelari nequeat); quibus in casibus parochus per se ipsum dispensationem procurare deberet, ut infra declarabitur.

## PUNCTUM II.

*Brevissima expositio illorum impedimentorum, quae practice facilius contingere possunt.*

## CONSANGUINITAS

330. I. Si nempe sponsi sint consanguinei, non tamen ultra quartum gradum.

II. Suspectus concipitur, quando audiuntur dicentes quod adest vel adesse potest parentela huiusmodi, v. g. quia avi certe in aliquo gradu parentes erant, aut ascen-

dentes pertinebant ad eandem familiam, simulque vivebant etc. Ut plurimum casus accidit inter consobrinos, qui tamen (ut impedimentum adsit) esse possunt solum primi, vel secundi, vel tertii.

III. Ad rem verificandam, inquirere oportet an communis stipes non sit ultra abavum (*terz' avolo*) vel abaviam. Practice deservit arbor geneologicus, ut explicatur ab omnibus theologis et canonistis. Cf. *Praxis* (Vol. IV. n. 818) vel *Examen* (n. 4565 et seq.).

Hic noto solum quod practice res facile expediri potest, quia sponsi certe cognoscunt quinam fuerint proprii avi, qui ut plurimum tunc adhuc sunt viventes et proprios genitores et avos, necnon motiva suspicandi de parentela inducente impedimentum, indicare possunt. Si avi sponsorum fuissent inter sese fratres, tunc sponsi essent (supposito gradu aequali, ut ordinarie contingit) secundi consobrini; et si dicti avi fuissent filii fratrum, tunc sponsi ipsi tertii consobrini forent. Si vero iidem avi nequidem filii fratrum fuissent, tunc iam certe de impedimento nihil esset.

Noto etiam quod impedimentum istud adest aequali modo inter progenitos ex copula sive licita sive illicita.

## AFFINITAS

331. I. Adest inter virum et consanguineas foeminae ab illo carnaliter cognitae; et pariter inter foeminam cognitam et consanguineos viri cognoscentis.

II. Extenditur ex copula licita ad quartum gradum (unde viduus v. g. nedum sororem, sed nequidem primam vel secundam vel tertiam consobrinam uxoris defunctae ducere posset). Ex copula autem illicita extenditur solum ad gradum secundum.

Vide *Examen* (n. 4605 et seq.).

## PUBLICA HONESTAS

832. I. Oritur ex sponsalibus et ex matrimonio rato.

II. Orta ex sponsalibus, ad primum gradum tantummodo; orta autem ex matrimonio rato, ad quartum extenditur.

Vide *Examen* (n. 4594 et seq.).

## CRIMEN

333. Contingere potest in contrahentibus, quorum saltem unus sit viduus, et in priori matrimonio adfuerit vel 1º Coniugicidium, utroque machinante (scilicet ex mutua conspiratione) commissum; vel 2º Coniugicidium uno dumtaxat machinante, cum adulterio; vel 3º Solum adulterium cum promissione aut attentatione matrimonii.

Pro explicationibus vide *Examen* (n. 4574 et seq.).

## COGNATIO SPIRITUALIS

334. Oritur (practice) inter patrilinos baptismi vel confirmationis et baptizatum vel confirmatum, eiusque parentes.

## VIS ET METUS

335. Si nempe matrimonium contraheretur ex metu proveniente ab extrinseco, gravi, incusso ad hoc, iniusto, et perdurante usque ad celebrationem matrimonii.

Vide *Examen* (n. 4582 et seq.).

## LIGAMEN

336. Si nempe contrahens alio matrimonio iam adhuc esset ligatus.

## IMPOTENTIA

337. De hoc impedimento in scholis non agitur; sed (suo tempore) consulendi sunt theologi. Cf. *Praxis* (Ed. III, Vol. IV, n. 788 et seq.).

338. Haec sunt praecipua et magis practica impedimenta dirimentia, quae scilicet matrimonium reddunt invalidum.

339. Nonnulla alia sunt solum impedientia, quae scilicet matrimonium ipsum reddunt illicitum; et sunt 1º *Votum simplex* castitatis, aut religionis etc. (solemne enim est dirimens). 2º *Mixta religio*, nempe si ambo quidem essent baptizati, sed unus haereticus esset (Si autem unus baptizatus et alter non baptizatus foret, tunc impedimentum diceretur cultus disparitas et esset dirimens). Pro hodiernis quoque incredulis (qui *liberi cogitatores* dicuntur) dispensatio (quam hodie concedere possunt Episcopi) exigetur. 3º *Sponsalia* cum alia persona prius contracta et non legitime dissoluta. 4º *Ecclesiae vetitum* (v. g. propter omissas proclamationes, vel tempus feriatum, vel si matrimonium civile simul contrahi nollet etc.).

## PUNCTUM III.

*De dispensationibus interdum petendis.*

Agendum 1. De impedimento dubio. 2. De habente potestatem dispensandi. 3. De causis necessariis ad obtinendam dispensationem. 4. De casibus in quibus petitio dispensationis spectare potest ad parochum vel confessarium. 5. De vitiis obreptionis aut subreptionis, quae, si in petitione intervenirent, dispensationem redderent invalidam. 6. Ad quemnam Romae scribendum esset. 7. Exemplaria litterarum pro petitione dispensationis.

## § I.

*De impedimento dubio.*

340. *Oporteretne petere dispensationem pro impedimento dubio?* Si ageretur de impedimento iuris naturalis aut positivi-divini, a matrimonio abstinendum esset (Excipi tamen deberet impedimentum dubium impotentiae, admonita parte S. Lig. n. 1102); et, si forte casus esset maximi momenti, res S. Sedi (non pro dispensatione sed pro decla-

ratione) exponi deberet. Si autem impedimentum esset iuris ecclesiastici nec dubium vinci posset; tunc distinguendum inter dubium iuris et dubium facti. In dubio iuris (nempe in opinionum probabilitate) matrimonium absque ulla dispensatione celebrari potest; tunc enim, ex praesumpto Ecclesiae consensu, cessat. In dubio facti e contra dispensatio exigitur. Cf. Sanchez (VIII. vi. 18) et Scavini (III. 904).

## § II.

*De habente potestatem dispensandi.*

341. *Episcopi possuntne aliquid circa impedimentorum dispensationem antequam matrimonium celebretur?* Iure ordinario possunt dispensare 1° a voto simplici (dummodo non sit votum absolutum perfectae et perpetuae castitatis, aut religionis strictae dictae); 2° a publicationibus. Circa alia impedimenta iure ordinario nihil possunt, nisi in extremis aut dum omnia sunt parata et casus urget (ut infra explicabitur). Plures censent dispensare posse in casibus dubiis (scilicet dubio facti); sed, si de dubio graviori ageretur, ad S. Sedem recurrere oporteret. Cf. Sanchez et Scavini (II. cc.). Dixi *in extremis*; hodie enim Episcopi seu Ordinarii pro gratia habent facultatem, qua dispensare possunt, sive per se sive per ecclesiasticam personam (sive etiam delegando *parochos* habitualiter si non adesset tempus recurrendi ad Ordinarium), concubinariorum vel civiliter tantummodo coniunctos, in gravissimo mortis periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis, quantumvis publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, comprehenso etiam impedimento clandestinitatis, (non vero impediens v. g. mixtae religionis), excepto sacro Presbyteratus Ordine, et affinitate lineae rectae ex copula licita, proveniente. Cf. *Examen* (n. 4644).

342. Ordinarie itaque oportet recurrere ad S. Sedem nempe ad Datariam pro casibus publicis, et ad S. Poenitentiarium pro occultis (imo et publicis quoad pauperes). In aliquibus autem S. C. Supremae Inquisitionis dispensat.

343. *Potestne a S. Sede obtineri dispensatio a quolibet impedimento?* Negative; a quibusdam enim impedimentis dispensare non potest aut non solet. Dispensare non potest ab impedimentis iuris naturalis et positivi-divini; cuiusmodi sunt impotentia, ligamen, consanguinitas in primo gradu, et (probabiliter) metus. Dispensare autem non solet (nisi in casibus rarissimis) in impedimentis voti solemnibus, Ordinis (speciatim Presbyteratus), aetatis, raptus, et criminis ex coniugicidio (speciatim notorio). Adde consanguinitatem in gradu mixto ex 1° et 2° (scilicet inter neptem et patruum); et affinitatem ex copula licita in primo gradu, nec non inter viduam et eius mariti defuncti patruum vel nepotem. Adde etiam (apud nos) cultus disparitatem, et mixtam religionem. Difficile dispensat etiam ab impedimento sponsalium, quae legitime dissoluta non fuerint; qua de re vide *De Occasionariis* (n. 125).

## § III.

*De causis necessariis ut dispensatio obtineri possit.*

344. *Quaenam causae exiguntur ut dispensatio sperari possit?* Causae canonicae sunt 1° *Angustia loci* (quoad foeminam), quae verificatur si in oppido non plus quam 300 familiae adsint. 2° *Aetas foeminae superadulta*, si nempe 24 annum compleverit. 3° *Deficientia vel incompetencia dotis*. 4° Si talis vel talis vir esset foeminae necessarius *ad declinandam aut finiendam litem momentosam*. 5° *Paupertas viduae*. 6° *Bonum pacis*. 7° *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, necnon cohabitatio sub eodem tecto, quae facili impediri non possit*. 8° *Copula, praegnantia, legitimatio prolis*. 9° *Infamia mulieris*.



10° *Revalidatio matrimonii*, bona fide in facie Ecclesiae contracti. 11° *Periculum matrimonii mixti*, vel coram ministro acatholico celebrandi. 12° *Periculum incestuosi concubinatus*. 13° *Periculum matrimonii mere civilis*. 14° *Remotio gravium scandalorum*. 15° *Cessatio publici concubinatus*. 16° *Excellentia meritorum*. Coeterum pro impedimentis remotioribus vel minoris momenti (v. g. cognationis spiritualis) causae minores aliquando acceptari videntur. Circa dispensationem a voto castitatis, notandum speciatim quod S. Sedes periculum incontinentiae non semper exigit; sed interdum dispensat si foemina superadulta ex aliis motivis satis gravibus (v. g. ad sustentationem sibi comparandam) matrimonium inire cupiat.

## § IV.

*De casibus, in quibus petitio dispensationis ad parochum vel confessarium in toto vel in parte spectare potest.*

345. I. Impedimentum potest esse publicum, vel occultum, vel partim publicum et partim occultum.

II. Si sit publicum, sive de facto, sive naturâ suâ (non enim obstat si impedimentum, v. g. consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita per accidens esset occultum), tunc parochus debet solum rem deferre Episcopo, et causas dispensationis (petendae a S. Sede) ei exponere.

III. Si vero esset tum de facto tum naturâ sua occultum (prout in voto occulte emisso, in affinitate ex occulta copula illicita, in crimine occulto etc.); tunc parochus ipse (cui secretum communicatum fuerit) dispensationem obtinere curabit.

IV. Si denique esset partim publicum et partim occultum; si nempe duo adessent impedimenta, unum publicum et aliud occultum (Titius, v. g. occulte fornicatus fuit cum sorore Caiæ consanguineae suae); tunc Episcopus a

S. Sede pro publico (v. g. consanguinitatis), et parochus (scilicet, ad rectius loquendum, confessarius) pro occulto (affinitatis ex copula illicita) a S. Poenitentiaria dispensationem petere debet.

At vero sedulo notandum quod in petitione pro occulto, publicum etiam exprimendum esset; qua expressione omissa, dispensatio *ex subreptione* invalida foret.

## § V.

*De vitiis, quae in petitione accidere et dispensationem reddere possunt invalidam.*

346. *Quotuplici ex capite petitionis vitium dispensationem reddere potest invalidam?* Ex obreptione et subreptione. Nec bona fides quidquam suffragaretur.

347. *Quid est obreptio?* Est expressio causae falsae.

348. *Quid si causae adductae partim essent verae et partim falsae?* Si tantum veri expositum fuisset quantum de stylo solet sufficere ad dispensationem concedendam (ut puta, si infamia vera et copula falsa exposita fuisset), tunc dispensatio valeret; secus, si causae falsae adductae non iam solum impulsivae, sed finales fuissent; unde, illis non adductis, dispensatio obtenta non fuisset.

349. *Quid in dubio an falsitas adducta causam finalem constituisset?* Iuxta S. Lig. (n. 1113) dispensatio valida fuisset, quia in dubio (saltem post factum in materia matrimonii) pro valore actus standum est. Caeterum ante factum (nisi solida probabilitas apud theologos subsisteret) novus recursus exigeretur.

350. *Quid est subreptio?* Est reticentia illarum rerum quae de stylo exprimi debent. Idem dic de expositione substantialiter erronea. Casum habes si unum impedimentum pro duobus, vel gradum tertium pro secundo exposuisses.

351. *Quaenam sub poena invaliditatis exprimenda sunt?* 1° Species infima impedimenti; v. g. si ageretur de crimine, an ex solo adulterio cum promissione matrimonii, an vero ex coniugicidio cum eadem promissione vel adulterio provenerit etc. 2° Linea et gradus consanguinitatis vel affinitatis, exprimendo quomodo sit praecise. 3° Numerus impedimentorum non solum dirimentium sed etiam impediendum, et an consanguinitas vel affinitas sit unica an vero duplex vel multiplex (ut puta, si orator duas vel tres sponsae consanguineas cognovisset). Si tamen affinitas nedum ex matrimonio, sed etiam ex copula fornicaria antimatrimoniali, orta fuisset, tunc haec circumstantia non consideraretur. Cf. Acta (X. pag. 295). Denique 4° Circumstantia alterius dispensationis prius obtentae, quando impedimentum oriatur ex crimine, quia relapsus retrahit Superiorem a dispensando. S. Lig. (n. 1137).

352. *Quid si sponsi, pro quibus dispensatio in foro externo petita fuit, copulam incestuosam inter se commisissent?* Haec copula non ita pridem exprimenda erat; sed nunc (ex Decreto S. C. S. O. 25 Ian. 1885) non oportet ut amplius exprimat.

353. *Exceptis casibus in quibus ad Episcopum recurrere sufficit (iuxta dicta n. 341), ad quemnam debet parochus (vel confessarius) epistolam dirigere?* Ad Card. Maiorem poenitentiarium. Romae.

§ VI.

*Dantur exemplaria litterarum.*

354. *Da exemplar litterarum pro impedimento pro-  
sus occulto, seu nullatenus mixto cum publico.*

I. *Pro impedimento affinitatis.* Eminentissime Domine. Titia in eo est ut matrimonium contrahat cum Caio. At vero obstat impedimentum omnino occultum affinitatis ortum ex copula fornicaria cum fratre sponsi. Quare humi-

liter supplicat Eminentiae vestrae, ut super isto impedimento cum ea dispensare dignetur. Causae sunt.... (*haec indicentur causae*). Dignetur Eminentia vestra responsum mittere ad.... (*haec parochus vel confessarius suum nomen, cognomen et civitatem indicet*).

II. *Pro impedimento criminis.* Titia et Caius matrimonium inire cupiunt. At vero obstat impedimentum criminis ortum ex copula carnali inter ipsos habita, vivente adhuc prima uxore Caii, cum promissione matrimonii data et acceptata, neutro tamen machinante. Impedimentum est occultum. Quare humiliter supplicant Eminentiae vestrae ut super isto impedimento cum iisdem dispensare dignetur. Causae sunt... etc. (ut supra).

III. *Pro impedimento voti.* Titia (annos nata...) cupit inire matrimonium. At vero obstat impedimentum voti simplicis olim private initi castitatis perpetuae (*aut religionem ingrediendi*). Quare humiliter supplicat.... Causae sunt... etc. (ut supra).

355. *Da exemplar litterarum pro impedimento occulto mixto cum publico.* Sempronius et Livia matrimonium inire intendunt. Dispensati fuerunt a S. Sede Apostolica ab impedimento consanguinitatis (*vel affinitatis*) ex copula licita. *Exprimat* linea et gradus. At vero obtenta dispensatio nulla est ob impedimentum affinitatis occultum et reticatum proveniens ex copula illicita Sempronii cum sorore Liviae (*vel ob falsam allegatam copulam absque culpa oratorum*). Quare Sempronius humiliter supplicat Eminentiae vestrae, ut pro impetrata sed invalide illa dispensatione, gratiam convalidationis concedere dignetur. Causae sunt... etc. (ut supra).

Notandum quod interdum potest esse bonum consilium, ut dispensatio (ne expensae factae in Dataria inutiles evadant) petatur prius a Poenitentiarium; et tunc dicendum erit: *Dispensationem petitari sunt... dispensatio nulla erit... pro impetranda sed invalide dispensatione etc.* Ita Vecchiotti, d'Annibale etc.

*De dispensationibus, quae interdum a parochis vel confessorio executioni mandari debent, pro foro conscientiae tantum.*

356. *Dispensatio petita pro foro interno habetne effectum dum Romae rescriptum subsignatur?* Negative; sed dispensatio parochis ipsi aut confessorio committitur.

357. *Rescriptum potestne a solo parochis (vel confessorio), ad quem dirigitur, executioni mandari?* Negative, sed etiam interdum ab alio confessorio. Dispensationes enim missae a S. Poenitentiarum pro solo foro interno committuntur proprio oratoris parochis, sive confessorio approbato ab Ordinario et per eundem oratorem specialiter eligendo. Hodie non exigitur ut sit magister in theologia vel decretorum doctor. Oportet solum 1° ut sit approbatus pro confessionibus, ita ut orator apud illum valide confiteri possit; nec obstaret si extra dioecesim confessorium eligeret. Oportet 2° ut sit specialiter electus ad hoc ut dispensationem exequatur. Si tamen apud electum nihil concluderetur, orator posset alium eligere confessorium; neque obstaret si Poenitentiarum rescriptum a priori confessorio apertum et lectum fuisset. Roncaglia et Scavini (n. 824).

358. *Antequam confessorius dispensationem concedat, debetne aliquid observare?* Utique; scilicet clausulas in rescripto expressas. Et advertendum quod aliquae sunt ad modum conditionis sine qua non, atque adeo pro valido; aliae autem ad modum simplicis moniti vel praecepti, atque adeo solum pro licito. In quovis casu sedulo observandae sunt, multo magis quia non semper tuto distinguuntur quatenus clausula solum pro monito vel praecepto haberi debeat. Regula principalis est sequens: Clausulae

quae sive exprimuntur cum particulis *postquam, si, dummodo, non aliter, sic nec alio modo*; sive ponuntur in ablativo absoluto ordinarie tamquam verae conditiones pro valido haberi debent. Dixi *ordinarie*; nam excipiendum est: Nisi ex rei natura, maxime vero ex communi Doctorum sensu, clausula (quamvis ablativo absoluto aut aliquo alio ex praedictis modis expressa) pro simplici monito vel praecepto haberi deberet; quod certe contingeret si clausula ipsa respiceret rem, quae iam *illo ipso modo* de iure naturali vel communi pro solo licito exigeretur; et multo magis si, attentis consequentiis, manifestum esset non expedire ut, in re tanti momenti, actus validitas nimis facili periculo exponeretur.

359. *Quot et quatenus sunt clausulae, quae in dispensationibus a Poenitentiarum pro foro interno concessis, inveniri solent?* Sunt novem; nempe sequentes.

360. *Quatenus est prima clausula?* « Audita prius eius (vel eorum) sacramentali confessione... In foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, et non aliter neque ullo alio modo ».

361. *Haec clausula estne pro valida?* Quatenus dispensatio concedi potest solum actu confessionis, ad validum pertinet sine dubio.

362. *Quid si clausula dicat eorum, sed oratores non eodem uti velent confessorio?* Tunc prior confessorius post concessam dispensationem, poenitenti rescriptum tradere debet, ut alteri confessorio praebatur.

363. *Sed quid si post unius confessionem et dispensationem, alter confiteri nollet?* Impedimentum iam sublatum fuit quoad utrumque. Patet ex responso S. Poenit. (16 Nov. 1748). Clausula confessionis itaque pro licito quidem utrumque, sed pro valido alterutrum dumtaxat respicit.

364. *Quid si confessio fuisset nulla aut sacrilega?* Dispensatio nihilominus valida foret. Id quoque decisum fuit pluries. Cf. Bucceroni (*Enchir. de matr.* n. 882).

365. *Quid si confessorius animadverteret, poenitentem esse indispositum, et proinde illum absolvere nequiret?* Tunc a dispensatione concedenda abstinere deberet; absolutio enim exigitur pro licito. In quolibet rescripto enim leguntur sequentia verba: « A quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis (ergo etiam dioecesanis), si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint, incestu (vel adulterio vel fornicatione) et excessibus huiusmodi, hac vice in forma Ecclesiae consueta absolvas ». Si tamen ex una parte haec absolutio concedi nequiret, et ex alia si, dispensatione non concessa, gravia inconvenientia (prout saepe contingit) oritura essent; tunc confessorius dispen-

sationem concedere posset; dicente S. Poenitentiaria (l. c.): « Absque sacra-  
« mentali absolutione concedi potest (dispensatio), si forte urgens aliqua ne-  
« cessitas id suadeat ». Vide etiam alia responsa apud Génicot (n. 532).

366. *Quid de clausula secunda* « Iniuncta eis, pro  
« modo culpaе, gravi (vel longa, vel diuturna) poenitentia  
« salutari »? *Quid de tertia* « Aliisque iniunctis de iure  
« iniungendis »? *Quid de quarta* « Sublata occasione  
« peccandi »?

R. I. Hae tres clausulae iam praecipuntur de iure  
communi (Gasparri V. I. 387), et proinde (ex regula ge-  
neralissima supra indicata n. 358) ponuntur tamquam  
monitum pro licito. Ballerini-Palm. (n. 1397. 10).

II. Quoad poenitentiam notandum quod, si (ut in casu)  
non sit determinata, circa eiusdem qualitatem, gravitatem,  
durationem etc., confessarius debet habere rationem condi-  
tionis, aetatis, officii, sexus, infirmitatis etc. poenitentis;  
ut scilicet poenitentia ipsa tamquam salutaris haberi de-  
beat. Ita S. Poenit. 8 Apr. 1890 (Coll. P. F. n. 1499)  
et 14 Dec. 1891 (apud *Monitore XIII. p. 12*). Insuper  
non obstat si poenitens fide et sine animo exequendi  
illam acceptasset. S. Poenit. 19 Nov. 1891 (l. c.). Idem  
die a fortiori de poenitentia acceptata et non adimpleta.  
S. Poenit. 14 Dec. 1891 (l. c.). Quod autem ipsa imposi-  
tio poenitentiae gravis et proportionatae pro valido non  
exigatur tenent fere omnes, ut ait Scavini (n. 825. 5<sup>o</sup> not. 1).

III. Alia de iure iniungenda esse possent v. g. resti-  
tutio rei ablatae, reparatio damnorum, reparatio scan-  
dali etc.

IV. Remotio occasionis praecipitur pro casu affinitatis  
ex copula illicita v. g. cum sorore sponsae perpetrata;  
unde confessarius exigere debet separationem ab hac occa-  
sione (si adhuc formaliter extet); et si forte occasio es-  
set necessaria, exigere deberet usum cautelarum ut ex  
proxima reddatur remota.

Quod autem haec clausula non sit pro valido, tenent  
revera plures theologi (contra Bouvier) ut testatur Scavini.

367. *Quaenam est quinta clausula?* Quinta clausula  
dicit: « Dummodo aliud non obstet canonicum impedimen-  
« tum »; et intellige 1<sup>o</sup> Impedimentum veri nominis; non  
vero si obstaret pertinacia in censura, vel peccatum mor-  
tale. Intellige 2<sup>o</sup> Impedimentum diversum sive specie sive  
numero, quamvis (N. B.) esset solum impediens. Diversum  
numero contingeret v. g. si quis pro impedimento affini-  
tatis contracto ex copula habita cum sorore sponsae di-  
spensationem petiisset, et sive antea sive postea cum alia  
eiusdem sponsae consanguinea copulam habuisset. Caeterum  
omnes norunt quod multiplicitas copularum, quae cum  
eadem persona perpetratae fuissent, impedimentum non  
multiplicaret.

368. *Quaenam est sexta clausula?* Sexta clausula  
dicit: « Si ita est ». Et significat, dispensationem concedi  
si causae adductae in petitione verae sint, ita tamen ut  
obstarent solum illae quae dispensationem obreptitiam vel  
subreptitiam redderent, ut supra (n. 346 et sq.) declaravi.  
Hoc autem sensu haec clausula est certe pro valido.

369. *Causae debentne esse verae tempore petitionis,  
vel subscriptionis rescripti; an vero sufficit si sint verae  
tempore executionis?* Hodie communissime dicunt, non oportere  
ut fuerint verae tempore petitionis aut tempore con-  
cessionis pontificiae; dispensatio enim in forma commissoria,  
et ideo non a Pontifice sed ab executore (quamvis Ponti-  
ficis nomine) datur; unde sufficit et oportet ut causae ad-  
ductae sint verae tempore executionis.

370. *Quomodo itaque se gerere debet confessarius?*  
Antequam ad executionem procedat, rem examinare debet,  
multo magis si non ipse sed alius petitionem Romam mi-  
sisset; et in hunc finem maxime expedit ut missae peti-  
tionis exemplar conservetur. Examine itaque utrum ve-  
ritas exposita fuerit, et an forte causa adducta evanuerit,  
ut puta, si tota causa fuisset legitimatio proles, et proles  
obiisset. Attamen in hoc examine sufficit si confessarius  
poenitentis dicto acquiescat (dummodo positivam aliter sen-

tiendi rationem non habeat): nec oportet ut testes vel iuramentum exigat: et, si pro certo haberet causas adductas esse veras nullamque postea mutationem accidisse, ab examine abstinere posset.

371. *Quid si in petitione causa falsa exposita fuisset, et in rescripto causa vera exponeretur?* Nihilominus dispensatio invalida foret; scribae enim S. Poenitentiarie solitis formulariis utuntur (quae non semper cum petitionibus ad amussim cohaerent); sed dispensatio non procedit a scribis, bene vero a voluntate Superioris dicentis: Fiat, ut petitur, si vera sint exposita.

372. *Quid e contra si in petitione causa vera exposita fuisset (v. g. excellentia meritorum), et in rescripto causa falsa seu non subsistens (v. g. periculum scandalorum) exponeretur?* Dispensatio valida esset. Ratio est ut supra. Gury (*Cas. consc. II. 1058*).

373. *Quid si tempore executionis causae partim verae et partim falsae essent?* De hoc vide supra (*n. 348*).

374. *Quid si confessarius nullum examen institueret, sed causae adductae verae essent?* Dispensatio valeret; quandoquidem S. Poenitentaria hodie non dicit: *Si ita esse repereris*; sed dicit: *Si ita est*.

375. *Quaenam est clausula septima?* Est: « Dummodo impedimentum occultum remaneat ».

376. *Haec clausula estne pro valido?* Certe est conditio sine qua non.

377. *Quandonam impedimentum censetur occultum?* Censetur occultum, quamvis paucissimis personis sit notum, puta, quatuor vel quinque in oppido, septem vel octo in civitate; nisi tamen dictae personae rem sint evulgatae, nisi scilicet prudenter timendum sit ne impedimentum ex occulto publicum fiat. S. Poenitentaria interdum (nempe pro impedimento criminis cum machinatione) dicit: *Dummodo impedimentum sit omnino occultum*; et tunc si duo vel tres de illo notitiam haberent, dispensatio invalida foret. Non sufficeret ad validitatem dispensationis si im-

pedimentum esset occultum ubi contrahitur matrimonium, si forte alibi publicum esset. Non tamen obstaret si olim publicum fuisset, dummodo iam a longo tempore (et saltem a decennio) occultum esset, tempus enim omnia devorat.

378. *Quid si impedimentum esset materialiter publicum (si nempe notorium esset crimen); sed formaliter occultum (si nempe communiter ignoraretur quod ex illo crimine impedimentum exurgat)?* S. Poenitentaria huiusmodi impedimentum tamquam publicum semper habuit; unde eius rescripta semper iuxta hunc sensum intelligi debent. Cf. Lambertini (*Inst. LXXXVIII. 43*).

379. *Quaenam est clausula octava?* Haec est: « Nullis super his datis litteris, sed praesentibus, sub poena excommunicationis latae sententiae, statim per te post executionem penitus laceratis ».

380. *Haec clausula quid significat?* Significat, nullum testimonium in scriptis dandum esse de dispensatione obtenta, et rescriptum esse lacerandum post executionem; et quidem statim (quod tamen intellige moraliter, scilicet saltem infra triduum). Si confessarii essent duo, lacerandum esset ab ultimo. Omissio lacerationis culpae quidem et censurae locum daret, sed dispensationem invalidam non redderet. Scavini (*III. 824*). Posset tamen (ante destructionem rescripti authentici) transcribi et conservari exemplar (it. *copiā*).

381. *Quaenam sunt clausulae speciales pro dispensatione in voto castitatis?* Rescripta pro casu isto sequenti modo se habere solent: « Praevia absolute a mutatione propositi huiusmodi (*Intellige si poenitens culpabiliter mutasset propositum atque adhuc absolute indigeret, sublata quavis reservatione si quae foret*). Sanchez VIII. xxxiv. 20); facultatem concedit...., castitatis votum simplex ab ea PRIVATE emissum (ad hoc tantum ut matrimonium, servatis de iure servandis, contrahere et in eo debitum coniugale reddere et exigere licite valeat) in sacramentalem CONFSSIONEM SEMEL QUOLIBET MENSE, et

« in alia poenitentiae opera a te discrete praescribenda,  
 « et tamdiu duratura quamdiu commutationi huiusmodi lo-  
 « cus erit, inter quae sint etiam aliqua pietatis, QUAE  
 « ORATRIX QUOTIDIE FACIAT, ut ea adimplens meminisse  
 « semper possit obligationis, qua huiusmodi voto obstrin-  
 « gebatur, PROUT IPSIUS ORATRICES ANIMAE SALUTI IN DOMINO  
 « EXPEDIRE IUDICAVERIS, dispensando Apostolica auctori-  
 « tate, arbitrio tuo commutandi; pro foro conscientiae et  
 « in sacramentali confessione tantum; ita tamen ut, si  
 « oratrix extra licitum matrimonii usum contra VI. Dec.  
 « praeceptum (quod absit) deliquerit, sciat se contra ca-  
 « stitatis votum facturam; et si viro, cui nubet, super-  
 « vixerit, castitatem servare teneatur, utpote eodem voto  
 « ut prius obstricta; ET ITA ILLAM MONEAS ».

382. *Explica clausulas istas.* Opera poenitentiae intel-  
 liguntur non solum ieiunia aliaque corporales macera-  
 tiones, sed etiam orationes genibus flexis, vel psalmi poe-  
 nitentiales, psalmus *Miserere*, actus contritionis etc. Opera  
 pietatis intelliguntur etiam opera misericordiae sive cor-  
 poralis sive spiritualis, sive pro vivis sive pro defunctis.  
 Non oportet ut plura opera tam poenitentiae quam pie-  
 tatis quotidie exercenda imponantur, sed sufficit si con-  
 fessarius indicet plura ex huiusmodi operibus, et poenitens  
 quotidie ad minus duo ex ipsis (ad libitum variando)  
 eligat atque exerceat. Si autem duorum operum impo-  
 sitio nimia videretur, unum sufficere poterit, dicendo  
 rescripto: *prout animae saluti in domino expedire iudi-*  
*caveris.* Cf. Sanchez (*l. c. n. 41*).

383. *Quaenam est clausula nona?* Haec dicit: « Apo-  
 « stolica auctoritate misericorditer dispenses; prolem sus-  
 « cipiendam (*pro impedimento criminis additur*: Non  
 « tamen in adulterio conceptam) exinde legitimam nun-  
 « ciando ».

384. *Quaenam formulam adhibere poterit confessa-*  
*rius in dispensatione concedenda?* Post absolutionem a  
 peccatis dicere poterit: *Auctoritate apostolica mihi con-*

*cessa dispenso te ab impedimento N., ut eo non obstante*  
*matrimonium contrahere possis, et prolem suscipiendam*  
*legitimam declaro. In nomine Patris etc.* — Et si aga-  
 tur de voto castitatis, formula poterit esse sequens: *Aucto-*  
*ritate apostolica votum castitatis quod emisisti, in opera*  
*tibi iam iniuncta dispensando commuto, ita ut matrimo-*  
*nium contrahere, eoque uti valeas. In nomine Patris etc.*

385. *An verba « Auctoritate Apostolica » essentialiter pro valido exigantur?* Negative; id enim nulla lege constat. Equidem dicta verba exiguntur in quibusdam ca-  
 sibus particularibus; sed non in isto. Cf. Ballerini-Palm.  
 (*Tr. X. 1399. 2*).

## PUNCTUM V.

*De sciendis vel praestandis a parocho circa dispen-*  
*sationes, quae pro foro externo ope curiae episcopalis*  
*obtinentur.*

386. *Eccur etiam de re ista hic aliquid dicitur?*  
 Quia contingere potest quod 1° sponsi difficultatem habeant  
 petendi dispensationem propter expensas; 2° dispensatio  
 fuerit obreptitia vel subreptitia; 3° Ordinarius aliquid  
 exequendum parocho committat.

387. *Quaenam sunt expensae seu taxae ordinariae?*  
 Si oratores sint divites, taxa solet esse notabilis, et variat  
 admodum iuxta circumstantias, quae multum differre et  
 multipliciter complicari possunt. Ut plurimum hodie vel  
 200, vel 300, vel 400 francorum erit.

Si vero sint pauperes, si nempe de labore vivant;  
 aut (ambobus sponsis consideratis) stabilia ultra valorem  
 bis mille francorum non habeant; tunc, in summa totali,  
 circiter 20, vel 30, vel 40 francorum expensae erunt.

Si denique sint non solum pauperes, sed etiam in mise-  
 ria extrema, tunc (Ordinario informante specialibus litteris)  
 gratis rescriptum mittitur.

Notandum quod procuratores apostolici apud S. Poenitentiarium non plus exigere possunt quam summam in rescripto ipso expressam, nempe ordinarie Fr. 3 aut minus (Cf. *Monitore Vol. XIII. p. 397*).

388. Haec omnia intellige pro foro externo; si enim ageretur de impedimento occulto et pro solo foro conscientiae; tunc dispensatio (non ab Episcopo, sed a confessario exequenda) gratis omnino semper obtinetur.

389. *Quid si sponsus dives expensas sustinere nolit?* Si matrimonii conclusio valde necessaria esset, duo superessent remedia; nempe curare 1º ut a sola sponsa eiusve familia expensae sustineantur; 2º ut Episcopus litteris particularibus imploret expensarum imminutionem, recurrendo ad S. Poenitentiarium. Casus autem interdum talis esse potest, ut etiam gratis omnino dispensatio obtineatur. Vide *De Occasionariis (n. 126)*.

390. *Quomodo se gerere deberet parochus (vel confessarius) si, dispensatione in foro externo iam obtenta, adverteret quod, sive ex sponsorum malitia sive aliter, dispensatio ipsa fuerit obreptitia, aut subreptitia (vide supra n. 346 et sq.), et proinde invalida?* Si obreptio vel subreptio pertineret ad forum externum, eo quod de re naturâ suâ publicâ ageretur (ut puta, si falso allegatus fuisset defectus dotis, aut impedimentum publicae honestatis reticium fuisset); tunc ope curiae episcopalis res esset componenda.

Si e contra obreptio vel subreptio pertineret ad forum internum (ut puta, si copula et praegnantia falso fuisset allegata, aut affinitas ex copula illicita occulta reticita fuisset); tunc parochus ipse (vel confessarius) ad S. Poenitentiarium (casum exponendo et necessitatem matrimonium contrahendi ostendendo) recurrere deberet.

391. *Quid si sponsi non iam ad obtinendam dispensationem, bene vero ad obtinendam imminutionem taxae, falso paupertatem allegassent?* Quamvis sponsi in hunc solum finem paupertatem allegassent, non raro contingit

ut Dataria vel Poenitentaria illam quoque consideret; ita ut, ea seclusa, alias causas tamquam sufficientes non habuisset et dispensationem non concessisset. Quatenus autem ita esset, vel de hoc serio dubitari posset, tunc novus recursus certo certius necessarius foret. Si autem aliae causae certe sufficientes ad dispensandum fuissent, tunc probabile est quod dispensatio (saltem si data fuisset a Dataria) valida sit. Stante autem probabilitate (seu dubio iuris), de regula generali impedimentum cessat, ut vidimus (*n. 340*); et sic (remanente semper obligatione solvendi taxam defraudatam) matrimonium tamquam validum haberi poterit. Quum tamen haec conclusio non sit certissima (et maxime si dispensatio obtenta fuisset a Poenitentaria agente loco Datariae pro pauperibus), practice (si tempus suppeteret) in hoc quoque casu novus recursus (antequam matrimonium celebretur) exigeretur. Vide Acta (*VII. pag. 403*) et Ballerini-Palm. (*n. 1395. 1396*).

392. *Ordinarius quid parochi exequendum committere potest?* Ei committere potest 1º verificationem causarum (examinando an causae in supplici libello expositae hic et nunc verae sint); 2º iniunctionem reparandi scandalum (exigendo scilicet ut sponsi prius scandalum, quatenus adsit, reparent); 3º impositionem poenitentiae; 4º absolutionem. Haec, inquam, non vero dispensationem et legitimationem prolis, Ordinarius parochi (vel alteri sacerdoti) committere potest.

393. *Parochus sic ab Episcopo delegatus possetne alium subdelegare?* Negative.

394. *Quid notandum circa verificationem causarum?* Parochus assequi certitudinem moralem, et, si opus sit, testes quoque exigere debet. Cf. Berengo (*n. 136*).

395. *Quid notandum circa scandalum (quatenus adsit) reparationem?* Non ita pridem stylus erat exigendi separationem, et quidem pro valido; sed nunc si separatio obtineri non posset, sufficeret ut scandalum aliquo modo repa-

raretur; et quidem id non pro valido sed pro licito tantum exigeretur. Cf. *Praxis* (Ed. III. Vol. IV n. 938).

396. *Exigiturne confessio sacramentalis, antequam dispensatio in foro externo applicetur?* Haec etiam non ita pridem a S. Poenitentiaria (dispensante pro Dataria) exigebatur; sed hodie non amplius exigi solet.

397. *Qua ratione itaque Ordinarius, antequam dispenset, committere potest parochi, ut sponsis poenitentiam iniungat et absolutionem impertiatur?* Haec absolutio non est sacramentalis, sed iuridica; quae valet quidem etiam pro foro conscientiae, sed solum quoad poenas; non vero quoad culpam coram Deo.

398. *Qua forma uti debet parochus in hac absolutione concedenda?* Si delegatus fuerit ad absolvendum in forma Ecclesiae consueta, tunc adhibebit ritum praescriptum primo loco in rituali (*Tit. De absolutione ab excomm. in foro exteriori*); secus, adhibere poterit formam secundo loco in rituali ipso indicatam.

399. *Quid si sponsus, postquam dispensationem petiverit, iterum lapsus fuisset in idem crimen, quod impedimentum induxit?* Si lapsus fuisset cum diversa persona, tunc certe impedimentum evaderet duplex, seu novum impedimentum superadderetur; et sic nova dispensatio (omnia in petitione exponendo) necessaria foret. Casum habes si petita fuisset dispensatio ab affinitate propter copulam illicitam cum sorore sponsae perpetrata, et post missas preces nova copula cum alia sponsae ipsius consanguinea in primo vel secundo gradu intercessisset.

Si vero lapsus fuisset cum eadem persona, tunc certe impedimentum non multiplicaretur, si ante dispensationis executionem id accidisset; multiplicatio enim copulae non multiplicat impedimentum. Si vero, dispensatione iam executam, nova copula haberetur; tunc theologi non conveniunt; et proinde in praxi (quamvis dubium iuris, impedimentum excludens, constitui videretur), ad cautelam,

novam dispensationem petere expediret. Cf. Scavini (*III. n. 823*).

Si denique quis nedum primam dispensationem obtinisset, sed etiam illam (matrimonium contrahendo) usus fuisset; et postea, secuto relapsu impedimentum inducente, novum matrimonium (mortua coniuge) cum alia sorore contrahere vellet; tunc novam dispensationem, et quidem priorem prius obtentam significando (ut dixi supra n. 351), petere deberet.

## ARTICULUS VI.

### *De matrimonio conscientiae.*

400. I. Matrimonium conscientiae celebratur non solum omissis publicationibus, sed etiam ita occulte, ut parochus et testes ad arctissimum secretum perpetuo teneantur, et adnotatio celebrati matrimonii fiat non in libro consueto, sed in libro apud curam episcopalem asservato sigillisque munito.

II. Sine dispensatione Episcopi, nullum matrimonium hoc modo celebrari potest. Episcopus autem potest quidem hanc licentiam concedere (ex Bulla *Satis vobis* Benedicti XIV), sed solum ex causa gravissima et urgentissima, omnibusque circumstantiis diligenter perpensis, et magnis cautelis adhibitis; ne matrimonia huiusmodi luctuosos effectus habitura sint.

III. Causae gravissimae essent 1<sup>o</sup> si vir et foemina ex dissitis regionibus venissent, et in loco tamquam legitimi coniuges reputarentur. 2<sup>o</sup> Si (stante concubinato occulto vel periculo incontinentiae) vir esset dives et nobilis, mulier vero pauper et obscurae familiae; unde, si matrimonium notorie celebraretur, dedecus viro ipsi inureretur, et dicteria, molestiae, discordiae familiares etc. sequerentur (Bened. XIV *De Syn. XIII. xxiii. 12*).



raretur; et quidem id non pro valido sed pro licito tantum exigeretur. Cf. *Praxis* (Ed. III. Vol. IV n. 938).

396. *Exigiturne confessio sacramentalis, antequam dispensatio in foro externo applicetur?* Haec etiam non ita pridem a S. Poenitentiaria (dispensante pro Dataria) exigebatur; sed hodie non amplius exigi solet.

397. *Qua ratione itaque Ordinarius, antequam dispenset, committere potest parochi, ut sponsis poenitentiam iniungat et absolutionem impertiatur?* Haec absolutio non est sacramentalis, sed iuridica; quae valet quidem etiam pro foro conscientiae, sed solum quoad poenas; non vero quoad culpam coram Deo.

398. *Qua forma uti debet parochus in hac absolutione concedenda?* Si delegatus fuerit ad absolvendum in forma Ecclesiae consueta, tunc adhibebit ritum praescriptum primo loco in rituali (*Tit. De absolutione ab excomm. in foro exteriori*); secus, adhibere poterit formam secundo loco in rituali ipso indicatam.

399. *Quid si sponsus, postquam dispensationem petiverit, iterum lapsus fuisset in idem crimen, quod impedimentum induxit?* Si lapsus fuisset cum diversa persona, tunc certe impedimentum evaderet duplex, seu novum impedimentum superadderetur; et sic nova dispensatio (omnia in petitione exponendo) necessaria foret. Casum habes si petita fuisset dispensatio ab affinitate propter copulam illicitam cum sorore sponsae perpetrata, et post missas preces nova copula cum alia sponsae ipsius consanguinea in primo vel secundo gradu intercessisset.

Si vero lapsus fuisset cum eadem persona, tunc certe impedimentum non multiplicaretur, si ante dispensationis executionem id accidisset; multiplicatio enim copulae non multiplicat impedimentum. Si vero, dispensatione iam executam, nova copula haberetur; tunc theologi non conveniunt; et proinde in praxi (quamvis dubium iuris, impedimentum excludens, constitui videretur), ad cautelam,

novam dispensationem petere expediret. Cf. Scavini (*III. n. 823*).

Si denique quis nedum primam dispensationem obtinisset, sed etiam illam (matrimonium contrahendo) usus fuisset; et postea, secuto relapsu impedimentum inducente, novum matrimonium (mortua coniuge) cum alia sorore contrahere vellet; tunc novam dispensationem, et quidem priorem prius obtentam significando (ut dixi supra n. 351), petere deberet.

## ARTICULUS VI.

### *De matrimonio conscientiae.*

400. I. Matrimonium conscientiae celebratur non solum omissis publicationibus, sed etiam ita occulte, ut parochus et testes ad arctissimum secretum perpetuo teneantur, et adnotatio celebrati matrimonii fiat non in libro consueto, sed in libro apud curam episcopalem asservato sigillisque munito.

II. Sine dispensatione Episcopi, nullum matrimonium hoc modo celebrari potest. Episcopus autem potest quidem hanc licentiam concedere (ex Bulla *Satis vobis* Benedicti XIV), sed solum ex causa gravissima et urgentissima, omnibusque circumstantiis diligenter perpensis, et magnis cautelis adhibitis; ne matrimonia huiusmodi luctuosos effectus habitura sint.

III. Causae gravissimae essent 1<sup>o</sup> si vir et foemina ex dissitis regionibus venissent, et in loco tamquam legitimi coniuges reputarentur. 2<sup>o</sup> Si (stante concubinato occulto vel periculo incontinentiae) vir esset dives et nobilis, mulier vero pauper et obscurae familiae; unde, si matrimonium notorie celebraretur, dedecus viro ipsi inureretur, et dicteria, molestiae, discordiae familiares etc. sequerentur (Bened. XIV *De Syn. XIII. xxiii. 12*).

IV. Cautelae autem adhibendae consistunt praecipue  
 1° In habenda certitudine de statu libero utriusque con-  
 iugis. 2° In considerando ne forte timendum sit de di-  
 vortio, et speciatim de celebratione matrimonii civilis (ne  
 dicam etiam ecclesiastici) cum alia. 3° In habenda ratione  
 scandali, aut periculi ne occulti coniuges prolem impedi-  
 turi, aut necaturi, aut ad brephotrophium sic et simplici-  
 ter missuri sint; quae omnia ordinarie plus vel minus erunt  
 timenda, si de iuvenibus agatur. Videndum etiam 4° an  
 agatur de filiis familias, qui contra parentum iuste dissen-  
 tientium voluntatem huiusmodi nuptias contrahere velint.  
 Videndum 5° ne agatur de beneficiato, qui clam contrahat  
 ne beneficium amittat. In quovis casu 6° admonendi sunt  
 occulti coniuges denunciandi Episcopo prolem (si forte  
 illam suscepturi erunt) *intra mensem* a die nativitatibus, ut  
 illius legitimationi consultum sit; quod nisi fieret, aut si  
 aliquid contra matrimonii unitatem attentaretur, matrimo-  
 nium ipsum revelaretur. Cf. Bullam cit. Bened. XIV et  
 Vecchiotti (*III. XIII. 83*).

#### ARTICULUS VII.

*De impedimento detecto solum quando ad matrimo-  
 nium hic et nunc contrahendum iam omnia sunt parata.*

401. *Quid si impedimentum, aut dispensationis ob-  
 tentae invaliditas, detegeretur, dum omnia ad matrimo-  
 nium proxime contrahendum essent parata; ita ut ad  
 S. Sedem recurrenti tempus non suppeteret?* Supposita  
 necessitate vere stricta (quae facile contingeret si impe-  
 dimentum ex occulta causa turpi oriretur), Episcopus di-  
 spensare, et dispensandi facultatem (eo quod sit eius offi-  
 cio adnexa; Cf. Sanchez *II. XL. 14*) parochi delegare  
 posset; attamen solum pro foro conscientiae. Si autem ca-  
 sus esset publicus, tunc stricta necessitas valde rarius et  
 difficiliter dabitur. Si tamen contingeret (v. g. si valde

formidari deberet ne sponsi matrimonium mere civile cele-  
 braturi essent), S. Ligorius aperte supponit, et plures  
 alii theologi aperte dicunt quod Episcopus facultatem di-  
 pensandi tunc quoque haberet; attamen solum pro foro  
 conscientiae, et cum obligatione petendi quamprimum di-  
 spensationem formalem a S. Sede, quae pro foro externo  
 erit omnino necessaria, et pro foro interno erit ad caute-  
 lam. Vide *De Occasionariis (n. 132. 135)*.

402. *Quid si recurri posset ad S. Sedem ope tele-  
 graphi?* S. Sedes ope telegraphi dispensationes non conce-  
 dit, et proinde hoc medium perinde est ac si non adesset.  
*De occas. (n. 133)*.

403. *Quid si ageretur de casu, in quo S. Sedes di-  
 spensare non soleat, prout contingeret v. g. in impedi-  
 mento criminis cum coniugicidio?* Si dispensare non pos-  
 sit, aut absolute nunquam dispenset; tunc certe Episcopus  
 nullam facultatem habebit. Caeterum Ecclesia non solet  
 quidem dispensare a quibusdam impedimentis, quando adest  
 adhuc tempus et modus matrimonii celebrationem decli-  
 nandi; si vero matrimonium iam fuerit celebratum vel  
 circumstantiae sint ita dispositae ut sine gravissimorum  
 malorum provocatione impediri nequeat, et casus vere ur-  
 gentissimus sit; tunc ab iis quoque impedimentis dispensat,  
 a quibus ordinarie dispensare non solet. In praxi itaque  
 considerandum esset, an circumstantiae sint adeo urgen-  
 tes, ut dispensatio omnino necessaria appareat, et proinde  
 praesumendum sit quod Ecclesia consentiat. Cf. *De Occa-  
 sionariis (n. 134)*.

404. *Quid si casus ita urgeret, ut (v. g. propter  
 distantiam a civitate episcopali) ne ad Episcopum qui-  
 dem recurrenti tempus suppeteret?* Tunc S. Ligorius  
 alique plures censent quod ad parochum dispensandi fa-  
 cultas (intellige sub conditionibus supra recensitis) devol-  
 veretur. Cf. *De Occasionariis (n. 136)*.

405. *Danturne casus, in quibus parochus (vel alius  
 sacerdos); detegendo in confessione quod sponsi impedi-*

mento dirimente detineantur, eos in bona fide relinquere possit? Affirmative. Dicit Sanchez (*De matr. II. xxxviii. 7*): « Quod confessarius, ita exigente prudentia, relinquere possit poenitentem in bona fide, verum esse credo, « non tantum ubi iam est contractum matrimonium, sed « etiam ante ». Ita dicunt etiam Laymann (*De Poenit. XIII. 6*), Lugo (*De Poen. XXII. 4*), Gury (*Cas. consc. II. 1068*) etc. Attamen casus, in quo id expediatur, valde facilius in matrimonio contracto quam contrahendo, verificabitur.

## ARTICULUS VIII.

*De quibusdam aliis rebus, quae obstare possunt, quamvis stricte non sint impedimenta canonica.*

406. *Praeter impedimenta supra recensita (quae sola dicuntur impedimenta canonica) potestne aliquid aliud matrimonii celebrationi obstare?* Affirmative; et speciatim 1° Si sponsi matrimonium civile contrahere nolent (ut dixi supra *n. 302*). 2° Si parentes rationabiliter dissentirent, aut matrimonium civile essent impedituri. 3° Si sponsorum alteruter esset ita semifatuus, ut graviter dubitari deberet, an discernat bonum a malo, scilicet sufficientem rationis usum habeat (Cf. Sanchez *I. VIII. 15. 24*). 4° Si sponsorum alteruter per litteras aut procuratorem matrimonium contrahere vellet (*De Occasion. n. 138*). 5° Si matrimonium celebrandum esset privatim et sine Missa. 6° Si sponsi condiciones matrimonio apponere vellent. N. B. His in casibus Episcopum consulere oportet. 7° Obstant censurae. 8° Obstat peccatum mortale.

407. *Quomodo se gerere deberet parochus, si perspiceret, sponsum sine confessione et communione in statu peccati mortalis matrimonium celebrare velle?* Quoad confessionem, Conc. Trid. et rituale dicunt quidem sponsum esse ad confessionem adhortandos, sed non dicunt

esse cogendos. Communio pariter (etsi Missa celebretur) stricte non exigitur.

Quoad statum peccati, parochus iuxta ordinarias prudentiae regulas se gerere deberet; et Gury (*n. 773*) dicit: « Si nullus fructus ex monitione speretur, fere melius « erit indignum non monere de sacrilegio indigne accedentis; ut saltem sic minus peccet ». Cf. *De Occasionariis (n. 121)*.

408. *Quid si sponsus esset publicus peccator, vel etiam censuris publice innodatus, cui propter notoriam impenitentiam sacramenta denegari deberent?* 1° Curandum tempestive ut cum Ecclesia reconcilietur. 2° Si reconciliari recuset, consulendus erit Ordinarius, qui (ad praecavenda mala sive publica, sive etiam ipsorum contrahentium tantum, v. g. ne perseverent in peccato) assistendi licentiam tunc quoque concedere poterit. 3° Attamen Missae celebratio tunc declinari, et matrimonium privatim celebrari debet. Cf. *De Occas. (n. 120)*.

## CAPUT XV.

## De praestandis actu ipso que matrimonium celebratur.

409. Explicandum 1. Coram quibus matrimonium celebrari debeat. 2. Quomodo matrimonium civile, aut aliter invalidum, sanari possit *in radice*. 3. Quinam sit parochus proprius. 4. Quinam possint esse testes. Agendum 6. De tempore quo matrimonium celebrari valet. 7. De loco. 8. De sponsorum confessione. 9. De ritu. Denique 10. Solvuntur nonnulla quaesita.

## ARTICULUS I.

*Coram quibus matrimonium celebrari debeat.*

410. Ut matrimonium sit validum, celebrari debet coram parochus, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus testibus. Intellige pro locis ubi decretum *Tametsi* Tridentini publicatum fuit et viget.

mento dirimente detineantur, eos in bona fide relinquere possit? Affirmative. Dicit Sanchez (*De matr. II. xxxviii. 7*): « Quod confessarius, ita exigente prudentia, relinquere possit poenitentem in bona fide, verum esse credo, « non tantum ubi iam est contractum matrimonium, sed « etiam ante ». Ita dicunt etiam Laymann (*De Poenit. XIII. 6*), Lugo (*De Poen. XXII. 4*), Gury (*Cas. consc. II. 1068*) etc. Attamen casus, in quo id expediatur, valde facilius in matrimonio contracto quam contrahendo, verificabitur.

#### ARTICULUS VIII.

*De quibusdam aliis rebus, quae obstare possunt, quamvis stricte non sint impedimenta canonica.*

406. *Praeter impedimenta supra recensita (quae sola dicuntur impedimenta canonica) potestne aliquid aliud matrimonii celebrationi obstare?* Affirmative; et speciatim 1° Si sponsi matrimonium civile contrahere nolent (ut dixi supra *n. 302*). 2° Si parentes rationabiliter dissentirent, aut matrimonium civile essent impedituri. 3° Si sponsorum alteruter esset ita semifatuus, ut graviter dubitari deberet, an discernat bonum a malo, scilicet sufficientem rationis usum habeat (Cf. Sanchez *I. VIII. 15. 24*). 4° Si sponsorum alteruter per litteras aut procuratorem matrimonium contrahere vellet (*De Occasion. n. 138*). 5° Si matrimonium celebrandum esset privatim et sine Missa. 6° Si sponsi condiciones matrimonio apponere vellent. N. B. His in casibus Episcopum consulere oportet. 7° Obstant censurae. 8° Obstat peccatum mortale.

407. *Quomodo se gerere deberet parochus, si perspiceret, sponsum sine confessione et communione in statu peccati mortalis matrimonium celebrare velle?* Quoad confessionem, Conc. Trid. et rituale dicunt quidem sponsum esse ad confessionem adhortandos, sed non dicunt

esse cogendos. Communio pariter (etsi Missa celebretur) stricte non exigitur.

Quoad statum peccati, parochus iuxta ordinarias prudentiae regulas se gerere deberet; et Gury (*n. 773*) dicit: « Si nullus fructus ex monitione speretur, fere melius « erit indignum non monere de sacrilegio indigne accedentis; ut saltem sic minus peccet ». Cf. *De Occasionariis (n. 121)*.

408. *Quid si sponsus esset publicus peccator, vel etiam censuris publice innodatus, cui propter notoriam impenitentiam sacramenta denegari deberent?* 1° Curandum tempestive ut cum Ecclesia reconcilietur. 2° Si reconciliari recuset, consulendus erit Ordinarius, qui (ad praecavenda mala sive publica, sive etiam ipsorum contrahentium tantum, v. g. ne perseverent in peccato) assistendi licentiam tunc quoque concedere poterit. 3° Attamen Missae celebratio tunc declinari, et matrimonium privatim celebrari debet. Cf. *De Occas. (n. 120)*.

#### CAPUT XV.

##### De praestandis actu ipso que matrimonium celebratur.

409. Explicandum 1. Coram quibus matrimonium celebrari debeat. 2. Quomodo matrimonium civile, aut aliter invalidum, sanari possit *in radice*. 3. Quinam sit parochus proprius. 4. Quinam possint esse testes. Agendum 6. De tempore quo matrimonium celebrari valet. 7. De loco. 8. De sponsorum confessione. 9. De ritu. Denique 10. Solvuntur nonnulla quaesita.

#### ARTICULUS I.

*Coram quibus matrimonium celebrari debeat.*

410. Ut matrimonium sit validum, celebrari debet coram parochus, vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus testibus. Intellige pro locis ubi decretum *Tametsi* Tridentini publicatum fuit et viget.

411. *Estne de essentia ut parochus et testes mutui consensus verba intelligant?* Negative; sed sufficit si ex antecedentibus, vel proxime consequentibus, vel concomitantibus (v. g. traditione anuli) certi moraliter sint, quod in ipsorum praesentia sponsi consensum matrimonialem manifestarunt.

412. *Quid itaque de mutis, qui solis gestibus consensum exprimere possunt? Quid si parochus esset surdus et nihil audiverit; attamen viderit, et sic de matrimonio contracto testificari possit?* Matrimonium valeret.

413. *Quid si sponsi ex improvviso deprehenderint parochum, qui audiverit quidem consensum sponsi; sed, sive ex industria, sive ex turbatione vel confusione etc., consensum sponsae non intellexerit?* Valeret matrimonium, si parochus non solum ex dicto testium, sed etiam ex circumstantiis antecedentibus, comitantibus et consequentibus pro certo testificari valeret quod sponsa quoque consensum expresserit. Nihil autem obstaret, si testificari, dum posset, nollet. Cf. Pallottini (v. *Matrim.*) n. 359-430.

414. *Estne de essentia ut testes et parochus ipso facto et hic et nunc cognoscant quinam sint sponsi?* Negative; sed sufficit si paulo post pro certo resciant quinam illi fuerint.

415. *Quid itaque si, v. g. sponsa suam personam prorsus occultaverit, aut finxerit se esse aliam?* Valeret matrimonium; dummodo parochus et testes paulo post pro certo didicerint quanam illa fuerit. Cf. Pallottini (l. c. n. 428 et seqq.).

416. *Quid de parochi vel teste caeco?* Valide assisteret, dummodo ex voce cognita aliisve circumstantiis praedictam certitudinem habere posset.

417. *Quid si contrahentes nullam haberent intentionem contrahendi coram parochi, sed ille sive casu sive ex industria adesset, dum v. g. apud officialem civilem contrahunt?* Matrimonium non valeret. S. C. C. apud Bened. XIV (*De Syn. XII. xxiii. 1. 5*). Ex mente enim Ecclesiae oportet, ut parochus et testes testificari possint, non de quocumque matrimonio, sed de matrimonio ecclesiastico; quod scilicet sponsi vere intentionem haberint contrahendi coram parochi.

418. *Lex de celebrando matrimonio coram parochi et testibus sub poena invaliditatis habetne exceptiones?* Affirmative, nempe 1° pro locis ubi vel nunquam fuit

publicata vel cessavit obligare (attamen solum prout explicatur in *Praxi Ed. III. Vol. IV. n. 864*). 2° In casu necessitatis quae evasisset communis, sed solum post mensem a generali fuga parochorum, et remanente necessitate duorum testium (l. c. n. III). 3° Hodie, ex dispensatione S. Sedis et delegatione Episcopi, pro casu moribundi sive concubinariii sive civili tantum matrimonio ligati, si et pro quanto aliter fieri nequeat (l. c. n. 931. e). 4° In consuetis sanationibus matrimonii iam contracti stante impedimento occulto, vel in radice. An autem pro casu gravissimae necessitatis non communis sed particulari cesset hoc impedimentum, quamvis praedicta Episcopi delegatio nec haberetur nec peti posset; vide *Praxim* (l. c. n. 865).

419. *Quid si valde interesset, ut duo (propter concubinatum vel matrimonium civile) in legitimum matrimonium coniungerentur; sed vir apud parochum et testes illud inire valde repugnaret?* Supposita approbatione Episcopi, deservire poterunt sequentia.

I. Celebratio matrimonii privata prorsus sive in domo parochiali, sive in domo sponsorum ipsorum, sive horis nocturnis, sive adhibendo pro testibus duos sacerdotes aut alios de quorum secreto vir ille plene confidere possit, sive delegando alium sacerdotem vel parochum, etiam in alia civitate, vel ruri, vel in montibus etc.

II. Celebratio matrimonii per procuratorem, vel per litteras.

III. Manifestatio consensus non simultanea sed successiva, ita scilicet ut unus prius (v. g. hodie) et alter postea (v. g. cras) apud eundem parochum eosdemque testes consensum manifestet. Cf. *Praxis* (*Ed. III. Vol. IV. n. 956*).

IV. Si nullum ex his mediis acceptari vellet; tunc, si de concubinatu ageretur, nullum superesset remedium; si vero subsisteret matrimonium civile, tunc dispensatio in radice a S. Sede obtineri posset. Sed de hoc in Art. sequenti.

## ARTICULUS II.

*De matrimonio civili, aut aliter invalido, quod non coram parochi, sed ex dispensatione in radice sanetur.*

420. *Quid est dispensatio in radice, et in quo differt a dispensatione ordinaria?*

I. Est illa quae ad sanandum matrimonium invalide contractum, et cui nullum impedimentum iuris naturalis vel divini obstat, ita conceditur, ut consensum (qui tamen perduret) a parte utriusque renovare, atque adeo partem nullitatis ignaram vel non persuasam certiorare non oporteat.

II. Differt a dispensatione ordinaria, speciatim quia in ista ordinarie oportet, ut *ambo* consensum renovent (saltem privatim).

421. *Dispensatio in radice a quo et quomodo concedi solet?*

I. Conceditur a Summo Pontifice per S. C. S. Officii pro casibus publicis, et per S. Poenitentiarum pro occultis.

II. Conceditur quando matrimonium contractum fuerit in faciem Ecclesiae sed invalide; pars autem impedimenti inscia nequeat certiorari, v. g. ob periculum divortii.

III. Interdum conceditur etiam quando putativi coniuges ignorant impedimentum, et sunt ambo in bona fide; sed non raro S. Sedes potius respondet ut in bona fide relinquuntur.

IV. Hodie autem casus magis ordinarius, est ad sananda matrimonia civilia, et hoc in puncto plura notari debent. 1º Quando sunt valde frequentia, Episcopi habere solent, vel facile obtinere possunt, hanc facultatem (utique subdelegabilem) sive pro determinato numero casuum, sive pro casibus omnibus tempore sacrarum Missionum occurrentibus. 2º Etiam ubi lex civilis permittit divortium (quoad

vinculum) S. Sedes concedere solet dispensationes in radice, quia praesumitur adfuisse consensus praedominans contrahendi verum matrimonium. Excipe nisi in formula ipsa ius huiusmodi exprimeretur, aut coniuges illud intenderent ad modum conditionis sine qua non (Cf. *Praxis Ed. III. Vol. III. n. 989*). 3º Oportet ut perduret consensus, prout ordinarie contingit quin obstat discordiae forsitan subsecutae etc. (*l. c. n. 991*). 4º Oportet ut mulier sanationem istam desideret; secus enim dispensatio non concederetur, et parochi illam petenti S. Sedes responsura esset: *oret pro eis*. 5. Oportet ut de obtinenda celebratione matrimonii coram parochi sit prorsus desperandum. 7º Oportet etiam ut mulier ipsa petitionem Episcopo praesentandam subscribat et iureiurando affirmet se nullo alio vinculo obstringi. 7º Oportet denique ut parochus dispensationem applicet, scandali reparationem aliquo modo procuret, et matrimonii sanati in regesto memoriam servet.

V. Sanationis autem quae solum pro foro conscientiae (ut mox supra *n. II*) peracta fuisset, nulla memoria servari deberet.

VI. Dispensatio applicari posset formulam sequenti: *Ego auctoritate apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice sano, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

De his omnibus (et aliis nonnullis minoris momenti) vide *Praxim (l. c. 985-996)*.

## ARTICULUS III.

*Declaratur quisnam sit parochus proprius.*

422. *Quisnam venit nomine parochi?* 1º Parochus proprie dictus; et sufficit si sit in possessione beneficii parochialis, nihilque obstat si non esset adhuc sacerdos, aut (intellige tamen solum quoad validum) si esset ex-

communicatus (etiam vitandus), vel iurisdictione privatus, suspensus, haereticus etc.; vel si ei Episcopus assistere tali matrimonio interdixisset (Pichler *IV. III. 18* et Gasparri *n. 920*). 2º Oeconomus (paroecia vacante). 3º Curatus sive perpetuus sive amovibilis (qui pro capitulo vel monasterio vel utcumque pro parochia habituali paroeciam regat); et, si duo curati in solidum paroeciam regerent, matrimonium valeret apud alterutrum, etiam altero invito. 4º Coadiutor in spiritualibus ab Episcopo datus parochia inhabili (etiam sine iure successionis); intellige dummodo supplere debeat totaliter et independenter; secus enim, invito vero parochia, matrimonium non valeret. 5º A fortiori contrahi posset matrimonium coram Episcopo, aut Vicario Generali aut Vicario capitulari.

423. *Quid si quis existimaretur parochus: sed, ex vitio occulto collationis paroeciae, talis non esset; vel intrusus foret?*

I. Valet matrimonium apud parochum existimatum, si talis sit ex titulo colorato cum errore communi, etsi forte contrahentes occultum collationis vitium cognoscerent.

II. Iuxta Pichler (*l. c.*) aliosque contra Sanchez *III. xxii. 60*) valeret quoque si esset intrusus, sed solum dummodo ex errore communi verus parochus existimaretur.

424. *Quisnam parochus assistere debet?* Pro valido simul et licito, parochus proprius sponsae. Sed si parochus sponsi assisteret, illicite quidem sed valide assisteret.

425. *Quid exigitur ut parochus dicatur proprius?* Exigitur ut in illius paroecia sponsus (vel sponsa) habeat domicilium vel quasi-domicilium (intellige in sensu iuris non iam civilis sed canonici), vel sit vagus; non vero sufficeret si tantummodo esset peregrinus.

426. *Quandonam constituitur domicilium in sensu iuris canonici?* Constituitur a momento quo quis in paroecia incipit habitare cum animo permanendi perpetuo, scilicet donec aliquid avocet.

427. In civitatibus et oppidis sufficit etiam ut civis conduxerit domum pro tempore quo domus conduci solent v. g. annum vel semestrem (imo et quamvis forte ad mensem tantummodo conduci solerent); ille enim tunc in paroecia eiusdem domus haberet domicilium et verissimus esset parochianus, quamvis solum pro tempore quo eandem domum conduxit illuc habitare intenderet. Idem die si talis civis non in principio sed in decursu dicti temporis in aliqua domo habitationem suam constitueret, vel (prout subinde in famulis contingere solet) tamquam unus de familia evaderet, licet in fine anni vel semestris etc. cum familia ipsa discessurus esset. Ageretur tamen solum de quasi-domicilio, quoad illos qui verum domicilium alibi haberent.

428. Notandum 1. Quod duo contingerent domicilia, si quis sex mensibus in una paroecia et sex mensibus in alia habitaret. 2. Quod domicilium consideratur non ubi die sed ubi nocte quis stabiliter habitat. Excipitur nisi extra domum suam ratione officii vel concubitus noctem transigere solitus esset. 3. Quod, si domus partim in una et partim in alia paroecia erret, a ianua principali decisio penderet. 4. Quod a momento, quo quis paroeciam relinquit cum intentione non amplius stabiliter redeundi, cessat esse parochianus, et proinde eiusdem matrimonium apud primum parochum non valeret, etsi statim post discessum (v. g. sequenti die) contraheretur, seclusa delegatione sive parochi sive Episcopi novi domicilii (Cf. *Praxis n. 896 XIII*).

429. *Quandonam constituitur quasi-domicilium?* Constituto vero domicilio, si ab illo aliquid avocet, alibi constituitur quasi-domicilium dummodo duo concurrant, nempe 1º ut habeatur intentio ad primum verum domicilium redeundi; 2º ut alibi incepta fuerit habitatio cum intentione ibidem permanendi tempore satis diuturno et saltem maiori anni parte.

430. *An, durante tempore quo quis habitat in loco quasi-domicilii, remaneat parochianus in paroecia domicilii?* Affirmative; idque (contra Sanchez et Reiffenstuel, Cf. *Praxis Vol. IV. pag. 871*) hodie certissimum est.

431. *Quid si quis haberet quidem intentionem redeundi, sed solum post plures annos?* Quidquid alias scripserim, nunc (re melius considerata) dico quod parochianus remaneret eodem modo.

432. Ratio est quia, quamvis canonistae antiquiores aliter senserint, tamen iam ita docent passim recentiores. Talem enim doctrinam vel tradunt implicite dum dicunt valere matrimonium sive collegialium sive puellarum degentium in conservatoriis vel monasteriis educationis causa, apud parochum domicilii paterni (Cf. Lambertini *Notif. XXIII n. 16 et LXXXVIII n. 12*); vel etiam tradunt explicito, unde, v. g. Zitelli (*Apparatus De impedim. eland. n. 3*) dicit: « Ad illud (domicilium) amittendum non sufficit actualis discessus, nec longa absentia, sed requiritur ut animus non redeundi constet aut ver-  
« bis aut factis ». Et apud Acta (*XV pag. 222*) legitur: « Domicilium non  
« amittit, qui, licet ad longum tempus absit, animum tamen deserendi non  
« habet.... Mutatio consilii sed accidentalis, absque animo deserendi domum

« paternam, et absque voluntate perpetuo manendi in novo loco, non facit cessare iurisdictionem parochi prioris domicilii ». Sic itaque iam efformata esset iurisdictione probabilis, qua stante iam certe supplet Ecclesia. Adde quod hoc in puncto iam adsunt decisiones S. Sedis. Zitelli (*l. c.*) dicit: « Alumni seminariorum vel collegiorum, puellae in conservatorio vel monasterio educationis causa degentes extra civitatem propriam, quasi-domicilium habent in paroecia, in qua situm est collegium, seminarium, conservatorium; nec verum domicilium amittunt, quod alibi habent et cui non renuntiarunt. S. C. « Epp. et Reg. 8 Oct. 1723 ».

433. *Quid si quis habens verum domicilium, ad habitandum alibi se conferret, sed non pro maiori anni parte?* Hodie pro certo habendum est quod ad constituendum quasi-domicilium, vere exigitur habitatio cum animo remanendi pro maiori anni parte. Hinc divites rusticantes qui solum tribus vel quatuor mensibus ruri degunt; et pastores, qui solum quinque mensibus in vallibus cum grege commorantur, quasi-domicilium minime contrahunt.

434. Exceptiones esse solent sequentes. 1. Si ex particulari S. Sedis decreto alicubi sufficeret intentio habitandi ad brevius tempus, v. g. ad mensem; aut habitatio iam continuata ad tempus determinatum (v. g. ad sex menses), quamvis forte nunquam concepta fuisset intentio protrahendi habitationem ad maiorem anni partem. Vide *Praxim* (Vol. IV n. 882-884) et Acta (Vol. 31 pag. 745). — 2. Excipitur casus domicilii communicati, ut puta, si famula iniret famulatum apud familiam quae post unum vel alterum mensem paroeciam derelictura esset; illa enim evaderet paroeciana statim, quamvis non posset habere intentionem permanendi in illa paroecia nisi pro uno vel altero mense.

435. Caeterum, supposita intentione habitandi pro maiori anni parte, ad contrahendum quasi-domicilium, habitatio incaepa (etiam brevissima) sufficeret; et e contra, dicta intentione seclusa, habitatio etiam longissima, quae casu vel ad experiendum interveniret, non sufficeret, nisi (ut dixi) ex speciali decreto alicubi tamquam sufficiens habenda esset.

436. *Quid de illis qui domicilium nullibi habent, et de loco ad locum semper se conferunt; sed ita ut in singulis locis saltem pro maiori anni parte commorentur?* Isti in iisdem locis quasi-domicilium acquirunt; vel illud acquirentibus aequiparantur.

437. *Quinam sunt vagi?* Qui nec domicilium nec quasi-domicilium ullibi habent. Dicuntur vagi perpetuo qui patriam non habent et semper in gyrum se conferunt.

Dicuntur autem vagi *momentanee* qui, relicto prorsus suo domicilio, versantur in itinere ut se conferant ad alium locum, in quo novum domicilium statuere intendunt. Dicerem tamen, eundem locum non iam vicinum sed valde longinquum esse debere; secus enim lex adeo momentosa nimis facile eludi posset. Caeterum circumstantia, in quo quis est vagus *momentanee*, verificatur etiam in casu satis pratico illarum puellarum, quae domicilium paternum minime habent, et degentes in famulatu, domum heri, occasione proximi matrimonii (maxime post sponsalia et dum fiunt publicationes), deserere coguntur, atque interim apud aliquam familiam usque ad nuptiarum diem morantur. Si tamen matrimonio contracto ad pristinam domum rediturae essent (nubendo alicui de eadem familia), tunc tamquam vagae haberi non possent; sed tempore, quoque illius brevissimae absentiae illuc paroecianae remanerent.

438. *Quoad matrimonium adestne differentia inter habentes domicilium aut quasi-domicilium, et vagos?* Utique: nempe 1° Parochus domicilii aut quasi-domicilii assistere potest matrimonio suorum paroecianorum etiam extra fines paroeciae; sed non ita quoad vagos. 2° Qui habet domicilium simulque quasi-domicilium, apud unum vel alterum parochum contrahere potest matrimonium valide, sed non semper licite; ut infra videbimus (v. g. circa puellas in dictis conservatoriis vel monasteriis degentes). 3° Vagus sive perpetuo sive *momentanee* (dummodo, ut dixi, de simplici transitu ad paroeciam vicinam non agatur) contrahere posset apud quemcumque parochum, et sufficeret si unus esset vagus, quamvis alter domicilium vel quasi-domicilium alibi haberet. S. C. apud Gasparri (*n. 917*).

Supposito autem non ficto sed vero quasi-domicilio aut statu vagi, validitati non obstat si fraus intervenisset atque ad matrimonium facilius contrahendum ita factum fuisset (Idem *l. c.*).

439. *Quandonam itaque quis in sensu iuris canonici evadit peregrinus, atque adeo apud parochum loci*



*ubi casu versatur, matrimonium valide contrahere nequit?*  
 Quando in illo loco nec domicilium nec quasi-domicilium habet, nec est vagus, quando scilicet alibi habet domicilium, a quo discessit quidem sed cum intentione ad illud redeundi, atque tempore vel modo non sufficienti ad efformandum quasi-domicilium, versatur in loco ubi matrimonium contrahere vellet.

440. *Apud quemnam parochum matrimonium celebrare possunt vel debent professores, medici, officiales, artifices et quotquot ratione artis vel officii longe a familia sua versantur; item collegiales; item puellae sive educandae in monasteriis, sive receptae in conservatoriis, aut orphanotrophiis; item famuli et famulae; item puellae expositae et traditae brephotrophiis; item milites; item infirmi in hospitalibus; item carcere detenti; denique famuli monasteriorum?*

R. I. Generatim applicandae sunt regulae generales; videndum scilicet an habeant tantummodo domicilium; vel habeant simul domicilium et quasi-domicilium; vel sint vagi.

II. Observanda est etiam consuetudo quae aliquando posset derogare regulis generalibus, et provenire a privilegio, vel includere delegationem tacitam propriorum Ordinariorum aut parochorum iam a longo tempore videndum et nunquam reclamantium.

III. Loquendo in particulari, 1° Puellae educandae apud moniales post sponsalia mitti debent ad domum suam, illuc apud proprium parochum matrimonium contracturae (S. C. Epp. et Reg. apud Lambertini *Inst. XXXIII. n. 15*). Hoc tamen praecipitur solum pro licito, et certe validum esset matrimonium etiam ad crates monasterii coram parochi loco uti situm est monasterium ipsum (Lambertini *Instit. LXXXIII. n. 10*). 2° Alicubi leges dioecesanæ iubent ut *famulae*, si habeant domicilium paternum vel maternum vel fraternum intra eandem civitatem, contrahant matrimonium apud parochum eiusdem domicilii; et secus apud parochum ubi degunt; et idem dic de colle-

*gialibus*. Sed haec etiam sunt solum pro licito (Cf. Lambertini *l. c.* et Vecchiotti *III. § 106 v. Quaeritur*), et pro locis ubi eadem lex viget, etsi expediret ut ubique eadem regula servaretur; expedit enim ut publicationes fiant ubi contrahentes hic et nunc sunt magis cogniti, quod in casu quasi-domicilii diu perdurantibus (si verum domicilium in eadem civitate minime sit) semper verificatur. 3° *Famuli monasteriorum* subiecti quidem possunt Regularibus quoad alia, sed non quoad matrimonium (S. C. C. apud Giraldi *I. Vol. II. Sect. 891. Tit. 33*). 4° *In hospitalibus* infirmi nec domicilium nec quasi-domicilium habere solent; et si qui illud haberent (prout contingere posset in chronicis et inservientibus), non ideo matrimonium celebrare possent coram hospitalis ipsius capellani, quibus exemptio (si adesset) faveret quidem quoad alia, sed non quoad matrimonium, quod proinde, si nullum contractum fuisset domicilium, ad parochum proprium, et in casu chronicorum et inservientium ad parochum paroeciae ubi situm est hospitale, spectare posset. In casu itaque necessitatis, si parochus advenire nequiret, eiusdem vel Ordinarii delegatio exigeretur. 5° *Carcere detenti* ante sententiam sunt peregrini; et post sententiam quasi-domicilium habere possent, si nempe saltem pro maiori anni parte in eodem carcere poenam luere deberent. 6° *Milites* pariter solum quando pro maiori anni parte alicubi remanere sint destinati, parochi loci, ratione quasi-domicilii, subicerentur. 7° Maior difficultas est circa *puellas expositas*, et dicendum quod (secluso privilegio apostolico quo sacerdoti brephotrophii curato detur facultates assistendi etiam earundem matrimonio), distinguere oportet, inter casum puellarum illuc stabiliter degentium. et casum in quo ipsae aliis tamquam famulae traditae fuerint. In primo casu matrimonio assistere deberet parochus in cuius paroecia adsit brephotrophium. In secundo autem posset certe assistere parochus familiae ubi famulantur. Sed quid si illa occasione ad brephotrophium (ita exigente regula pii loci)

revocarentur, et ibi post breve tempus matrimonium contraherent? Respondeo: Validum esset certe, si iam, nemine reclamante, efformata fuisset consuetudo; sed, meo sensu, valeret etiam quamvis parochi vel Episcopi (in quorum parocciis vel dioecesibus puellae famulantur) plus vel minus reclamarent. Ratio est quia brephotrophium considerari deberet ad instar domicilii paterni, cum praesumptione quod puellae semper intentionem habuissent ad illud redeundi dicta occasione. Et si haec ratio non valeret, tunc (cohaerenter supradictis) valeret alia quod tamquam vagae momentanee (et non in simplici transitu constitutae) considerandae essent. Nihilominus rem istam esse aequaliter dubiam, censuit S. C. Concilii 22 Nov. 1856 (apud Pallottini v. *Dispensatio* § XI. 22-28); et (in hypotesi quod brephotrophium tamquam domicilium paternum considerari non deberet) dubium cresceret si puella statim post contractum matrimonium ad pristinum domicilium praecise (nubendo cum aliquo de heri familia) reditura foret.

441. *Quid si quis recedens a loco subiecto legi Tridentinae, de matrimonio celebrando coram parochi et testibus, se conferret in locum (ab hac lege exemptum (v. g. a Gallia in Angliam), et illuc matrimonium celebraret? Resp.* Certe valeret si illud contraheret cum persona illius loci. Item certe valeret si redderetur vagus. Item certe valeret si illuc ambo se conferrent simulque domicilium vel quasi-domicilium acquirendi intentionem haberent. Si autem nullum domicilium aut quasi-domicilium illuc acquirerent, tunc distinguendum esset: si enim illuc se conferrent in fraudem (scilicet cum unica vel principali intentione sic matrimonium contrahendi), tunc certe invalide contraherent. Seclusa autem hac fraude, matrimonium probabiliter erit validum, quia ex una parte peregrini legibus patriae non tenentur, et quoad contractus (cuiusmodi est matrimonium) sortirentur forum loci ubi contrahunt, atque (ut dicit aphorismus) *locus regit actum*; et ex alia parte nihil clari in contrarium adest. Vide *Praxim* (Vol. IV. n. 894).

442. *Quid e contra de illis, qui venientes ex loco a dicta lege exempto, vellent contrahere matrimonium ubi lex ipsa viget? Hi certissime debent contrahere coram parochi et testibus. Et idem dic de haereticis, quamvis eorum matrimonium in patria, etiam sine parochi validum foret (l. c. n. 895).*

## ARTICULUS IV.

*De delegatione ad assistendum matrimonio.*

443. *Quum parochus, et a fortiori Episcopus, possit delegare alium ad assistendum matrimonio, quid notandum circa hanc delegationem ut sit valida? Pro praxi sufficit notare sequentia.*

I. Oportet ut delegatus sit sacerdos, quamvis a parochi non adhuc sacerdote (ut dixi) delegari posset.

II. Non sufficit delegatio praesumpta, aut quod parochus dixerit se esse delegaturum. Sufficeret tamen delegatio *tacita* (parochi scilicet vidente et non contradicente, si tamen facile contradicere posset), atque etiam *implicita* (ut puta, si daretur officium in quo assistentia quoque matrimonii includeretur).

III. Delegatio potest esse 1° *Specialissima*, scilicet ad assistendum tali vel tali matrimonio particulari. 2° *Specialis*, nempe ad assistendum matrimoniis in genere, nisi forte aliqua ad libitum parochi exciperentur. 3° *Generalis*, et haec dicitur etiam *ad universitatem causarum*, et contingit quando parochus (vel Episcopus) delegat sacerdotem ad exercenda in parocia omnia officia parochialia, unde tunc ille esset tamquam parochus, seu (ut aiunt) ut alter ego.

IV. Delegati ad universitatem causarum sunt alicubi omnes vicarii parochiales, quia sic (saltem pro valido) ab Episcopo mittuntur (Cf. Génicot II. 71 et Gasparri II. 910 d). Sed generatim (et certe apud nos) non est ita. Ipsi sunt adiutores parochi, sed solum quando parochus ipse illorum auxilium exigit. Hinc quoad matrimonia nullam habent facultatem, nisi ab illo delegationem accipiant. Hoc tamen non vetat quominus haec delegatio possit esse implicita, imo etiam resolvi in delegationem ad universitatem causarum, ut puta, si parochus sive discedens sive infirmus vicario suo diceret: *Facies quidquid erit faciendum*;

vel: *Do tibi omnes facultates*. Sed quid si parochus discessisset et nihil dixisset? Videri posset non deesse delegationem tunc quoque implicitam et contentam in ipso facto relinquendi illum vice sua; idque contingere videretur 1<sup>o</sup> etiam pro omnibus matrimoniis, si absentia parochi futura esset valde diuturna; 2<sup>o</sup> pro matrimonio particulari, si illud (sciente parochi) brevi esset contrahendum. Sed ad cautelam consulendus esset Episcopus. (Gasparri *l. c. a*).

V. Delegatio extenderetur ad matrimonia clandestina? Videndum an delegatio fuerit simplex, an vero ad universitatem causarum. Delegatio simplex respicit matrimonium contrahendum ritu consueto, nec est cur parochus debeat esse sollicitus de commo isto clandestine contrahere volentibus procurando. E contra delegatio ad universitatem causarum extendi videtur etiam ad matrimonium clandestinum. Ecclesia enim vult ut ad illud extendatur facultas nedum parochorum sed etiam aliorum qui parochis aequiparantur, inter quos praeter oeconomos spirituales, coadiutores, et curatos (Cf. *n. 1*), illi etiam qui ad universitatem causarum delegantur, recenseri debent; qua de re vide Gasparri (*n. 910. 3. d*).

VI. Conditiones, quae forte a parochi in delegatione appositae fuissent, utique servari debent; sed notandum quod non semper tamquam vera conditio sine qua non et pro valido, sed saepe tamquam monita et instructiones circa licitum vel convenientem agendi modum, apponuntur; prout supra (*n. 358*) declaravi. Interdum res erit dubia, et tunc ante factum pro invaliditate, et post factum pro validitate, standum erit. Certe in locis ubi lex civilis gravissimas poenas infligit si matrimonium ecclesiasticum ante civile celebretur, invalide assisteret delegatus si parochus dixisset: *Do licentiam, praemisso matrimonio civili*. Aliud vero esset si dixisset: *Praemissis publicationibus vel praevia inquisitione et examine de statu libero*, saltem si aliqua tantummodo publicatio (v. g. ex oblivione) ommissa fuisset (Cf. Gasparri *n. 948*).

VII. Delegatus ad universitatem causarum potest alios subdelegare quoad casus particulares. Secus est de delegato pro solis matrimoniis aut (a fortiori) pro solo casu particulari. Excipe nisi facultas tunc quoque subdelegandi ei expresse data fuisset. Sanchez (*III. xxxi. 6*).

444. *Circa illos, qui quasi-domicilium habent quidem in dioecesi, sed non in ulla dioecesis ipsius parocia, et in dioecesi semper circumvagantur, possetne Episcopus delegare aliquem, ut illorum matrimonio assistat?* Supponendo quod domicilium extra dioecesim haberent, et proinde non essent vagi, respondendum est negative; Tridentinum enim considerat casum in quo quis, saltem ratione quasi-domicilii, sit parochianus; non vero casum in quo quis eadem ratione sit dioecesanus. Ita S. C. C. 19 Nov. 1898 (Cf. *Praxis Vol. IV n. 896. XII*).

445. *Delegatio alterius essetne semper licita?* Negat Benedictus XIV (Encycl. *Nimiam*) et censet, parochum assistere debere personaliter, nisi gravi de causa vere foret impeditus; sed apud nos consuetudo est contraria; quae tolerabilis videtur, nisi parochus divites omnes sibi retineret; pauperes vero omnes vicario relinqueret; sic enim pauperum contemptorem (et fortasse etiam lucri cupidum) sese ostenderet.

## ARTICULUS V.

### *De testibus pro matrimonio requisitis.*

446. *Oportetne ut ipsi sint masculi? puberes? bonae famae? vocati ad hoc? Extranei familiae sponsorum?* Negative.

447. *Quid ergo exigitur?* 1<sup>o</sup> Ut habeant usum rationis. 2<sup>o</sup> Ut advertant et testificari possint de matrimonio ecclesiastico. 3<sup>o</sup> Ut una simul cum parochi, non vero prius vel postea, sponsorum consensum intelligant.

448. *Quid igitur si parochus vel testes physice dumtaxat et materialiter matrimonio assisterent?* Invalide assisterent. Assistentia contingere debet humano modo et cum vera rei gestae cognitione. S. C. C. apud Pallotini (v. *Matrimonium § XV n. 369*).

## ARTICULUS VI.

*De tempore in quo matrimonium celebrari potest.*

449. *Facta ultima publicatione, potestne parochus statim matrimonio assistere?* Negative; sed solum (seclusa licentia Episcopi) die sequenti. S. Carol. (*C. Provinc. 5*). Insuper, si sponsus esset diversae paroeciae (vel dioecesis), admitti non posset, nisi deferret fidem sui parochi (ab eius curia episcopali recognitam) de denunciationibus peractis, quin ullum detectum fuerit impedimentum. Rituale (*Formulae circa fin.*).

450. *Tempore vetito (scilicet Adventus et Quadragesimae) prohibeturne solum benedictio nuptialis, et Missa pro sponso et sponsa, necnon sollemnis sponsae ad domum sponsi traductio; an vero prohibetur etiam simplex matrimonii celebratio?* Benedictio nuptialis et Missa pro sponso et sponsa (vel commemoratio de eadem in Missa occurrenti) necnon sollemnis sponsae traductio ita interdicitur, ut Episcopus dispensare nequeat. Simplex autem matrimonii celebratio permittitur; attamen solum iustis de causis ab Episcopo approbandis. Ita S. R. C. *Decr. gen. n. 3922 VI. (30 Iun. 1896)*, et *Decr. 3079*.

451. *Quaenam essent causae huiusmodi?* 1° Urgente necessitate matrimonium celebrandi in periculo mortis. 2° Ad obtruncandum concubinatum vel meretricium, propitiâ hic et nunc se offerente occasione, et maxime si concubinari in loco legitimi coniuges crederentur. 3° Si, differendo matrimonium, periculum adesset ne iniuste impediretur. 4° Si sponsa advertisset se esse ex sponso gravidam, ut scilicet infamia et scandalum evitaretur. 5° Denique generatim si ex dilatione matrimonii aliquod satis grave detrimentum sive spirituale sive temporale oriturum esset. Baruffaldi (*Tit. XLI. 198*).

## ARTICULUS VII.

*De loco ubi matrimonium celebrari potest.*

452. Benedictio nuptialis certe dari nequit, nisi in Ecclesia. Si autem matrimonium sine benedictione nuptiali celebrandum esset, tunc ius commune equidem non praecipit, sed valde suadet, ut in Ecclesia celebretur. Cf. Ferraris (v. *Matrim. II. n. 57*) et Baruffaldi (*XLI 169*).

## ARTICULUS VIII.

*De sacramentali sponsorum confessione.*

453. *Circa confessionem sponsorum, qui eo ipso die sunt matrimonium contracturi, quid notandum?*

I. Si sponsus de peccatis carnalibus cum sponsa commissis se accuset, expedire potest ut confessarius licentiam petat utendi tali notitia pro confessione sponsae, si forte ista huiusmodi peccata non esset accusatura; quam tamen non acceptabit si non libenter ei concedatur. Quamvis confessarius hanc licentiam non petivisset vel non obtinisset, si sponsa de dictis peccatis verba non faceret, posset nihilominus illam interrogare, utrum cum sponso contra sextum deliquisset, quandoquidem, ut ait S. Lig. (*VI. n. 631*), « in sponsis commune est prolabi in tactus « inhonestos val saltem in pravas cogitationes ». Si sponsa dicat se nihil huiusmodi commisisse, non erit insistendum (propter sigillum), sed supponi debet, apud alium talia peccata accusasse, quamvis forte dixisset, se, v. g. ab uno vel altero mense non fuisse confessam; hoc enim facile est mendacium, et forsâ die praecedenti confessionem fecit. Sed quid si sponsus dixisset, peccata ea ipsa nocte commissâ fuisse, vel quovis modo confessarius reticentiam intervenire adverteret? S. Lig. (*l. c.*) dicit quod confessarius « eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid « oret ad occultandam negationem absolutionis ». Alii e

contra (vide Lugo *De Poen.* XXII. xxii. et Gury II. 619) dicunt, absolutionem sub conditione concedi posse; idque mihi quoque probabile videtur, maxime si sponsa aliquod aliud peccatum mortale confessa fuisset, quia contingere potest quod ipsa ex ignorantia credat sufficere si in posterum apud alium confessarium illa peccata accuset, atque interim excusari a tali confessione propter timorem non obtinendi absolutionem, qua in tali circumstantia adeo indiget. Insuper contingere potest quod sponsus quidem malâ, sed sponsa bonâ fide praedicta commiserit; interdum enim quaedam puellae simpliciores credunt non peccare in huiusmodi, speciatim quando cum solo sponso (et iam inceptis publicationibus) ita se gerant, maxime vero si de solis tactibus ageretur.

II. Ex quovis capite confessarius dubitet de sponsorum dispositione, curare quidem debet ut melius disponantur; sed, remanente dubio, debet nihilominus eos sub conditione absolvere (Cf. *De Recidivis n. 167*); imo si poenitens haberet aliquod peccatum, quod, si de eo in particulari recogitaret, de illo evitando propositum non esset concepturus, studiose curandum foret ut ad illud non reflecteret, atque dolorem et propositum in genere conciperet, iuxta explicationem datam *De Recidivis (n. 114)*.

III. Confessarius, etiam interrogatus, valde caute procedat in instruendis novis sponsis circa debitum matrimoniale. Ad summum (interrogatus, aut speciali subsistente ratione) verbis generalibus dicere poterit: 1° In matrimonio licere ea quae ad proles propagationem diriguntur, et in his uxorem obedire debere marito; interdicti vero turpitudines quae ad prolem propagandam non deservirent, et in his uxorem marito obedire non debere, quandoquidem Dei maledictio incurreretur. 2° Si circa aliquid dubia subortura erunt, confessarium esse tunc interrogandum. 3° Denique bonum esse consilium ut coniuges in vigiliis, solemnitatibus, et quando ad SS. Communionem accedere debent, casti maneant.

## ARTICULUS IX.

*De ritu in matrimonii celebratione servando.*

Praetermitto notissima, quae tamen a nupero parochis attente legi debent in rituali; et hic nonnulla tantummodo noto.

454. *Benedictio nuptialis in quo consistit?* Consistit in orationibus *Propitiare, Domine etc. Deus, qui etc.* necnon *Deus Abraham etc.*, quae sunt in Missa votiva *pro sponso et sponsa*.

455. *Estne de praecepto?* Non est de praecepto, sed ad illam recipiendam coniuges sunt adhortandi. *Decr. gen. 30 Iun. 1896 VI. (n. 3922)*.

456. *Benedictio nuptialis potestne unquam dari extra Missam?* Negative (*Decr. cit.*); sed dari debet in dicta Missa pro sponso et sponsa, quando permittitur; quando autem illa non permittitur, in Missa de die currenti, cum relativa commemoratione, dari debet. Missale.

457. *Missa pro sponso et sponsa quomodo celebranda?* Sine *Gloria*, sine *credo*, cum *Benedicamus Domino*, cum secunda et tertia oratione diei currentis et cum Evangelio consueto S. Ioannis in fine, non vero feriae (*Decr. cit.*). Color albus. Si pro pluribus sponsis unica dicitur Missa, nihil immutari debet. Del Vecchio (*II. 1023 not 1*).

458. *Missa pro sponso et sponsa quando non permittitur?* Praeter tempus pro nuptiis vetitum, non permittitur: 1° In diebus dominicis aliisque festis de praecepto. 2° In duplicibus classicis, quamvis non essent festa de praecepto (v. g. in festis suppressis). 3° In diebus duplicia excludentibus, nempe infra octavas privilegiatas Epiphaniae, Pentecostes, et SS. mi Corporis Christi, et in Vigilia Pentecostes (*Decr. cit.*). 4° In diebus Rogationum, si unica adsit Missa et fiat processio (quia tunc Missa Rogationum omitti nequit ex *Decr. 2740 ad 9*). 5° Si mulier sit vidua et benedictionem nuptialem alia vice receperit (*Decr. cit. 3922*).

459. *Benedictio nuptialis potestne dari semper?* Potest dari etiam in festis primae classis. Excipitur solum 1° tempus pro nuptiis vetitum; 2° dictus casus viduae, in quo, si dicatur Missa de die currenti, nequidem commemoratio pro sponso et sponsa fieri potest (*Decr. cit.*).

460. *In Missa tenenturne sponsi communicare?* Loquendo de vero praecepto, negative (*Decr. cit.*).

461. *Debetne sponsis dari pax? Et quomodo?* Pax eis dari debet si adsit consuetudo, sed cum respectivo instrumento, non vero cum patena (*Decr. 10 Ian. 1852*).

462. *Quum ad celebrandum matrimonium parochus superpelliceum et stolam induere debeat, quaeritur utrum pro superpelliceo uti valeat alba cum stola ante pectus transversa, quando immediate post celebrationem matrimonii, Missam pro sponso et sponsa celebraturus sit?* S. R. C. (*Decr. 3158*) respondit: « Si immediate sequitur Missa, sacerdos praeter albam et stolam induere debet etiam planetam. Atque ita rescripsit, et servari mandavit ».

#### ARTICULUS X.

*Solvuntur nonnulla quaesita.*

463. *Quid si matrimonium celebraretur per procuratorem?* Habita Episcopi licentia: 1° Parochus inspicere debet an procurator habeat revera speciale et legitimum mandatum. 2° Advertendum quod procurator alium sibi substituere nequit, nisi hoc in mandato fuerit expressum. 3° Procurator coram sponsa et testibus prius exprimere debet apertis verbis, se agere nomine non proprio sed mandantis.

464. *Tenenturne parochus nedum legere sed etiam applicare Missam pro sponsis?* « Sacerdos non tenetur Missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam recipiat ». Ita S. C. S. O. (*1 Sept. 1841*) apud

*Monitore eccles. (III. III. pag. 62)*. Parochus itaque eleemosynam non recepturus, etsi legat Missam *pro sponso et sponsa*, illam pro aliis applicare poterit.

465. *Quid de eleemosyna, quae post matrimonii celebrationem dari solet a sponsis, quin aliquid expriment? Estne pro applicatione Missae? Et cui debetur?* Si matrimonium sine Missa celebratum fuerit, tunc eleemosyna dari censetur pro matrimonio, et non pro Missa. Si vero Missa celebrata fuerit; tunc partim pro matrimonio, et partim pro Missae applicatione dari praesumitur. Si plura matrimonia eodem tempore, unica subsecuta Missa, celebrata fuerint; tunc eleemosynae a singulis receptae illam unicum Missam respicere videntur; ita ut scilicet parochus ad alias Missas sequentibus diebus applicandas teneri non videatur. Si autem non parochus sed alius sacerdos de eius licentia matrimonium benedixisset et Missam celebrasset, tunc, excepta parte quae ad applicationem Missae refertur, reliquum spectaret ad parochum. Ita Baruffaldi (*XLI. n. 160*), et clarius S. Congreg. Concilii *25 Jul. 1874* (apud *Acta Vol. VIII. pag. 65-74*). Pars autem quae ad applicationem Missae refertur, ordinarie determinari poterit iuxta taxam synodalem. Dico *ordinarie*; si enim sponsi divites essent et eleemosynam valde pinguem obtulissent, tunc praesumendum foret quod pro Missa aliquid ultra dictam taxam dare intendissent. Si parochus nesciret an sponsi eleemosynam daturi essent; tunc intentionem conditionatam efformare posset. Sed quid si sponsi darent eleemosynam valde exiguam, quae scilicet communi Missae stipendio circiter corresponderet? Non desunt parochi qui existimant eleemosynam tunc dari intuitu solius matrimonii, et Missae celebrationis, non vero applicationis, quam sponsi in tali casu praetendere non censentur. Huic opinioni sensus communis et vera intentio parochianorum apud nos obstare videtur; et notandum quod sponsi praeter eleemosynam pecuniariam, nonnulla alia munuscula parochi offerre solent; unde nihil vetat quominus, stipen-

dium ordinarium offerendo (dum, propter paupertatem, nihil amplius dare possunt), illud ad Missae applicationem referant.

466. *Dantur casus, in quibus parochus matrimonio etiam certe invalido assistere possit?* Affirmative; scilicet 1º Si solum sub sigillo confessionis talem invaliditatem cognosceret. 2º Si impedimentum delatum fuisset ad Episcopum, sed (eo quod iuridice probari non potuerit) Episcopus ipse assistentiam parochi demandasset; nec dispensatio pro foro interno obtineri posset. 3º Si ex una parte impedimentum esset ex causa turpi et occultum, et ex alia sponsi publice peterent, simulque casus esset ita strictus, ut sine gravissimorum malorum provocatione neque prius Episcopo impedimentum denuntiari, neque matrimonii assistentia declinari posset. Cf. Sanchez (*De Matr. III. xv. 8. 11*) et S. Lig. (*VI. 54*),

## CAPUT XVI.

### De praestandis a parochi postquam matrimonium celebratum fuit.

Agendum est 1. De inscriptione matrimonii in libro parochiali; de benedictione nuptiali interdum supplenda, et de benedictione post partum. 2. De matrimonio convalidando si forte invalide celebratum fuisset. 3. De nonnullis observandis circa coniugum obligationes, et circa divortium.

#### ARTICULUS I.

*De matrimoniis in libro parochiali inscribendis; de benedictione nuptiali interdum supplenda, et de benedictione post partum.*

467. *Quid de matrimoniis in libro parochiali inscribendis?* Rituale dicit. « Peractis omnibus, parochus manu propria describat in libro matrimoniorum nomina coniugum et testium et alia iuxta formulam praescriptam:

« idque licet alius sacerdos, vel a se vel ab Ordinario delegatus, matrimonium celebraverit ». Descriptio ista fieri debet statim. Explicandum an denunciations peractae, an vero de licentia Episcopi in toto vel in parte omissae fuerint. Item an nullum an vero aliquod detectum fuerit impedimentum. Item, in casu impedimenti publici, quomodo dispensatio obtenta et applicata fuerit.

468. *Quid de benedictione nuptiali interdum supplenda?* Illam, si in celebratione matrimonii sponsi non recepissent, recipere possunt postea; nec obstaret si matrimonium ipsum iam consummassent et longum tempus iam elapsum fuisset. Oporteret tamen semper ut infra Missae celebrationem et extra tempus vetitum illam recipere. Decr. S. O. 31 Aug. 1881.

469. *Quid notandum circa benedictionem mulieris post partum?*

I. S. C. C. (18 Jun. 1859) decrevit: « Ad benedictionem post partum ius tantummodo habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt ». Caeterum rationes et auctoritates gravissimae (ut videre est apud Acta S. Sedis Vol. I. pag. 348) suadent, non solum quod mulieres, quae ex delicto pepererunt, non habeant ius ad benedictionem istam, sed etiam quod (si notorie deliquerint et multo magis si perseverent in peccato) eadem omnino privari debeant.

II. Si proles mortua fuisset sine baptismo, non ideo denegari posset benedictio. S. R. C. 19 Maii 1896 (apud *Monitore IX. ix. 93*).

III. Parochus pro hac benedictione expetitus ad illam dandam tenetur; rectores autem aliarum Ecclesiarum illam dare non tenerentur sed possent. S. R. C. 19 Jun. 1893 (*l. c. n. 74*).

## ARTICULUS II.

*De matrimonio convalidando.*

470. *Quid si, matrimonio iam celebrato, parochus (vel confessarius) animadverteret illud esse invalidum?* In aliquo casu raro procurandum ut putativi coniuges separentur et per sententiam iudicis statum liberum obtineant; sed saepius vel relinquendi sunt in bona fide, vel ad matrimonii revalidationem procedere oportet. Confessarius considerabit praecipue an sint in bona vel mala fide; an matrimonium revalidari possit vel non possit; an a brevi vel longo tempore matrimonium contraxerint; an prolem habeant vel non habeant; an vivant in pace vel non; an de re occulta vel notoria agatur; et ex his aliisque circumstantiis cognosci poterit, quid sit agendum.

471. *Quibus in casibus potest habere locum revalidatio?* 1° Si possit obtineri dispensatio. 2° Si impedimentum, quod aderat ab initio, postea ex sese cessaverit. 3° Si matrimonium fuisset invalidum ex defectu consensus. 4° Si fuisset invalidum ex non servata forma Tridentini quoad parochum et testes.

472. *Quotuplici modo potest convalidari seu sanari matrimonium?* Resp. 1° Modo ordinario (renovando consensum certiorata parte). 2° In radice, atque adeo parte minime certiorata, et consensu (saltem ab utroque coniuge) minime renovato: eo quod scilicet absque magnis incommodis et periculis pars ipsa de nullitate certiorari nequeat. Sed de hac sanatione in radice iam supra (n. 420) actum est.

473. *Casu quo matrimonium debeat revalidari propter detectum occultum impedimentum, quid notandum circa petitionem dispensationis?* In supplici libello (qui, tacitis oratorum nominibus, ad Card. Poenitentiarium Maiorem dirigitur) exprimere oportet an matrimonium contractum fuerit bona fide, an vero cum notitia impedi-

mènti ex parte unius vel utriusque; item an praemissis denuntiationibus et coram parochio fuerit celebratum; an matrimonium ipsum initum fuerit sub spe facilius dispensationem obtinendi; demum an fuerit consummatum, idque an bona vel mala fide. Haec omnia sub poena nullitatis semper exprimenda sunt. Alia quoque exprimi deberent sicut quando ante celebrationem matrimonii dispensatio petitur, ut suo loco (n. 351) explicatum est. Quando tamen (iuxta praesentem hypothesim) agitur de matrimonio iam contracto, causa specialis non exigitur, sed sufficiunt incommoda quae ex matrimonii dissolutione sequerentur, maxime si matrimonium bona fide contractum fuerit.

474. *Quid notandum circa executionem dispensationis modo ordinario petita?* Rescriptum S. Poenitentiariae, praeter clausulas iam supra (n. 359 et seq.) enuntiatas, solet dicere: *Inter se de novo secrete renovato mutuo consensus*; et, si impedimentum uni dumtaxat parti notum sit (prout accidere solet in affinitate ex copula illicita), tunc dicit: *Certiorata parte de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut delictum* (quod fuit causa affinitatis) *nusquam detegatur, renovato consensu* etc. Haec clausula intelligenda est pro valido, si absque periculo applicari possit, si nempe coniuges sincero amore adhuc se diligant, unde de divortio timendum non sit (quod non facile a parte foeminae timeri debet); et si (in casu affinitatis) subsit modus certiorandi partem absque revelatione delicti.

475. *Quomodo practice procurari poterit renovatio consensus absque revelatione delicti?* Theologi varios modos indicant, nempe 1° *Dixit mihi confessarius, nostrum matrimonium esse nullum, et oportere ut renovemus consensum*. 2° *Quando nupsi non habui verum consensum; nunc praestare volo; vis et tu praestare?* 3° *Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum*. Hi modi admittuntur a S. Lig. (n. 1117). Practice tamen difficultates saepe aderunt; si enim mulier dicat se non consensisse, vir forsitan aut id tamquam ludi-



crum habebit, aut dicere poterit: Ergone fictus fuit amor quem mihi tot annis ostendisti? Si dicat: Dixit mihi confessarius etc.; vel: Angor scrupulis etc., vir causam rescire volet, aut uxoris dieteria spernet.

476. *Quid itaque si hi modi (inspectis circumstantiis) adhiberi non possent, vel adhibiti sprete fuissent? Pro casu isto valere possunt sequentia.*

I. Certioratio partis et renovatio consensus non exiguntur iure naturae (dummodo consensus reapse perseveret); secus enim quomodo valere possent sanationes *in radice*, quae speciatim his temporibus non raro conceduntur?

II. Quamvis clausula *certiorata parte* intelligi deberet pro valido, tamen, si redditio debiti coniugalis evitari nequiret aut alia gravia mala timerentur, credendum est quod Ecclesia eiusdem clausulae applicationem (quae tunc esset in destructionem) non exigat, et quod proinde, etiam parte non certiorata, et mutuo consensu non explicite sed solum implicite (per copulam coniugalem) renovato, dispensatio valeat. Ita cum pluribus aliis sensit S. Lig. (n. 1117) inquit: « In hoc casu necessitatis censetur S. Sedss  
« relaxare praefatam conditionem providendo meliori modo  
« quo potest bono animarum, quum talis conditio tunc sit  
« moraliter impossibilis executionis ».

III. Hodie S. Poenitentiarum addere solet quod si pars certiorari nequeat absque periculo (sive infamiae sive divortii etc.), consensus renovetur iuxta regulas a probatis auctoribus traditas. Sed inter regulas istas, maxime notandum quod adest etiam illa, quae dicit sufficere copulam coniugalem affectu coniugali habitam; quod equidem sanationi *in radice* fere aequivalet.

IV. Si pars certiorari nequeat, in petitione dispensationis id exprimi debet, ut S. Poenitentiarum vel dispensationem *in radice* vel utcumque provisionem casui accommodatam concedat.

477. *Ad revalidanda matrimonia, estne semper necessarium recurrere ad S. Sedem; an vero facultates*

*aliquas Episcopi habere solent?* Episcopi habere solent facultatem (subdelegabilem) revalidandi matrimonia nulliter contracta 1<sup>o</sup> Propter impedimentum occultum criminis, dummodo, machinatio contra vitam coniugis defuncti locum non habuerit. 2<sup>o</sup> Propter impedimentum occultum affinitatis ex copula illicita (etiam in primo gradu) dummodo non agatur de copula habita cum matre sponsae ante huius nativitatem (propter periculum ne sponsa sit eius filia). Attamen in utroque casu secreta renovatio consensus exigitur, et confessio mensilis per tempus dispensantis arbitrio statuendum imponi debet. In secundo casu autem exigitur insuper remotio occasionis, atque ut pars certioraretur de nullitate prioris consensus, sed caute; et (pro hoc etiam casu) additur: « Quatenus haec certioratio absque gravi  
« periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas  
« a probatis auctoribus traditas ».

478. *Quid si parochus (vel confessarius) consuetas haberet S. Poenitentiarum facultates?* Tunc ad Episcopum recurrere non oporteret; sed ille ipse in duobus casibus supra recensitis dispensare posset.

479. *Quid si impedimentum, matrimonio iam celebrato detectum, esset publicum?*

I. Tunc dispensatio ope curiae episcopalis a Dataria, vel, quoad pauperes, a Poenitentiarum (pro foro externo) petitur.

II. Executio dispensationis committi solet Ordinario, et renovatio consensus coram parochus et testibus (sive publice sive privatim) necessaria est.

III. Notandum quod si impedimentum sit natura sua publicum sed de facto occultum (prout interdum contingit in gradibus remotioribus consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita); tunc Poenitentiarum hodie concedere solet facultatem revalidandi huiusmodi matrimonia non iam ope confessarii et renovatione consensus secreta absque parochus; sed ope parochi ipsius, qui putatorum coniugum sacramentalem confessionem prius audire, atque ab impedimento

dispensare prolemque legitimam declarare; et postea eorum consensum cum duobus testibus secretum servantibus (sine benedictione nuptiali; Scavini *III. 826*) recipere debet. Denique parochus ipse in libro matrimoniorum secretorum Litteras Apostolicas, et executae dispensationis nec non matrimonii rite celebrati fidem, ponere debet.

480. *Quid de revalidatione matrimonii casu quo impedimentum a seipso cessasset, et proinde dispensatione opus non esset?*

I. Casus contingere posset in impedimento aetatis (iam adventa pubertate), ligaminis (subsecuta morte prioris coniugis), disparitatis cultus (suscepto postea baptismo), raptus (data libertate), impotentiae (illa, v. g. per operationem chirurgicam mortis periculosam, evanescente).

II. Si factum esset publicum, oporteret renovare consensum coram parochi et testibus; si vero esset occultum, consensum ipsum occulte renovare sufficeret.

481. *Quid de revalidatione matrimonii quod contractum fuisset (coram parochi et testibus) invalide ex defectu consensus?*

I. Casus contingit si matrimonium contractum fuisset ex metu, vel ex errore substantiali, vel cum conditione non verificata, vel cum conditione contraria substantiae matrimonii, vel fide et iudicio.

II. Tunc (uti patet) nulla exigitur dispensatio. Oportet solum renovare consensum; sed quomodo? Respondendum est ut supra; nempe si casus esset publicus seu notorius, iterum adhiberi deberent parochus et testes. Si vero esset occultus, tunc sufficeret consensum renovare privatim, a parte utriusque si defectus fuisset in utroque, et a parte unius si unus tantummodo sine vero consensu contraxisset: dummodo alter illum positive non revocasset (quod practice vix unquam contingere solet).

482. *Quid de revalidatione matrimonii, quod contractum fuisset invalide ex defectu formae Tridentinae?* Casus contingeret si in ipsa forma Tridentina (quae adhi-

beri intendebatur) defectus substantialis intervenisset; et tunc si putativi coniuges parati essent remedium apponere, adhibendo formam Tridentinam legitimo modo, nulla exigeretur dispensatio et matrimonium coram parochi et testibus contrahi deberet sive publice sive occulte, secundum quod publicus vel occultus defectus fuisset.

Alter casus contingeret si matrimonium mere civiliter contractum fuisset, sed de re ista iam sufficienter egi supra (n. 421).

### ARTICULUS III.

*De nonnullis observandis circa coniugum obligationes et circa divortium.*

483. *Quaenam obligationes ex matrimonio oriuntur?*

1° Redditio debiti coniugalis, naturae leges semper servando: 2° Fidelitas integra. 3° Amor reciprocus et cohabitatio. 4° Alimentatio et educatio prolis.

484. *Quotuplex est divortium?* Duplex 1° quoad vinculum; 2° quoad torum et cohabitationem.

485. *Potestne solvi matrimonium quoad vinculum?*

Negative, nisi in duobus casibus; scilicet 1° solvi potest matrimonium (etiam consummatum) infidelium, si pars una convertatur ad fidem (quibusdam tamen concurrentibus adiunctis). 2° Solvi potest matrimonium christianorum, dummodo sit ratum dumtaxat et non consummatum. Solvitur autem: 1° per professionem religiosam alterutrius; et datur bimestre ad deliberandum; 2° per dispensationem pontificiam; quae obtineri potest dummodo certum moraliter sit quod consummatio non interfuerit, et motiva magni momenti subsistant. Haec motiva fere reducuntur ad ineluctabilem animi aversionem (cum periculis exinde ordinarie promanantibus, maxime si sponsi sint iuvenes Cf. Acta *XXI. 521*), et a fortiori si de validitate prioris matrimonii esset dubitandum, aut si postea matrimonium civile cum alia persona contractum fuerit.

486. *Quid de divortio solum quoad torum et cohabitationem?* Causae legitimae huius divortii sunt 1<sup>o</sup> mutuus consensus, secluso periculo scandali et incontinentiae; 2<sup>o</sup> adulterium alterius coniugis; 3<sup>o</sup> magnae saevitiae. Regulariter divortium est dissuadendum; et, si coniux ad illud omnino devenire velit, iudicis sententia ordinarie exigitur. Dantur tamen casus in quibus privata quoque auctoritate (maxime si periculum sit in mora, aut si factum apud iudicem probari non valeat) divortium licitum esse potest. Cf. Lehmkuhl (II. 710).

## CAPUT XVII.

### De parochi quoad assistentiam moribundis praestandam.

Agendum est 1. De huius assistentiae obligatione. 2. De quibusdam advertentiis circa modum illam praestandi, et de scopulis magis exitalibus evitandis. 3. De testamento. 4. De moribundo non turbando, sed spiritualiter adiuvando. 5. De benedictione in articulo mortis. 6. De animae commendatione.

#### ARTICULUS I.

##### De assistentiae obligatione.

487. *Iam egimus (Cap. X.) de primis infirmorum visitationibus, de eorundem confessione excipienda, de Viatico, et de Extrema Unctione. Nunc quaeritur utrum assistentia moribundorum, etiam postquam Sacramenta omnia administrata fuerint, sit de praecepto?* Affirmative. Patet ex rituali dicente *frequenter visitabit*; et ex scandalo quod parochus praeberet, si, datis sacramentis, ad moribundos amplius accedere nollet; multo magis quia infirmus necessitatem iterum confessionem faciendi habere posset. Attamen in quibusdam vastissimis parocciis (maxime ruralibus) huiusmodi assistentia (deficientibus sacerdotibus) impossibilis est.

488. *Haec obligatio (per se loquendo) urgetne sub gravi?* Utique; agitur enim de re valde momentosa. Non tamen quaelibet negligentia mortale peccatum constitueret: sed solum in tribus casibus, scilicet: 1<sup>o</sup> Si parochus, administratis sacramentis, ex firma consuetudine semper infirmos desereret. 2<sup>o</sup> Si moribundus esset fragilis, aut valde tentatus, et multo magis si confessionem adhuc facere non potuisset aut noluisset. 3<sup>o</sup> Si infirmus valde turbaretur, eo quod parochus discrete vocatus adventire nollet, aut magnam illius incuriam ostenderet.

#### ARTICULUS II.

*De modo assistentiam moribundis praestandi et de scopulis magis exitalibus evitandis.*

489. *Assistentia moribundorum, sicut generatim cura infirmorum, spectatne ad parochum personaliter?* Affirmative; quatenus hoc munus gravissimi momenti non ex toto refundere potest in vicarium. In casibus difficilioribus (si de vicarii peritia non sit fidendum), et quando infirmus praecise illius personam exoptat, personaliter accurrere debet; et de caetero, iuxta alias curas parocciae, propriasque vires, plus vel minus cum vicario ipso aliisque sacerdotibus hoc onus dividere poterit. Rituale dicit: « Si parochus legitime impeditus infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest: id praestandum curabit per alios sacerdotes ».

490. *Quid notandum circa sacerdotem substitutum?* Solertissime cavendum ne, potiusquam moribundum adiuvet, ex mala voluntate aut etiam ex sola ignorantia vel imprudentia, ei noceat, aut familiae scandalo sit.

491. *Quando infirmus petit parochum personaliter, estne aliquid notandum?* Si parochus solitus sit eleemosynas infirmis dare, facile contingit quod ipsi intuitu eleemosynae, non vero propter spirituales necessitates, illum

advocent; et, quatenus in casu de hoc iam certus esset, facile poterit se eximere et per substitutum eleemosynam ad infirmum mittere.

492. *Si, sacramentis administratis, mors adhuc valde distare videatur, vel si ipsa agonia nimis diuturna sit, teneturne parochus toto illo tempore apud infirmam die ac nocte remanere?* Negative; imo praxis ista familiis generatim non placeret, aliis paroeciae necessitatibus noceret, esset in causa quod parochus suos defectus facilius ostenderet et forsitan gravioribus adhuc inconvenientibus (v. g. si in illa domo adessent mulieres iuvenes, et ille quoque iuvenis foret etc.) occasionem praeberet. Adde quod multi infirmi nimio terrore afficiuntur, si videant parochum ab eorum domo nunquam discedere; eiusque praesentiam non libenter ferunt.

493. *Quomodo itaque in praxi se geret parochus?* Interpolatae brevesque visitationes (etiam quia infirmi eorumque familiae amant suam libertatem, qua insuper non raro prorsus indigent) ordinarie sufficere poterunt, rariores aut frequentiores iuxta distantiam, et alias curas; speciatim vero iuxta infirmi desiderium; et maxime iuxta spiritualem illius necessitatem, mortisque propinquitatem. Ruri praestat ut prope noctem huiusmodi infirmi semper visitentur. Si sacerdos in aliqua ex his visitationibus advertat mortem iam imminere, tunc apud moribundum remanere, eiusque animam Deo commendare debet; secus, domum redire poterit.

494. *Quid notandum si sacerdos in domo moribundi longo tempore remanere cogeretur, prout speciatim ruri contingere potest?* Procuret ut familiam verbo et exemplo aedificet; et proinde, v. g. modo cum illa pro moribundo oret; modo ipse breviarium et rosarium devote recitet; modo pueros circa doctrinam christianam interroget; modo exempla aedificantia aut aliquid de vita Sanctorum narret; modo res magis necessarias (puta, sacramentorum frequentiam, verbi Dei auditionem etc.) com-

mendet. Sermones huiusmodi, maxime quoad illos qui paroeciam parum frequentant, magnum fructum producere possunt.

495. *Quinam sunt scopuli magis exitiales in moribundorum assistentia?* Sunt tres: 1<sup>o</sup> Pigritia. 2<sup>o</sup> Libido aut tractus nimis liber. 3<sup>o</sup> Avaritia.

496. *Quomodo sacerdos deficere posset EX PIGRITIA?* Si moribundum desereret etiam quando illum deserere non posset, aut ad eum se non conferret, quando sive die sive nocte ad illum se conferre deberet.

497. *Quomodo deficere posset EX LIBIDINE VEL TRACTU NIMIS LIBERO?* Multipliciter, et speciatim: 1<sup>o</sup> si, dum manet in domo infirmi, libentius et diutius cum foeminis quam cum viris conversaretur; 2<sup>o</sup> si quoad foeminas infirmas sacerdotalem modestiam non custodiret. Hinc, ingrediendo infirmae cubiculum, prius petat an ingredi possit. Adveniente medico, recedat (quod fere semper etiam quod viros servandum est). Recedat etiam si infirmam qualibet de causa detegere oporteret. Si infirma in phrenesi vel ex habituali modestiae defectu se minus honeste detegeret, sacerdos blando modo, et quantum moraliter possibile sit, illam cooperiat. Aliqui addunt, non decere ut sacerdos sudorem ab infirmae fronte abstergat, vel (nisi forte requisitus) eiusdem pulsum tangat; sed, secluso pravo aut minus recto fine, scrupuli circa haec iniiciendi non videntur.

498. *Quid de parochis aut vicariis, qui medici partes agere solent?* Quamvis, pro casibus urgentissimis et dum medicum accersendi tempus non adest, expedire possit ut prompta remedia cognoscant; tamen nullatenus approbari, sed quammaxime vituperari, debent illi sacerdotes, qui erga foeminas medicorum partes agunt. In praedictis autem casibus urgentissimis, si remedii applicatio sacerdotalem modestiam vel minimum offendere posset, indicent familiaribus quomodo se gerere debeant.

499. *Quomodo parochus deficere posset EX AVARITIA?* Si infirmos induceret ad aliquid sibi dandum vel in testa-

mento relinquendum. Ab hoc solertissime caveat sacerdos; imo quidquid etiam sponte sive datum sive relictum ei fuerit, respuat vel haeredibus restituat. Neque a regula ista recedat parochus, quamvis esset pauperrimus, aut quamvis (rarissimis forte exceptionibus factis) peteret non pro se sed pro Ecclesia propria. Secus enim accessus sacerdotum ad moribundos nimis odiosus redderetur, atque a familiis non raro impediretur.

Nihil autem dico de illis, qui ex avaritia continuis parasitationibus (vulgo *scroconerie*) indulgent, aut pro Missis eleemosynas petunt etc.

### ARTICULUS III.

#### *De testamento.*

500. *Oportetne vel expedit ut parochus de testamento cum infirmo verba faciat, vel utcumque in dispositionibus testamentariis se ingerat?* Negative ordinarie: et nequidem si ab aliis (v. g. infirmi parentibus) de hoc rogaretur. Id quoque enim odium pareret, dum ad favendum uni, alii se offensos crederent, et quidem (ut plurimum) gravissime.

Dixi *ordinarie*; sequentes enim adesse possent exceptiones: 1° Si tantummodo in genere daretur consilium conficiendi testamentum tempestive. 2° Si infirmus graves haberet in conscientia obligationes, quae per testamentum adimpleri possent. 3° Si ille esset dives et sine consanguineis indigentibus, eique daretur consilium alicuius legati pii (qua in re notandum quod praeferrí deberent legata in bonum publicum redundantia iuxta maiores temporis et loci necessitates). 4° Si periculum adesset litium vel discordiarum, et proinde de partibus praecise determinandis consilium daretur. 5° Si dispositiones scandalosas aut valde ruinosas facere vellet, et ab illis dissuaderetur. 6° Si ille

ipse consilium peteret, et parochus de secreto confidere posset.

501. *Quum certe expediat ut parochus modum testamentum conficiendi cognoscat, quid de hoc modo?* Testamentum potest esse *iuxta formas civiles*, aut ab illis plus vel minus deficiens, quo casu dicitur *informe*.

502. Iuxta formas civiles potest esse: 1° *Olographum*, nempe manu testatoris ex toto scriptum cum subscriptione atque indicatione diei, mensis et anni. Expedit autem ut duo exemplaria aequalia diversis personis consignentur vel saltem in diversis locis retineantur. 2° *Publicum* nempe expressum viva voce ab infirmo coram notario et quatuor testibus masculis, aetate maioribus, et se subscriptibus. 3° *Clausum*, nempe consignatum notario, praesentibus quatuor testibus, quo casu potest esse scriptum manu aliena, dummodo testator illud subscripserit in unaquaque pagina, aut declaret se illud subscribere quidem non potuisse, sed oculis propriis legisse ex toto. Hinc qui characteres scriptos legere nescit, testamentum clausum facere non potest.

Notandum quod *tempore pestis* aut contagii, loco notarii et quatuor testium, ut supra, sufficiunt sacerdos et duo testes quilibet, dummodo sextum decimum annum compleverint. Exigeretur autem subscriptio sacerdotis ipsius cum indicatione diei, mensis et anni; simulque subscriptio testatoris et testium; quae, si impossibilis esset, id declarari deberet.

503. *Testamentum informe, quod certe non valet civiliter, valetne in conscientia?* Ordinarie nullam obligationem inducit. Dico *ordinarie*; nam 1° valeret si adfuisset promissio, ut puta, si moribundus dixisset haeredi: Promittisne mihi te esse daturum centum scutata N. N. amico meo? Si enim haeres id promisisset, utique tunc haec dispositio nedum ex fidelitate sed etiam ex iustitia servari deberet. 2° Deficiente promissione, distinguere oportet inter causam profanam et piam. Si agatur de causa profana, haeres non

tenetur dispositionem informem adimplere (quamvis probabile sit quod alter clam se compensare posset); sed, si agatur de causa pia, certum est quod haeres in conscientia illam adimplere debet. S. Poenitent. (10 Ian. 1901) dixit: « Praxim huius Tribunalis in similibus casibus esse  
 « ut generatim legata pia, habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae; facile tamen admittuntur  
 « haeredes ad compositionem cum Ecclesia vel piâ causâ  
 « cui legatum est » Apud *Monitore* (Vol. XIII. pag. 350). Vide *Praxim* (Ed. III. Vol. II. n. 1378-1382).

504. *Quid si moribundus restitutiones aut reparationes damnorum exequi deberet?* Iuxta diversos casus provideri poterit absque infamia aliquo ex sequentibus modis.

Modus I. Si damnificatus esset consanguineus, vel amicus, directe in eiusdem favorem legatum fiat.

Modus II. Recurratur ad fiduciam. Moribundus scilicet vocet personam quae plenam fiduciam mereatur, et de re tota iam sit conscia vel informetur, ab eaque sibi promittere faciat esse restitutionem executuram, dum moribundus ipse aut ei *brevi manu* dabit summam necessariam, aut in testamento illam legatariam nominabit.

Modus III. In favorem alicuius Ecclesiae aut loci pii fiat legatum, quod civiliter sustineatur. Modus iste deservit: 1° quando impossibile vel nimis difficile sit invenire damnificatos (v. g. si plurimi a publico venditore paulatim fuissent defraudati); 2° quando moribundus personam plena fiducia dignam nullatenus aut solum cum nimio rubore invenire posset; 3° quando eidem Ecclesiae aut loco pio damna allata fuissent.

505. *Quaenam legata pia (hodie in Italia) civiliter quoque sustinentur?*

I. Legata pia temporanea (etiam directa ad cultum) sunt valida, et nequidem auctorizationem gubernii exigunt, dummodo non respiciant entia civiliter suppressa (cuiusmodi sunt beneficia simplicia, Collegiatae, et Ordines religiosi).

II. Legata pia perpetua, dummodo sint determinata (nec, sicut olim, anima in genere haeres instituatur), et entia conservata (aut operam piam erigendam) respiciant, pariter sustinentur; sed auctorizationem Gubernii exigunt (Cf. *Praxis* Ed. III. Vol. II. n. 1245). Solum contingere potest quod concentrationi subiici, et proinde ad publicam beneficentiae Congregationem devolvi debeant; iuxta legem 17 Jul. 1890; qua de re vide *Monitore* (Vol. VI. n. 126. 165. 189); et in illo indicem generalem primi decenni (Parte civile, v. *Concentramento*).

Expedit autem ut testator impositionem hypothecae nedum permittat, sed praecipiat.

506. *Possetne parochus ipse haereditatem fiduciarium acceptare, aut brevi manu summam accipere?* Utrumque (uti patet) facile potest esse periculosum, et proinde ad minus cautelae exigentur.

507. *Qui piam fiduciam recipit, ad quid tenetur?* Debet certe piam defuncti voluntatem adimplere; et proinde, si erogatio tractum successivum haberet, notam erogationum exacte servare, capitalia in tuto collocare, et absque mora providere ut etiam post mortem (quatenus casus ita ferret) voluntas defuncti ab aliis adimpleatur. Episcopus autem potest et debet exigere ut sibi fiducia explicetur, atque adimplenti ratio reddatur, idque quamvis testator a iure revisionis Episcopum exclusisset. Haec tamen regula sequentes exceptiones haberet: 1. Si ageretur de obligationibus conscientiae, ita ut revelatio infamiam aliquam testatori vel tertiis esset allatura. 2. Si revelatio ipsa (et consequens redditio rationum quotannis) periculum divulgationis ita involveret, et per partem aliorum haeredum lites et molestiae ita essent exoriturae, ut ipsa opera pia a testatore relicta in discrimen et ruinam confici posset. 3. Si ageretur de subsidiis secreto tradendis pauperibus verecundioribus, vel de eleemosynis minutis etc. Posset tamen Episcopus loco documentorum exigere iuramentum. Vide *Examen* (Vol. III. n. 3926 et seq.).

508. *Quid si infirmus, quoad suas obligationes vel legata pia, suorum haeredum fiduciae se remittere vellet?* Ab hac re ordinarie esset dissuadendus, ut plurimum enim haeredes omnia promittunt, et nihil exequuntur. S. Lig. (*Praxis* n. 223).

## ARTICULUS IV.

*De moribundo non turbando sed spiritualiter adiuvando.*

509. *Quomodo curabit parochus ne infirmus tentationibus vel turbationibus subiiciatur?* 1° Aqua lustralis semper praesto esse debet, eaque frequenter infirmus est benedicendus. 2° Si aliqua persona esset ei occasio scandalii, eiusdem remotio caute procuranda foret. Idem dic si amasiae imago in eius cubiculo esset. Prudenter tamen ne peius contingat (forte enim illa nullam amplius impressionem infirmo facit), et melius esset si ante primam parochi visitationem familiares (quasi consilio proprio) persuasum reddiderint aegrotum, quod tales imagines, sacerdote adveniente, removeri debent. Quoad alias tentationes sumi debet regula a circumstantiis. 3° Cavendum ne alii infirmum affligant, turbent, aut sermonibus inanibus (maxime in extremis) distrahant. 4° Cavendum praecipue ne sacerdos ipse illum turbet vel scandalo afficiat. Aliqui sacerdotes facietis cum familiaribus indulgent; idque infirmi valde aegre ferunt. Alii, quando infirmus videtur sensibus destitutus, libere procedunt et dicunt, v. g. *Sumus in fine, ad crastinam diem non perveniet, agi potest de paucis horis, pulsus amplius non percipitur etc.*; vel confabulantur, rident etc. Sed non raro infirmi reapse omnia audiunt, et sic non parum turbari, indignari, aut etiam scandalizari possunt. Interdum ipsa nimis protracta lectio spiritualis magnum taedium afferre atque ad impatientiam provocare posset. Idem dic de strepitu illo inconsultissimo, qui in animae commendatione a fere omnibus adhibetur; si enim moribundus est revera sensibus destitutus, ea vocis elatio ad nihil deservit; et, si intelligit, talis ac tantus strepitus, attenta extrema moribundi ipsius debilitate, non nisi malam impressionem facere, magnumque fastidium ei afferre potest.

510. *Quomodo curabit parochus ut infirmus auxiliis spiritualibus (praeter sacramenta) muniatur?* 1° Identidem (non tamen nimis frequenter) illum adhortetur ad se Deo, B. Virgini, suo Angelo Custodi, suisque Sanctis protectoribus commendandum. 2° Imagines Crucifixi, et B. Virginis in eius conspectu vel prope ipsum ponat, atque identidem osculandas praebet. 3° Pias iaculatorias et praecipue breves actus fidei, spei, charitatis et contritionis ei suggerat. 4° Oret pro illo, et procuret ut etiam adstantes orent vel precibus respondeant. 5° Si sit inscriptus piis sodalitiis, unde expositio SS. Sacramenti ei debeatur, de re ista sollicitus sit. 6° Aliqua brevia exempla Sanctorum optimam impressionem facere solent. 7° Denique curabit ut indulgentias lucretur, et praecipue benedictione apostolica in articulo mortis illum communiat. Sed de hac in articulo sequenti.

## ARTICULUS V.

*De benedictione in articulo mortis.*

511. *Quid notandum circa benedictionem istam?*

I. Pro benedictione ista specialis facultas exigitur.

II. Potest dari etsi mors non adhuc sit imminens, et sufficit si infirmus in periculo mortis versetur. S. C. Ind. 19 Dec. 1885 (apud *Monitore IV. II. 8*).

III. Antequam haec benedictio tribuatur, oportet ut saltem sacramenta Poenitentiae et SS. mi Viatici administrantur, ut patet ex formula concessionis (*Avvisatore An. IV. pag. 208*). Si tamen haec sacramenta sive inculpabiliter sive etiam culpabiliter administrata non fuissent, et tempus et modus illa administrandi amplius non suppeteret, benedictio dari posset (*Decr. auth. n. 237*).

IV. Unica benedictio cum indulgentia plenaria (non vero plures, etsi a diversis sacerdotibus vel ex diverso

titulo, v. g. ratione alicuius confraternitatis) moribundis dari potest, eodem permanente mortis periculo (*Decr. auth. n. 276 et 302*); nec obstat, si benedictione concessa, infirmitas adhuc valde perduraverit (*Decr. 263*); aut si aegrotus in peccato mortali illam recepisset, aut postea relapsus fuisset (*Decr. 257*); indulgentia enim lucratur momento mortis; non vero quando benedictio datur (*Decr. n. 9*).

V. Si aegrotus sit compos sui, tunc ad benedictionis valorem est de essentia, ut ille saltem corde (si ore non possit) IESUS nomen invocet, et Dei voluntati ita se committat, ut mortem quoque (si ita Deo placeat) patienter sufferat in satisfactionem poenarum quas peccando promeruit. Ita ex rituali; ex formula concessionis, et ex Bened. XIV Bulla *Pia mater*.

VI. Haec benedictio ex praecepto (et quidem etiam pueris si sint doli capaces iuxta *Decr. S. R. C. n. 2650 ad 6*) dari debet si facultas habeatur; sin minus adhortandus erit infirmus, ut alias indulgentias consequatur. Rituale. In hunc finem reminisci oportet quod indulgentias adnexas habent, v. g. coronae, crucifixi, vel numismata benedicta in articulo mortis; actus fidei, spei et charitatis; signum crucis; invocatio SS.mi nominis Iesu vel Mariae Virginis; Litaniae lauretanae; oratio *Angele Dei, qui custos es mei etc.*; iaculatoriae *Dolce cuor del mio Gesù etc.*; *Sia lodato e ringraziato ogni momento il SS.mo e divinissimo Sacramento*; *Sia benedetta la santa ed immacolata Concezione della Beatissima Vergine Maria Madre di Dio*; *Gesù, Giuseppe, Maria, vi dono il cuore e l'anima mia*; *Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell'ultima agonia*; *Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con voi l'anima mia.*

## ARTICULUS VI.

*De commendatione animae.*

512. *Quid notandum circa animae commendationem?*

1º Cadit sub praecepto; quatenus orationes *Proficiscere*; *Deus misericors*; *Commendo te*; *Suscipe Domine*; *Commendamus tibi*; *Delicta iuventutis* stricte praescribuntur. Reliqua autem, nempe Evangelium, Passio etc. sunt solum de consilio. Sunt tamen de praecepto verba quae in expiatione dici debent. 2º Superpelliceum et stola violacea exiguntur. Aspersio cum aqua benedicta, osculum Crucifixi, et accensio candela cadunt pariter sub praecepto. 3º Litaniae recitari possunt quamvis agonia non adhuc incoeperit; sed aliae orationes scilicet *Proficiscere* etc. dicendae sunt dumtaxat quando mors iam proxima et imminens esse videatur.

513. *Quomodo cognoscitur, mortem esse vicinam et infirmam propter animae commendationem non esse desiderandam?* Distinguere oportet inter morbum acutum (cum febre), et chronicum (sine febre). In morbis acutis, donec infirmus loquitur, delirat, se agitat, movet pedes vel manus, aperit et claudit oculos etc., ordinarie mors censi potest non absolute proxima; hi enim moribundi tempore notabili (nempe ut plurimum saltem una hora) sensibus destituti ita remanere solent, ut ex sola respiratione pateat eos adhuc esse vivos; et tunc certe moribundus versabitur in extremis, maxime si ne aquam quidem ori admotam sugere possit. In morbis chronicis e contra infirmi remanere solent cum sensibus usque ad mortem. Quoad vitia organica ad cor, nulla regula sumi potest; et fere idem dicendum est de hydropisi, et morientibus ex mera senectute. In phtisi pulmonari habetur signum ex pulsu vix sensibili, respiratione intermittente et amissione luminis oculorum. Quando fedris typhoidaea non coniungitur cum delirio et



tribus vel quatuor hebdomadibus durat, tunc contingere potest quod infirmus lenta consumptione et cum sensibus moriatur. Vulnere in ventrem penetrantia, et omnes hemorrhagiae sensus non adimunt; sed ipsa sanguinis effusio copia, et consequens pulsus extrema debilitas proximae mortis signum praebent. Denique, si vultus iam horribiliter cadavericus evaserit, tunc mortem esse vicinam semper indicabis.

514. *Quid si parochus, propter alios infirmos aliasve graves necessitates, agonizantem deserere cogatur, neque aliam sacerdotem sibi substituere posset?* Tunc curabit ut assistentes pios affectus moribundo identidem suggerant, Crucifixum ei osculandum praebent, precesque pro illo fundant. Rituale.

## CAPUT XVIII.

### De ecclesiastica sepultura aliisque officiis defunctos respicientibus.

Agendum est 1. De sepultura ecclesiastica, et quibus sit deneganda. 2. De coemeterio. 3. De advertentiis circa funera et alia officia emortualia.

#### ARTICULUS I.

*Quid sit sepultura ecclesiastica et quibus sit deneganda.*

515. *Sepultura ecclesiastica in quo consistit?* In duobus: 1<sup>o</sup> In inhumatione cadaveris in coemeterio seu loco sacro. 2<sup>o</sup> In exequiis et caeremoniis a rituali praescriptis.

516. *Quinam sunt quibus sepultura ecclesiastica est deneganda?*

I. Infantes mortui sine baptismo et quilibet infideles.

Quoad infantes intellige 1. si sint nati vel per operationem caesaream extracti, non vero si intra uterum matris mortuae adhuc essent. 2. Habendos esse ut baptizatos, quamvis in dubio sub conditione baptizati fuissent. 3. Certe non baptizatos sepeliendos quidem esse extra, sed prope coemeterium. 4. Expedire

ut intra coemeterium ipsum adesset pars aliqua non benedicta pro his parvulis reservata.

#### II. Haeretici et schismatici (ex secta).

Sacerdos catholicus non posset se praestare, quamvis minister haereticus deesset, et quamvis nec cadaver ad Ecclesiam esset deferendum nec campanae pulsari deberent. Acta (Vol. XVIII. pag. 343).

#### III. Publici excommunicati, vel utcumque publici peccatores: attamen iuxta explicationes sequentes.

Stando in puncto iuris, sepultura ecclesiastica his denegari deberet quando ita mortui fuissent ut de eorum poenitentia nemo fidem faceret (eo quod in actu peccati vel in statu peccati, v. g. meretricii, concubinitus, officii illiciti etc., non vocato sacerdote, obiissent); sed hodie apud nos haec denegatio restringitur ad paucissimos, cuiusmodi sunt sequentes

a) *Qui in morte recusaverint Sacramenta* ex firma voluntate sic impie moriendi, idque iam notorium evaserit; quod practice quantum fieri potest, impediendum est, curando ut impenitentia remaneat occulta; in quem finem deservire potest si, v. g. sacerdos de illa nihil dicat, et administrationem Viatici aliquo praetextu declinet; aut visitet moribundum dum in extremis iam amplius loqui nequit, et (si possit) dicat aliquod bonum signum animadvertisse etc.

b) *Magni Ecclesiae persecutores*; de quorum rescipiscentia ante mortem secuta nullatenus constet.

c) *Qui, sive cum signis massonicis vel similibus, sive comitantibus sectariis (ut aiunt, in corpore), ad sepulturam deferri vellent; aut cum vexillis non benedictis in Ecclesiam essent introducendi.*

d) *Illi, quorum cadaver ex eorum voluntate esset cremandum.* Cf. Praxis (Ed. III. Vol. IV. pag. 652).

e) *Illi publici peccatores, quibus si ecclesiastica sepultura concederetur, haec adeo malam impressionem faceret, ut iam omnes de sacerdotibus illam concedentibus valde scandalizarentur.* Sed scandalum istud, praescindendo a casibus antea expositis, apud nos vix unquam accidit, et certe ex hoc capite nemini, inconsulto Episcopo, sepultura denegari deberet. Facilius contingere potest quod pompae atque solemnitates exequiarum vitari debeant; quod scilicet in numero sacerdotum, sonitu campanarum etc. notabilem modicitatem (intellige relativam) adhibere oporteat.

#### IV. Suicidae, dummodo certe constet quod non opera aliorum vel casu involuntario mors evenerit, et dummodo etiam dementiae signa non dederint.

Si autem haec signa fuissent dubia, vel si bonae fidei indicia extitissent, sepultura concedi deberet, sed cum modicitate, ut supra (l. c. Vol. III. n. 293).

#### V. Duellantes, si in loco duelli vel ex vulnere recepto in duello obiissent.

Bulla *Detestabilem* Bened. XIV sepultura ecclesiastica eos privat quamvis poenitentes et absoluti obiissent; sed a rigore isto hodie facile recedendum est non solum si consuetudo in contrarium adesset, sed etiam si (attentis loci et temporis circumstantiis) severitas huiusmodi malam impressionem faceret, et religioni odium provocaret, ut bene docet Génicot (Vol. II. n. 628). Et ego dicerem quod in omnibus casibus Episcopus consuli deberet.

## ARTICULUS II.

*De coemeterio.*

517. *An coemeterium cessare possit esse sacrum; et tunc quid agendum?*

I. Cessat esse sacrum quando evadit pollutum iuxta terminos iuris; quod accidit 1° per sepulturam infidelis (cuiusmodi, iuxta multos, non censentur infantes mortui sine baptismo si ex christianis parentibus nati fuerint). 2° Per sepulturam excommunicati vitandi; non vero si sepelirentur haeretici, vel alii, ut supra; tunc enim coemeterium violeretur quidem sed non pollueretur. 3° Per effusionem sanguinis (ex vulnere) vel homicidium. 4° Per effusionem seminis, v. g. fornicationem, molliem etc. (Intellige si haec essent non solum graviter peccaminosa et loco sacro iniuriosa, sed etiam notoria). 5° Per pollutionem Ecclesiae (dummodo sit contigua); polluta enim Ecclesia (propter praedicta), pollutum censetur etiam coemeterium. Cf. D'Anibale (*III. 18*), Vecchiotti (*II. § 56*) et Baruffaldi (*Tit. LXXIII. n. 46*).

II. Si coemeterium evasisset pollutum, modo a rituali praescripto reconciliari deberet. Si tamen ad normam iuris canonici aliqua exhumatio fieri deberet, haec sine auctoritatis civilis licentia (quae difficile obtineretur) peragi non posset. Donec autem coemeterium pollutum remaneret, foveae singillatim benedici deberent.

III. Coemeterium muro aut saltem densa sepe et cancello ita clausum esse debet, ut nulla animalia ipsum ingredi possint. Berengo (*n. 174*).

IV. Nullae arborum vel herbarum consitiones in illo admitti valent: herbae autem sponte succrescentes recidi, ibique cremari debent (*l. c.*).

V. Sine licentia Ordinarii (Rit. et Baruffaldi *Tit. IV. n. 128*) atque (ut supra dixi) auctoritatis civilis (apud nos), nullum cadaver exhumari potest.

VI. Curandum est ut in coemeteriis adsit pars non benedicta pro infantibus non baptizatis et utcumque pro non catholicis (quod hodie apud nos, etiam civiliter, exigi potest). Iure autem canonico in area benedicta locus distinctus pro parvulis, pro clericis et pro monialibus (si fieri posset) exigeretur.

## ARTICULUS III.

*De advertentiis circa funera et alia officia mortuaria.*

518. *Debetne parochus rationem habere legum civilium vel municipalium, quae vetent delationem cadaverum, nisi tali vel tali hora, tali vel tali via, tali vel tali modo; aut interdican eorundem inhumationem, nisi prius a civili auctoritate licentia obtenta fuerit?* Utique; secus enim, ad minus familia defuncti gravibus molestiis et poenis obviam itura esset. Dixi *ad minus familia defuncti*; in rigore enim poenae a legibus comminatae parochum ipsum et clerum (quoad inhumationem) respicere non videntur. (Vide Rivarolo *I. tit. 2 C. 3 A. 1 n. 7*).

519. *Debetne cadaver deferri ad Ecclesiam antequam ad coemeterium deferatur?* Affirmative iuxta rituale. Equidem alicubi in civitatibus quoad pauperes contrarius est mos. Si tamen familia baiulos feretri compensatura esset, atque exoptaret ut defunctus ad Ecclesiam deferretur, consuetudo pro tali casu non valeret et tamquam abusus considerari deberet. Vide decretum S. R. C. in *Praxi (Vol III. n. 296)*

520. *Teneturne parochus curare ut una saltem Missa, praesente cadavere, celebretur?* Rituale dicit: « Quod antiquissimi est instituti, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur ». Et in fine subdit: « Missa vero, si hora fuerit congruens, ritu pro defunctis, ut in die obitus, non omittatur, nisi obstet magna diei solemnitas, aut aliqua necessitas aliter suadeat ».

521. *Quid de devotione in emortalibus functionibus adhibenda et procuranda?* Rituale dicit: « His itaque praestandis, (parochi) qua par est modestia et devotione ita se habebunt, ut ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, quemadmodum vere sunt, non

« ad quaestum, eiusmodi ritus sancti instituti esse videantur.... Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari debent usque ad Ecclesiam ». Si distractiones voluntariae etiam in privatis precibus evitari debent, nunquid haec obligatio cessabit quia eleemosyna recipitur, aut quia preces sunt publicae et sacerdotum evagationes scandalum ingerunt? Parochus itaque scandalum istud impedire curabit. In hunc finem maxime deservire possunt sequentia: 1<sup>o</sup> Si ipse et vicarius bonum exemplum praebeant. 2<sup>o</sup> Si in cadaveris delatione psalmi, sin minus continue prorsus, saltem ita frequenter recitentur, ut ineptae loquacitates locum habere nequeant. 3<sup>o</sup> Si sacerdotes non turmatim, sed bini incedant. 4<sup>o</sup> Si in choro, data necessitate, nutus aliquis fiat ut silentium servetur; aut saltem (ad scandalum minuendum) chorus ipse tentoriolis clausus teneatur. 5<sup>o</sup> Si sacerdotes nimiae garrulitati dediti quanto minus fieri possit invitentur.

522. *Quid si ruri aliqui sacerdotes ad cadaveris associationem se conferre non possent, aut functione non adhuc persoluta abire indigerent?* Ordinarie familiae id aegre ferunt; atque insuper non est aequum ut sacerdotes qui laborem associationis sustinuerunt, aequiparentur aliis qui domi remanserunt. Nihilominus rigor absolutus variis de causis alicubi hac in re servari non potest. Interdum tamen, attenda nimia distantia et difficultate itineris, necnon praevisione quod multi associationis laborem declinaturi erunt, expedit omnino ut stipendium associationis a stipendio Missae et exequiarum distinguatur et sacerdotibus annuntietur. Licentiam autem abundi, antequam exequiae persolutae sint, parochus non facile concedat, et solum ad casus raros verae necessitatis illam reservet.

523. *Quid de consuetudine quod parochi ad cadaverum associationem interveniant solum pro divitibus; quoad pauperes vero non interveniant, et nihilominus quasi intervenissent stipendium exigant?* Si exigent stipendium praecise pro interventu ad associationem (non

praestito), de iniustitia manifesta res esset; et proinde consuetudo pro corruptela haberi deberet nihilque suffragaretur.

524. *Quid de parochis qui, dum funus in propria Ecclesia celebratur, pinguiori stipendio pro Missa assignato, stipendium ipsum dant quoque aliis sacerdotibus in aliis Ecclesiis celebraturis?* Id solum de consensu familiae expresso aut saltem (existente notissima consuetudine) tacito, fieri posset salva iustitia.

525. *In cadaverum associatione possuntne erigi plures cruces?* Negative non obstante consuetudine in contrarium. Unica (quamvis intervenirent Regulares) debet erigi crux. Haec autem erit Ecclesiae funerantis, nisi interveniret Capitulum cathedralis, quo casu crux erit cathedralis ipsius, et mansionariis simul cum canonicis praecedentia debebitur supra parochos (*Deer. Gen. 3854 et 2357*).

526. *Si ad cadaveris associationem confraternitates aut regulares invitarentur, ubinam isti coadunari deberent?* Non ad ianuam domus defuncti; sed in Ecclesia parochiali, vel etiam in alia iuxta consuetudinem. S. C. Epp. et Reg. 28 Novemb. 1642 et plura decreta S. R. C. apud indicem generalem (v. *Funus*).

527. *Quid de usu non a longo tempore invento, ut florum corona in feretro quoque personae coniugatae ponatur?* Rituale statuit ut corona ex floribus adhibeatur pro pueris in signum integritatis carnis et virginitatis. Hinc profluit consuetudo huiusmodi corona insigniendi feretrum etiam adultorum, qui a vinculo matrimonii soluti usque ad mortem perdurarunt, quique proinde virgines praesumuntur. Utique haec consuetudo laudabilis est. Quod autem nunc eadem corona pro coniugatis quoque adhibeatur, contra Ecclesiae sensum est, atque in evangelici consilii praedictum vergit, et proinde ubi (v. g. ruri) in usu adhuc non esset, permitti non debet; ubi e contra (prout speciatim in civitatibus contingere solet) iam generalissime adhiberetur, a parochis (silente Episcopo) tolerari deberet.

528. *Quid si defunctum comitentur etiam societates laicae cum propriis vexillis?* Non licet admittere (intra Ecclesiam) nisi vexilla religiosa, et pro quibus habetur formula benedictionis in rituali rom. Intimatione facta antecederet iuxta mentem S. Congregationis, parochus se absteat. Ita S. R. C. 14 Jul. 1887 (n. 3679). Vexilla tamen vetita emblemata non praeserentia tolerari possunt, dummodo intra Ecclesiam non recipiantur, et solum per viam feretrum sequantur. Vide *Praxim* (Ed. III. Vol. IV pag. 658).

529. *Potestne parochus concedere ut laudatio funebris fiat a laico in coemeterio?* Negative, nisi de licentia expressa Episcopi. Del Vecchio (I. 54). Idem dic si a sacerdote in Ecclesia legenda esset.

530. *Potestne permittere, ut inscriptiones emortuales pro libitu in coemeterio ponantur?* Negative; sed hae quoque de iure ab Episcopo prius approbari debent. Del Vecchio (l. c.).

531. *Potestne in feretro vel tumulo exponi imago defuncti dum pro illo exequiae fiunt, sive praesente sive absente cadavere?* Negative; et contrarius abusus eliminandus est. S. R. C. (*Deer. 3898*).

532. *Possuntne in parietibus Ecclesiae aut publici oratorii coronae mortuariae suspendi?* Negative. S. R. C. (*Deer. 3909*).

533. *Missae de requie in die vel pro die obitus quandonam cantari potest, et quandonam impeditur?*  
 R. Hodie non amplius fit distinctio cadaveris praesentis, vel absentis non sepulti, vel sepulti. Bene vero standum est decreto generali 2 Decemb. 1891 (n. 3753), in quo regula pro praesente cadavere ad alios casus extenditur: et est sequentis tenoris.

« I. Missam unam solemnem vel cum cantu, in die  
 « vel pro die obitus, praesente cadavere, fieri posse quan-  
 « documque non occurrat aliquod ex festis duplicibus pri-  
 « mae classis solemnioribus..... Quibus in festis compre-  
 « henduntur etiam ultimum triduum maioris hebdomadae  
 « (non autem feriae II et III Paschae, et Pentecostes):  
 « pro particularibus vero Ecclesiis dies dominica, in quem  
 « solemnitas festi infra hebdomadam occurrentis alicubi ex  
 « indulto transfertur, modo celebretur a populo: necnon  
 « ubi et donec Eucharistia solemniter exposita habeatur.  
 « Reliquis autem quibuscumque diebus eadem Missa per-  
 « mittitur in omnibus Ecclesiis, illis tantum exceptis in  
 « quibus unicus est sacerdos; dum tamen, aut Missa pa-  
 « rochialis aut conventualis dicenda est, aut Missa Roga-  
 « tionum vel vigilia Pentecostes, quae transferri non  
 « possunt ».

« II. Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso  
 « aut alia gravi causa, cadaver in Ecclesia praesens esse  
 « nequeat, imo etsi iam terrae mandatum fuerit, praefata  
 « Missa celebrari quoque poterit in altero ex immediate  
 « sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo  
 « si cadaver esset praesens ».

« III. Denique eadem Missa celebrari poterit pro pri-  
 « ma tantum vice post obitum vel eius acceptum a locis  
 « dissitis nuntium, die quae prima occurrat non impedita  
 « a festo duplici primae et secundae classis, vel a festo  
 « de praecepto: quo etiam in casu Missa dicenda erit ut  
 « in die obitus ».

534. *An pro paupere defuncto, cuius familia impar sit solvendo expensas Missae exequialis cum cantu, haec Missa legi possit sub iisdem clausulis et conditionibus, quibus praefata Missa cum cantu conceditur?* « Affirmative; seu permitti posse, in casu, Missam exequialem « lectam, loco Missae cum cantu; dummodo in Dominicis « aliisque festis de praecepto non omittatur Missa officio « diei currentis respondens ». S. R. C. 9 Maii 1899 (n. 4024).

535. *An hodie quoque verum sit quod die funeris in duplicibus potest quidem cantari una Missa de die obitus (ut supra); sed aliae Missae debent legi de festo currenti?* Negative; bene vero illae quoque possunt esse de requie. Patet ex celebri decreto Aucto S. R. C. 19 Maii 1896 (n. 3903). Oportet tamen ut funus celebretur cum Missa exequiali, atque ut praedictae Missae privatae applicentur pro eodem defuncto. S. R. C. (Decr. 13 Ian. 1897 n. 3944).

536. *Quid de anniversario, et de tertia, septima, atque trigesima?* Pro his regula sumitur ex cit. decreto generali 2 Dec. 1891 (n. 3753) sequentis tenoris.

I. Anniversaria, seu Missae cum cantu, pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium dummodo pro die obitus..., prohibentur tantum in duplicibus primae et secundae classis; in dominicis ac festis de praecepto; infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et SS. mi Corporis Christi; nec non Feria IV Cinerum; maiori Hebdomada; in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes; sicut et tempore expositionis sollemnis SS. Eucharistiae in respectivis Ecclesiis tantum.

II. Eadem Anniversaria, si in diem impeditam incidant, vel in proximam diem liberam transferri possunt, vel in proximiori antecedenti die similiter libera anticipari: dies autem liberi ii sunt, qui in superius recensitis non comprehenduntur.

III. Quae statuta sunt de diebus anniversariis pro defunctis, extendenda sunt *ad dies* 3, 7 et 30 ab obitu vel depositione, sive quoad Missam de requie cum cantu, sive quoad translationem si impediuntur.

IV. S. C. declarat, diem anniversarium, nec non dies 3, 7 et 30, tam a die obitus quam a die depositionis computari posse.

V. De speciali vero gratia permittitur ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a religiosis communitatibus, a canonicorum collegiis, a confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus, pro confratribus defunctis semel in anno fieri solent, nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis.

537. *Quid de anniversariis, quae ex pecunia in concione pro animabus Purgatorii collecta, (v. g. die sequenti) celebrari solent?* Haec tamquam vera anniversaria neque ex natura propria, neque ex privilegio (quod utique non habent), neque ex consuetudine, considerari possunt. S. R. C. 9 Aug. 1835 (n. 2733).

538. *Circa Missas quotidianas de requie, hodie estne aliquid notandum?*

Notandum I. quod in sacellis sepulchrorum, et a fortiori in eorundem coemeteriorum ecclesia vel oratorio principali, Missa de requie celebrari potest etiam in duplicibus, exceptis tantummodo illis primae vel secundae classis, dominicis et festis de praecepto, necnon feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. S. R. C. Decr. Aucto (n. 3903) et 12 Ian. 1897 (n. 3944).

Notandum II. quod in Missis quotidianis lectis orationes sunt: 1<sup>a</sup> pro uno vel una vel pluribus iuxta intentionem offerentis eleemosynam; 2<sup>a</sup> ad libitum; 3<sup>a</sup> pro omnibus defunctis. Cf. Decr. gen. 30 Ian. 1896 (n. 3920).

## CAPUT XIX.

### De parcho quoad vigilantiam et correctiones.

539. *Cur ad correctiones quoque parochus tenetur?*

Quamvis parochus praedicet, sacramenta administret et bonum exemplum praebeat; nihilominus plurima peccata, vitia et scandala semper remanebunt; multi enim Ecclesiam non frequentant, vel concionem sibi non applicant, vel tentationibus et difficultatibus vinci sinunt. Malis huiusmodi maxima ex parte remedium adhiberi nequit; sed aliqua per privatas correctiones congrue et efficaciter emendari possunt. Hinc discreto harum quoque correctionum onere gravatur parochus; et, si in hoc graviter deficeret, timere deberet de illa Domini comminatione (*Ezech. XXXIII. 5*): « Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram ».

540. *Quanto cum incommodo parochus ad hoc tenetur?* Quamvis necessitas extrema vel adeo gravis occurrere possit, ut parochus cum magno (et forte etiam vitae) sacrificio damnationem alicuius animae aut publica scandala impedire debeat (bonus enim pastor animam suam dat pro ovibus suis); attamen casus, in quibus parochus cum magno sacrificio ad correctiones vere teneatur, nequeunt esse frequentes; et in genere statui debet quod obligatio corrigendi non potest esse adeo incommoda vel molesta, ut si talis esset, nemo aut fere nemo officium parochi acceptare vellet. Scripsit Lugo (*XIV. 133*): « Neque enim tenetur superior cum quolibet suo damno inordinationes impedire; nec ad hoc gravissimum onus intendunt se obligare, quando huiusmodi munera suscipiunt, sed ad rationabilem et prudentem vigilantiam et curam, quae proportionata debet esse, et maior ad maiora, minor ad minus gravia praecavenda ».

III. Quae statuta sunt de diebus anniversariis pro defunctis, extendenda sunt *ad dies* 3, 7 et 30 ab obitu vel depositione, sive quoad Missam de requie cum cantu, sive quoad translationem si impediuntur.

IV. S. C. declarat, diem anniversarium, nec non dies 3, 7 et 30, tam a die obitus quam a die depositionis computari posse.

V. De speciali vero gratia permittitur ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a religiosis communitatibus, a canonicorum collegiis, a confraternitatibus, aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus, pro confratribus defunctis semel in anno fieri solent, nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum locum habent, exceptis diebus supra memoratis.

537. *Quid de anniversariis, quae ex pecunia in concione pro animabus Purgatorii collecta, (v. g. die sequenti) celebrari solent?* Haec tamquam vera anniversaria neque ex natura propria, neque ex privilegio (quod utique non habent), neque ex consuetudine, considerari possunt. S. R. C. 9 Aug. 1835 (n. 2733).

538. *Circa Missas quotidianas de requie, hodie estne aliquid notandum?*

Notandum I. quod in sacellis sepulcretorum, et a fortiori in eorundem coemeteriorum ecclesia vel oratorio principali, Missa de requie celebrari potest etiam in duplicibus, exceptis tantummodo illis primae vel secundae classis, dominicis et festis de praecepto, necnon feriis, vigiliis et octavis privilegiatis. S. R. C. *Decr. Aucto* (n. 3903) et 12 Ian. 1897 (n. 3944).

Notandum II. quod in Missis quotidianis lectis orationes sunt: 1<sup>a</sup> pro uno vel una vel pluribus iuxta intentionem offerentis eleemosynam; 2<sup>a</sup> ad libitum; 3<sup>a</sup> pro omnibus defunctis. Cf. *Decr. gen.* 30 Ian. 1896 (n. 3920).

## CAPUT XIX.

### De parcho quoad vigilantiam et correctiones.

539. *Cur ad correctiones quoque parochus tenetur?*

Quamvis parochus praedicet, sacramenta administret et bonum exemplum praebeat; nihilominus plurima peccata, vitia et scandala semper remanebunt; multi enim Ecclesiam non frequentant, vel concionem sibi non applicant, vel tentationibus et difficultatibus vinci sinunt. Malis huiusmodi maxima ex parte remedium adhiberi nequit; sed aliqua per privatas correctiones congrue et efficaciter emendari possunt. Hinc discreto harum quoque correctionum onere gravatur parochus; et, si in hoc graviter deficeret, timere deberet de illa Domini comminatione (*Ezech. XXXIII. 5*): « Si non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius de manu tua requiram ».

540. *Quanto cum incommodo parochus ad hoc tenetur?* Quamvis necessitas extrema vel adeo gravis occurrere possit, ut parochus cum magno (et forte etiam vitae) sacrificio damnationem alicuius animae aut publica scandala impedire debeat (bonus enim pastor animam suam dat pro ovibus suis); attamen casus, in quibus parochus cum magno sacrificio ad correctiones vere teneatur, nequeunt esse frequentes; et in genere statui debet quod obligatio corrigendi non potest esse adeo incommoda vel molesta, ut si talis esset, nemo aut fere nemo officium parochi acceptare vellet. Scripsit Lugo (*XIV. 133*): « Neque enim tenetur superior cum quolibet suo damno inordinationes impedire; nec ad hoc gravissimum onus intendunt se obligare, quando huiusmodi munera suscipiunt, sed ad rationabilem et prudentem vigilantiam et curam, quae proportionata debet esse, et maior ad maiora, minor ad minus gravia praecavenda ».

541. *Cur parochus tenetur vigilare et inquisitiones facere?* Quia secus plurima eum laterent, aut non tempestive ad eius notitiam pervenirent. « Quae potest esse « pastoris excusatio (scripsit D. Gregorius) si lupus oves « comedit, et pastor nescit? ».

542. *Explica quomodo practice vigilare possit et debeat?* Ordinarie regulae sunt sequentes. Vigilet imprimis circa proprios familiares, et suae Ecclesiae inservientes. Notet diligenter quinam pueri doctrinam christianam non frequentent, et quinam parochiani praecepto paschali non satisfaciant. Vigilet speciatim circa clericos qui suo tempore ad sacros ordines promoveri debent. Occasione benedictionis domorum in paschate, observet an imagines obscenae vel impiorum hominum e muris pendeant; an religionis signa animadvertantur; an adsint lecti sufficientes ut sexuum separatio servetur. Occasione census animarum, si prudenter possit, inquirat ad quasnam scholas vel officinas filii mittantur; an filiae alibi serviant et ubinam; an pax in familia adsit etc. Specialiter quoque vigilet circa illas puellas, quae, mortua matre, solum cum patre et quasi sine ulla custodia remanserunt; istae enim in magno periculo versari solent; et tunc parochus (si possit) bonam et provectioris aetatis vicinam rogabit, ut quasi mater earum curam suscipiat, et, si aliquod periculum suboriatur, illud secretissime sibi indicet. Idem dic de mulieribus pauperibus quae in juvenili aetate viduae remanserint, aut maritum in carcere habeant. Si forte impiorum aut haeticorum scholae in paroecia adessent, tunc quam maxime vigilare deberet ne filii ad illas mittantur. Summam denique vigilantiam sub gravissima obligatione adhibere deberet, si quidam perversi aliquam sectam, vel alia mala paroeciae adhuc bonae ruinam allatura, machinarentur.

543. *Tenenturne parochi minutiores inquisitiones facere, ut de quolibet parochiano sciant quibus moribus sit imbutus?* Negative. Tunc enim non solum onus intolerabile et infinitis scrupulis subiectum parochis impone-

retur, sed etiam parochiani id quam maxime aegre ferrent et parochum odio haberent. Haec minuta inquisitio (ut ait Diana *T. VII. Tr. IV. R. 25 n. 3*) « generat scandala, « et occasionem praebet odiis et dissensionibus. Nam homines moleste ferunt, sua ab aliis facta scrutari, et « suapte natura talis inquisitio iniuriam infert proximo, « cuius honori adversatur et aestimationi, quam de se « optimam omnes habere cupiunt ». Hinc theologi passim observant, parochum inquirere quidem debere, sed in genere, quaerendo nempe (speciatim ruri et circa illas paroeciae partes quae a parochiali residentia longe dissident) an aliquid inordinati adsit. Si tamen parochus aliquem fundatum et gravem suspectum circa rem (cui, iuxta dicenda paullo infra, remedium apponendum sit) haberet, utique tunc vigilare specialiter et inquirere teneretur.

544. *Expedite ut parochus, ad parochianorum notitias habendas, confessionali utatur?* Negative ordinarie (ut iam alibi notavi); secus enim multi, id advertendo, accederent non iam ad confitenda cum spiritu poenitentiae peccata propria, sed ad facta aliorum enarranda; et sic confessionale in locum querelarum dieticiorumque (ne dicam murmurationum et calumniarum) converteretur. Plurimi etiam a confessione apud parochum faciendam prorsus abhorrent, tum propter timorem huiusmodi molestarum interrogationum, tum speciatim ne tamquam delatores publice haberentur. Res demum eo desinerent, ut eius confessionale desertum remaneret, et parochus quoad sacramenti poenitentiae administrationem se inutilem redderet. Dixi *ordinarie*; pro aliquo enim casu raro et magni momenti, aliquid huiusmodi audire etiam in confessionali (speciatim a personis quae alio modo rem parochi significare nequirent) certe liceret.

545. *Quid notandum circa delationes et delatores?* Extra confessionale quemlibet (delationes calumniosas facere non assuetum) parochus audire poterit, dummodo non

facile credat; spontanei enim delatores saepe saepius ex passione loquuntur, decipiunt, aut saltem res valde exaggerant. Insuper delationes (maxime vero inquisitiones) magnam prudentiam exigunt. Parochus, qui multis delatoribus, aut paucis quidem sed secretum non servantibus (cuiusmodi saepe sunt foeminae et sacristiae inservientes) vel personis criterio aut bona conscientia carentibus, se circumdaret, odiis iurgisque aditum aperiret, et tandem propriam auctoritatem et existimationem in discrimen coniceret, speciatim si notorie huius vel illius foeminae (maxime vero propriae ancillae) delationes assidue exquireret aut libenter audiret. Exceptis itaque casibus raris, parochus ab aliquo bono sacerdote dumtaxat, aut viro gravi, notitias paroeciae regimini necessarias exquirere poterit et aliquando debet.

546. *Postquam parochus aliquid mali de suis parochianis audiverit, quomodo se gerere debet?* Non praepropere procedat, sed circumstantias consideret, ne tamquam certum habeat id quod dubium et forsitan omnino falsum esse potest. In dubio autem (nisi res sit adeo gravis ut nihilominus nulla interiecta mora procedere debeat) sinat ut tempus rem bene dilucidet; secus enim periculo alios temere offendendi, et seipsum vel odiis gravissimis vel despectui exponendi obviam iret. Cautela autem specialissima haberi debet dum primitus parochus ad paroeciam advenit.

547. *Quid exigitur ut parochus ad correctiones faciendas vere teneatur?* Exigitur: 1° ut (saltem ordinarie) non respiciant peccata nimis communia; 2° ut non debeant praesumi perniciosae; 3° ut non debeant existimari inutiles.

548. *Cur dixisti quod correctiones peccata nimis communia (saltem ordinarie) respicere non debent?* Quia istae non solum immodice parochum gravarent (ut modo dicebam); sed etiam illum exosum et invisum redderent; quod in destructionem non parum cederet; res

enim eo tandem desinerent, ut parochiani illum despicerent et vocati ad eum non accederent. Ita reapse sentiunt parochi etiam optimi. Verum est quod multi theologii dicunt, pastores oves suas in peccato mortali existentes corrigere debere; sed hoc intelligendum est per quantum moraliter fieri possit et bono paroeciae regimini deserviat. Scavini (*I. 452*) scripsit: « Plerumque impossibile est ut omnes singillatim corrigantur, cum nimius sit delinquentium numerus: quo in casu correctio prudenter fiat passim in catechesibus et publicis concionibus ».

549. *Quandonam correctio praesumi debet perniciose, et quando non?* Quando vel nihil boni sit sperandum sed solum maiora mala sint formidanda; vel bonum quod speratur in comparatione mali quod timetur minus aestimari debeat. « Mallem aliquando tacuisse, quam ad tantam reprehendisse perniciem » (*S. Bern.*). Veniendo ad particularia, haec perniciēs ordinarie timeri debet in sequentibus casibus.

I. Si agatur de hominibus incredulis, qui iam cum Ecclesia et sacerdotibus nihil commune habere volunt (*Frassinetti Man. n. 69. 81*). Quaedam tamen facilius ab istis quam a catholicis interdum obtinentur, dummodo ad modum non correctionis sed gratiae petantur; et casus contingere potest v. g. in celebratione matrimonii ecclesiastici, si civili tantum coniungerentur. Ex quadam naturali honestate et comitate, vel propter respectum uxoris et filiorum, vel ad propriam potentiam aut animi generositatem ostendendam, et maxime si res petita in ipsorum utilitatem vel honorem redundaret, subinde parochorum petitionibus obsequuntur. Idem dic si interdum ipsi aliquid a parochis peterent, aut aliqua alia propitia eos adhortandi occasio se offerret. Caeterum verissimum est quod ordinarie, si de infami pellice relinquenda vel de re simili ageretur, parochus non nisi peiora mala (et fortasse acrem persecutionem) ex correctione expectare deberet.



II. Si agatur de hominibus catholicis quidem sed parochus infensus, vel superbis et praepotentibus; si enim res sit de correctionibus quae in malam partem accipi solent, valde facile est quod in odium parochi (qui illos correxit) inordinationes et scandala adangeant atque multiplicent. Vae parochis, qui inimicum potentem et perpetuum (maxime si divitiis vel auctoritate praeditus sit) in paroecia habent!

III. Si agatur de vitio minime notorio, ita ut correctus suspicari possit quod uxor vel alia persona domestica aut vicina rem parochus significaverit; speciatim si in delatione falsitas vel exaggeratio subesse potuerit; maxime vero si res esset de furto, adulterio, debito pecuniario non soluto, vel aliis similibus, in quibus correctio valde ingrata esse, et aversionem contra parochum ingerere solet.

550. E contra correctio ordinarie non debet praesumi perniciose 1<sup>o</sup> si agatur de pueris vel adolescentibus, vel mulieribus; aut de peccatore qui iam sit in limine mortis, et proinde in imminentis aeternae damnationis periculo versetur. Interdum etiam si agatur de scandalo enormissimo (quo iam fere nihil peius expectari possit), dummodo aliqua, etsi tenuis, resipiscentiae spes effulgeat; illa enim tunc valde aestimari debet, et malis quae timerentur facile praeponderat.

551. *Quandonam correctio, etsi non perniciose, tamen non necessaria vel inutilis existimanda erit?* 1<sup>o</sup> Si credendum sit quod subditus per se ipsum emendabitur, aut certe aequalis vel maior spes in aliis mediis (quae peccatori non desint) collocari debeat. 2<sup>o</sup> Si correctio iam iterum atque iterum tentata fuerit sed semper frustra. 3<sup>o</sup> Si ageretur de homine iam a longo tempore habituato atque non iam ex ignorantia vel spiritualium auxiliorum defectu, sed ex pura malitia, seu ex profunda voluntatis perversitate, peccante.

Attamen notanda sunt sequentia: 1<sup>o</sup> Interdum correctio, quamvis sit inutilis respectu peccatoris, potest esse

utilis respectu aliorum, ne scilicet parochiani scandalizentur eo quod parochus videat et non corrigat. Hoc tamen (si parochus zelo praeditum se ostendat) non facile suppouendum est. 2<sup>o</sup> Utilis ordinarie censi debet correctio si persona corrigenda ex aliquo motivo valde indigeat ut parochus ei benevolus sit. 3<sup>o</sup> Aliquae correctiones adeo necessariae esse possunt, ut fieri debeant, quamvis spes fructus valde exigua foret, ut modo dicebam.

552. *Quinam sunt casus magis practici, in quibus (omnibus perpensis) correctio ordinarie fieri debet?*

I. Si, v. g. ruri in paroecia satis bene morata, ageretur de scandalo publico et non ordinario, quod proveniret, v. g. ab aliqua meretrice, vel publico concubinato, vel matrimonio mere civili, vel puella antequam matrimonium ineat uterum gestante, vel aliquo cynismo (nuditate) exercente, vel aliquo publice festa profanante, vel publicis ludis tempore divinorum officiorum continuatis, vel denique choreis et serotinis conversationibus, si illuc in usu non essent. Idem dic multo magis si ageretur de aliquo extraordinario scandalo contra fidem, v. g. si parochianus Protestantibus domum pro templo vel schola locare vellet.

II. Si in aliqua domo masculi cum foeminis promiscue dormirent, vel imagines obscoenae expositae conspicerentur.

III. Si puella in magno delinquendi vel se prostituendi periculo versaretur.

IV. Si in bona paroecia quidam genitores circa filiorum educationem valde delinquerent, v. g. si ad doctrinam christianam eos non mitterent, aut filios vel filias magnis periculis exponerent etc.

V. Si quis praeepto paschali non satisfacisset (dum alii communiter satisfacerent), aut periculose decumbens sacramenta non peteret.

VI. Si magna rixa aut discordia suboriretur, et idem

dic si inter maritum et uxorem divortium illegitimum adesset.

VII. Si parochus esset praesens quando aliquod peccatum committeretur aut committi vellet.

VIII. Speciali demum et minutiori modo corrigere deberet clericos ad Ordines Sacros non adhuc admissos; et (quantum moraliter fieri potest) orphanos quovis pene custodia destitutos.

553. *Quid notandum circa modum quo correctio fieri debet?* Documenta sequentia deservire possunt.

I. Curet parochus ut sit ipse irreprehensibilis, atque a parochianis existimetur et ametur.

II. Pro felici correctionis exitu Deum oret.

III. Efficaces paret rationes non solum supernaturales, sed etiam naturales; mala enim et pericula temporalia quae ex peccatis profluunt, pro iis praecipue qui Deum parum timent, melius deservire possunt. Obiectiones autem et difficultates praevideat, atque ad illa solvenda maiori qua poterit efficacia se praeparet.

IV. Interdum tempus opportunum expectari debet; v. g. si parochianus brevi accessurus esset ad parochum pro eleemosyna; vel si hic et nunc passiones forent nimis accensae etc.

V. Si correctionis publicitas non sit necessaria, et haec personae corrigendae displicere possit (prout ordinarie contingit), tunc correctio secreto fieri debet, et curandum ut familiares nihil audiant nihilque sciant. Imo interdum expedit ut parochus parochianum non advocet (maxime per alium), sed potius ipse ad illum accedat cum aliquo praetextu, vel per viam illum alloquatur, quin alii quidquam suspicari possint.

VI. Pastor clarissime patefaciat quod ex solo ovis suae amore et ex mero desiderio eius boni temporalis et aeterni, prout munus suum exigit, correctionem facit.

VII. Homines amore et timore moventur. Parochus primitus (saltem ordinarie) viam amoris tenebit; idque

maxime si personae corrigendae aetas, educatio, conditio et indoles specialem respectum et lenitatem exposcant. Delictum itaque non exaggerabit; et, si illud dubium foret, cavebit ne loquatur quasi certum esset. Imo, etsi parochus sciat, delictum certissime fuisse commissum, non raro melius erit ut hanc cognitionem abscondat, et de solis dicteriis quae in paroecia fiunt sermonem habeat. Si qui corrigitur bonis etiam qualitatibus polleat, has laudet; et dicat se paternam admonitionem facere, quia scit illum esse bonum atque obtemperatum. Correctio suapte natura amorem proprium offendit, et totum periculum ne boni pastoris verba in malam partem accipiantur, ex hac amoris proprii offensione procedere solet; quem proinde, quantum possibile est, quietum servare et quodammodo blandiri oportet. Parochus itaque, sepositis obiurgationibus verbisque vehementibus, serio quidem, sed mitissime loquatur; neque ab hac via recedat, si forte (prout saepe accidit) correctus aliquod verbum paullo iniuriosum contra illum proferat. Imo interdum expedit ut parochus indirecte procedat, et, quasi delictum commissum ignoraret, de illo ne verbum quidem faciat; bene vero, si peccator aliud vitium minus quidem probrosum sed a parochis corrigi solitum habeat, ex hoc occasionemumat illum adhortandi et simul aeternas veritates meliori modo possibili in eius mentem revocandi, ut sic per viam indirectam a miserrimo peccati mortalis statu eum eripere satagat. Prima correctione non iuvante, interdum secunda et tertia tentari debet; unde scripsit D. Chrysostomus: « Dixisti semel et non audivit: dic bis et ter et toties donec persuaseris ». Si tandem per viam amoris nihil obtineri possit, tunc parochus (si prudentia id sinat) viam timoris tentabit, quin tamen in obiurgationibus et minis limites excedat, ne scandalum ingerat, vel (considerata minarum qualitate) familiis se odiosum reddat.

VIII. Si foeminae iuventute adhuc florentes (aut ipsum parochum calumniare capaces) corrigendae sint, coram

ipsarum matre aut aliis testibus vel in confessionali illas corrigat; et in exhortatione facienda teneritudines evitet. Caveat speciatim, si forte aliqua puella (quae cum parochus aliquam relationem, etsi honestissimam, habuerit) esset gravida et oporteret illam abscondere ut clam parturiret, caveat (inquam) ne ipse locum quaerat aut pecuniam ei suppeditet. Caveat uno verbo se seipsum et proprium honorem in gravissima discrimina coniiciat.

IX. Si parochus animadvertat esse impossibile aut non opportunum ut per se ipsum peccatorem admoneat, tunc videat an ope alicuius personae familiaritate vel amicitia eidem coniunctae convenienter et efficaciter suum intentum obtinere queat. Foeminae, quamvis vitam devotam non profiteantur, si rogentur a parochus ut alicui inordinationi in propria familia existenti remedium apponere satagant, talem ac tantam adhibere solent curam et industriam, ut saepe saepius obtineant ea, quae parochus suo immediato interventu nunquam obtinisset. Si ne hoc quidem modo proficere possit, interdum recurrere poterit ad correctionem negativam; quatenus scilicet, v. g. eleemosynas, vel favores, vel obsequia, vel signa benevolentiae, quae prius praestabat, amplius non praestet aut imminuat.

X. Frassinetti (*Man. n. 86*) suggerit etiam ut parochus ope epistolae peccatores huiusce generis admoneat. Sed heu quot epistolae (apud nos) scribi deberent! Medium istud nimis scrupulosum est, et forte etiam valde periculosum esse potest, ne scilicet huiusmodi epistolae in malam partem accipiantur, idque solum assequantur ut parochus exosus reddatur aut irrisionibus exponatur. Apud theologos, qui Frassinettium praecesserunt, hoc medium indicatum non invenio, illudque practice excludi debere censeo, nisi forte ex una parte de persona educatissima (ad quam parochus accedere nequiret), et ex alia de casu gravissimo et urgentissimo ageretur; et tunc quoque cum maxima ponderatione procedendum esset, ne aliquod verbum minus prudens e calamo elaberetur. Quid si parochia-

nus gravi infirmitate laboraret? Expediretne tunc ut parochus, si eius visitationes recusarentur, ad epistolam recurreret? R. Negative. Quis malas, quae ex hac epistola oriri queunt, consequentias divinare potest? Si potius parochus aliis mediis consuetis procuret ut aditum obtineat, semper aliqua spes ei remanebit quod saltem in extremis advocetur; sed, si propter hanc epistolam infirmus eiusque familia vehementer irritetur (quo nil facilius), nonne haec spes prorsus evanesceret?

554. *Quum praeter correctionem adsint alia media quae invare possunt ut haec vel illa inordinatio e medio tollatur aut minuatur; quaeritur an expediat vel oporteat, ut parochus ad illa recurrat?*

I. Quaedam media, dum inordinationem aliquam e medio tollunt, aliud forsitan maioris momenti malum suscitant; et haec adhiberi non debent. Qui itaque curant ut domini modo hanc modo illam familiam e fundo aut domo arceant; vel (ut aliquem parochianum a periculo eripiant) modo hunc modo illum seductorem occultum nominatim vituperant aut infamant; vel demum semper in eo sunt ut brachium saeculare invocent et parochianos in carcerem coniiciant; hi, inquam, caveant ne mala multo maiora provocent; ne scilicet parochianorum benevolentiam amittant, et multas familias ita irritent ut contra sacerdotes acerrimum et perpetuum odium concipiant. Idem dic de parochis, qui meretricibus, concubinis, aliisque malevolentibus pecuniam suppeditant ut a peccatis desistant, dum bonos pauperes et puellas honestas sine ullo subsidio relinquunt. Systema huiusmodi nihil boni obtinere solet; et, quamvis interdum aliquo modo proficeret, haec utilitas comparari nequiret cum damno quod ex alia parte oriretur; notitia enim quod parochus non bonis sed perversis subsidia confert, efficit ut boni animo deiciantur, et pravi ansam ad enormitates perpetrandas et ad fingendam poenitentiam sumant. Parochi itaque ordinarie videant prius veros et stabiles poenitentiae fructus, et postea subsidia praestent. Dixi *ordina-*

rie; non enim loquor de casibus raris alicuius puellae periculantis etc.

II. Quaedam media multa peccata impediunt quin ullum aut fere ullum malum provocent; sed sunt ita extraordinaria ut inter parochorum obligationes nunquam recensita fuerint. Unum ex his esset si parochus domos huc illuc conduceret ne a meretricibus aliisque delinquentibus habitarentur.

III. Alia denique media optime deserviunt, satisque ordinaria apparent, unde parochi timoratae conscientiae ad illa adhibenda vere se esse obligatos censent. Exempla. Sacerdos scandalosus in paroecia adest. Parochus Episcopum admonere debet; et, si esset proprius vicarius, illum quamprimum dimittere deberet. In aliqua domo, propter extremam miseriam, lecti sufficientes non adsunt; unde foeminae cum masculis promiscue dormiunt. Utique tunc parochus, si possit, providere tenetur (non tamen pecuniam sed lectum suppeditabit). In fluminibus et in littore maris adolescentes se lavant et publicum pudorem gravissime offendunt; aut in aliqua bona paroecia meretrix maximam ruinam infert, et iam familiae clamant quod parochus remedium quovis pacto apponere deberet. Etiam in his casibus meliori modo possibili providendum esset; et, si alia media deficerent, brachium saeculare (quatenus assistentia sperari posset) invocari deberet. Quamvis enim supra dixerim non expedire ut parochi semper in eo sint ut brachium saeculare invocent, nihilominus tales dari possunt circumstantiae, in quibus (attenta gravitate et raritate casus, communi approbatione, aut cautela qua proceditur) expediat, aut etiam omnino oporteat, ut talis recursus locum habeat.

555. *Quibus in casibus parochi apud nos a brachio saeculari assistentiam vel aliquod adiumentum sperare possunt?* Responso patet ex codicum nostrorum articulis, quos hic transcribo:

*Quoad meretrices* (Nuove leggi e regolamenti sulla prostituzione).

Art. II. « È vietato alle persone dell' uno e dell' altro sesso ogni offesa al buon costume e qualunque invito od eccitamento al libertinaggio, fatto

« anche in modo indiretto in luoghi pubblici, o esposti al pubblico, e qualunque designazione pubblica di case di prostituzione.

« È specialmente vietato:

« 1. Seguire le persone per via, adescandole al libertinaggio con parole e con atti.

« 2. Affacciarsi alle finestre, o trattarsi alle porte delle case dichiarate luoghi di prostituzione ».

Art. III. « È parimenti vietato fare pubblicamente richiamo a case di prostituzione, o in qualsiasi modo offerta di lenocinio ».

Art. IV. « Per case e per locali di prostituzione, s' intendono le case, i quartieri e qualsiasi altro luogo di ricovero chiuso, dove si esercita abitualmente la prostituzione ».

Art. V. « Sono considerate case di prostituzione quelle case o piani di case, in tutto o in parte affittate a scopo di prostituzione, ancorchè ciascuna meretrice viva isolatamente ».

Art. VI. « Le case di prostituzione non possono avere che una sola porta d' ingresso. Deve essere murata ogni specie di comunicazione con altre case, quartieri, stanze private, botteghe, negozi, magazzini ed altri stabilimenti pubblici ».

Art. VII. « È vietato aprire case di prostituzione in prossimità di scuole ed edifici destinati al culto, alla istruzione ed educazione, a caserme, ad asili d' infanzia o ad altri luoghi di riunione di gioventù ».

Art. VIII. « Le disposizioni relative alle case di prostituzione si applicano alle case, nelle quali due o più donne esercitano la prostituzione, ristrettivamente però al locale o locali da esse occupati ».

Art. XI. « L' autorità di P. S. quando abbia le prove che in una casa si eserciti abitualmente la prostituzione di più donne, che ivi dimorino, o che ivi si rechino abitualmente per esercitarvi la prostituzione, dichiarerà d' ufficio che quella casa è casa di prostituzione ».

Art. XVI. « Quando una o più donne abbiano preso in affitto un quartiere, od una o più stanze in comunicazione con altre parti della casa, e intendano di esercitarvi la prostituzione, il proprietario, l' usuario e gli affittuari potranno ricorrere all' autorità di P. S., la quale, previo accertamento della denuncia, ordinerà lo sfratto delle donne ».

Art. XX. « Nelle case di prostituzione sono sempre vietati:

« a) i giuochi e i festeggiamenti di qualunque sorta;

« b) lo spaccio di cibi e bevande ».

Art. XXII. « Qualora in una casa di prostituzione si favorisca o si faciliti la corruzione e la prostituzione di minori, l' autorità ne riferirà al procuratore del Re ».

« Se la minore non ha genitori, l' autorità di P. S. provocherà dai suoi superiori le disposizioni occorrenti per ricoverarla in un pubblico ospizio, o in una casa di educazione e di lavoro ».

Art. XXIII. « Per motivi d' ordine pubblico potrà l' autorità di Pubblica Sicurezza ordinare sempre la chiusura delle case di prostituzione. »

« Potrà ugualmente ordinarne la chiusura quando essa abbia ragione di credere che vi si eserciti la prostituzione dai minori di anni 21 ».

Art. XXIX. « È punito chiunque detenga, o cooperi a ritenere violentemente in una casa di prostituzione una donna, ancorchè si sua volontà vi sia entrata e vi sia rimasta per esercitarvi la prostituzione, e non ostante qualunque obbligazione, o debito, che la donna abbia contratto verso il proprietario della casa, o qualsivoglia altra persona ».

« Gli ufficiali ed agenti di pubblica sicurezza dovranno chiamare alla loro presenza e parlare isolatamente alle donne che abbiano ragione di credere ritenute nelle case di prostituzione contro la loro volontà, e ne ordinano la uscita.

« Per mezzo dei pretori e sindaci locali, l'autorità di P. S. dovrà procurare che possano essere ricevute nelle loro famiglie ».

Art. XXX. « Dove esistono istituti o società aventi per iscopo la restituzione delle prostitute ad una vita onesta, o il loro patronato, uscite le donne dai luoghi di prostituzione, dovrà l'autorità politica porsi in rapporto con essi ».

« I prefetti, i sottoprefetti, i questori, i delegati di P. S. e i Sindaci sono specialmente incaricati di favorirne la istituzione dove non esistano ».

Art. XXXI. « Le donne uscenti da una casa di prostituzione potranno portare seco le vesti e biancherie fatte per la loro persona. È presunto che appartengano alla donna uscente da detta casa gli oggetti che trovansi nella stanza ad essa assegnata, chiusi in forzieri, casse, armadii, cassettoni e simili mobili, dei quali la prostituta abbia la chiave ».

Art. XXXII. « Quando una donna manifesta all'autorità politica la volontà di uscire da una casa di prostituzione, dichiarando che teme maltrattamenti, o che il proprietario o altra persona vogliono ritenere le vesti di lei o altri oggetti, l'autorità politica invierà nella casa due agenti in uniforme, e i quali tutelino la persona e la proprietà della richiedente ».

556. *Iuxta novum codicem poenalem apud nos puniuntur sequentia delicta.*

I. *Corruptio carnalis*, quam quis actibus libidinis procuraverit in persona minori anno decimo sexto (A. 335).

II. *Stuprum*, sive fornicarium sive sodomiticum, sive violenter sive ex abusu personae sui non compote perpetratum; imo etiam soli tactus libidinosi, persona non consentiente, habiti (A. 331. 333).

Punitio locum habet in duobus casibus praedictis ad querelam partis intra annum a die facti vel eius notitiae (Art. 336). Secuto autem matrimonio, punitio cessat (A. 332).

III. *Incestus notorius* inter consanguineos vel affines in linea recta, aut inter fratres (A. 337).

IV. *Offensio pudoris*, sive actibus publice commissis, sive scriptis aut picturis aut aliis obiectis obscenis venditioni sive utcumque publicitati expositis (A. 338. 339). Idem dic de nuditatibus inverecundis in loco publico, etc., et de sermonibus aut cantibus obscenis, quibus publica decencia offendatur (A. 490).

V. *Raptus*, sive vi sive dolo (etsi non libidinis, sed matrimonii fine) perpetratus; imò quamvis persona rapta libere consensisset, si aetate adhuc minor fuisset. Punitio locum habet solum ad querelam partis intra annum (A. 340-344). Secuto autem matrimonio, punitio heic quoque cessat (A. 352).

VI. *Lenocinium*, quod exerceatur ut persona libidini alterius deserviat, punitur si persona seducta sit minorennis; imo et quamvis esset aetate maior, si eiusdem maritus aut pater aut alius ascendens, vi, minis aut dolo ad rem huiusmodi illam induceret. Attamen ad solam querelam uxoris maritus puniri posset (A. 345-348).

VII. *Adulterium*. Punitur 1. Uxor adultera, et qui adulterium cum illa commisit. 2. Maritus si sit concubinarius ita ut vel in domo coniugali, vel notorie alibi concubinam retineat. Punitur quoque concubina. — Non proceditur nisi ex querela partis et intra tres menses post factum eiusve notitiam; neque auditur querela coniugis ad separationem iuridice ex culpa damnati; aut

si maritus accusatus probare possit quod uxor intra ultimum quinquennium fuerit adultera, vel si uxor accusata probare possit quod maritus concubinam intra dictum tempus (ut supra) habuerit, aut illius prostitutioni consenserit. Si delictum condonatum fuisset, tunc poena cessaret (A. 353-358).

VIII. *Bigamia*. Punitur qui valido ligatus matrimonio aliud contrahit, et qui cum persona coniugata matrimonium init (A. 359-360).

IX. *Famae denigratio*. Punitur non solum qui actu publico (seu libello famoso), sed etiam qui simpliciter coram pluribus personis (sive unitis sive separatis) attribuit alicui factum determinatum, quo despectui vel odio publico exponatur, vel utcumque eius honor et fama laedatur. Poena locum habet, etsi de facto vero et notorio ageretur (Art. 393-394). Proceditur solum ad querelam partis quae locum habeat intra annum (Art. 400-401).

X. *Contumelia*. Punitur non solum qui publice, sed etiam qui privatim (v. g. remotis arbitris vel ope epistolae) contumelia afficit, vel quovis modo honorem vel decorem offendit alicuius; dummodo iste violentia personali aut contumeliis aequalis vel maioris momenti provocator non fuerit (A. 395-397). Proceditur solum ad querelam partis, quae locum habeat infra tres menses (A. 400-401).

XI. *Affixiones et lacerationes illegitimae*. Punitur, qui sine licentia auctoritatis vel in locis non permissis, publicas affixiones facit. Item qui chartam legitime affixam ante diem subsequentem laceret (A. 445-446).

XII. *Spectacula aut solatia, quae sine debita licentia dentur*. Licentia exigitur toties quoties de loco publico, aut ea occasione omnibus aperto agatur (A. 447-448).

XIII. *Dementium circumvagatio*. Punitur qui personae dementis custodiam habens sinit ut vaget, aut illam fugitivam auctoritati statim non denuntiat (A. 477). Idem dic de animalibus ferocibus aut periculososis aut de idrophobia suspectis (A. 480).

XIV. *Ludus aleatorius*. Punitur qui tenet huiusmodi ludum in loco publico, aut privato quidem sed vel ratione ludi omnibus aperto vel ita ut pro commoditate praestita merces exigatur. Ludus autem censetur aleatorius et prohibitus, si victoria totaliter aut quasi totaliter pendeat a sorte, et fiat ex fine lucri (A. 484-487).

XV. *Ebrietas*. Punitur 1. ebrius, si talis sit manifeste in loco publico et modo molesto aut repugnanti; 2. qui in loco publico aut omnibus aperto causat directe ebrietatem in alio, aut iam ebrio novum vinum vel quid simile suppeditat (A. 488. 489).

Denique idem novus codex poenalis habet sequentia:

« *Delitti contro la libertà dei culti*. 1. Chiunque, per offendere uno dei « culti ammessi nello Stato, impedisce o turba l'esercizio di funzioni o cerimonie religiose, è punito ecc. 2. Chiunque, per offendere uno dei culti ammessi nello Stato, pubblicamente vilipende chi lo professà, è punito a querela di parte ecc. 3. Chiunque, per disprezzo di uno dei culti ammessi nello Stato, distrugge, guasta, o in altro modo vilipende in luogo pubblico cose « destinate al culto o le vilipende, è punito ecc. 4. Chiunque commette atti di « vilipendio sopra un cadavere umano o sopra le sue ceneri, ovvero per fine « d'ingiuria o per qualsiasi altro fine illecito, sottrae per intero o in parte il « cadavere o le ceneri, o ne viola in qualsiasi modo il sepolcro o l'urna, è « punito ecc. (A. 140-144) ».

## CAPUT XX.

## De parochio quoad scandala e medio tollenda.

557. *Quomodo se gerere debet parochus quoad scandala impedienda vel e medio tollenda?* Imprimis distinguendum est inter scandala occulta et manifesta.

558. *Quid itaque si scandala sint occulta?* Praeter correctionem (quae forte fieri possit scandaloso) et orationem, valde difficile erit quod parochus ad quidquam aliud teneatur. Scit, v. g. non esse fidendum quoad morum honestatem de tali medico, de tali hero, de tali pedagogo, de tali socio vel socia, de tali persona quae in domum introducitur, de tali officina, de tali schola, de tali confessario etc.; sed, donec res sint prorsus occultae, poterit quidem esse necessarium ut interrogatus respondeat: *informatio-nes cape ab aliis*; et etiam ut aliquid dicat de cautelis generatim adhibendis, quandoquidem hodie de nemine fidendum est; maxime vero ut sub aliquo praetextu ovem suam a lupo avertat; non vero ut secretas quas ipse habet notitias (nisi forte personae valde prudenti) manifestet, aut suspectus particulares positive ingerat; secus enim querelis innumeris se exponeret, plurimisque personis et familiis se invisum redderet, et sic mala maiora (et quidem saepissime sine ullo fructu) provocaret. Si tamen in occulto aliquod malum magnum et extraordinarium (v. g. efformatio impiae sectae in paroecia bona) machinaretur; tunc parochus de impedimento apponendo meliori modo possibili cogitare deberet.

559. *Quid de scandalis manifestis?* Videndum an dentur a multis, an vero a paucis.

560. *Quid si dentur a multis?* Tunc parochus illa corrigere debebit in concione, et non facile (excepta forsitan advocatione sacrae Missionis) tenebitur ad aliud. Exemplum habes si in paroecia plurimi blasphemant; vel turpibus

sermonibus indulgeant; vel die veneris et sabbati carnem manducant; vel diebus festis laborent; vel contra fidem et religionem loquantur; vel libros prohibitos aut folia impia legant; vel obscoena cantent; vel extra Ecclesiam maneant dum concio habetur etc. Idem dic si in paroecia foeminarum immodestia et procacitas valde communis esset, etc. Si tamen ageretur de magna offensione publici pudoris (prout contingere potest in balneis, quae corpore nudo fierent in locis frequentatis), tunc per recursum ad publicas auctoritates facile et efficax remedium haberi posset; et eo casu parochus sive per se, sive (quod forte melius erit) per personas laicas, ad hoc teneretur.

561. *Quid de choreis, serotinis conversationibus, larvis, theatro etc.?* Etsi qui haec tolerant aut promovent de peccato forte incusari nequeant, nec omnes qui ad illa concurrunt culpis inquinentur; tamen certum est quod peccata plurima exinde profluunt; et proinde parochi (ut in Ecclesia semper servatum est) congruis instructionibus atque exhortationibus ad populum directis (sed non facile privatis correctionibus) satagere debent, ut parochiani huiusmodi pericula serio animadvertant atque evitent, et multo magis ut patresfamilias in propriis domibus haec non admittant.

562. *Quid si scandala manifesta dentur a paucis?* Tunc est iterum distinguendum. Aliquando enim scandalum datur a paucis simulque extenditur ad paucos, ut puta, si intra aliquam domum statucae vel imagines obscoenae expositae retinerentur. In tali casu privata admonitione, subsistente spe fructus, utendum esset. Interdum verum scandalum datur quidem a paucis, sed extenditur ad multos; et tunc opus erit ut parochiani in publicis concionibus praemuniantur. Hoc tamen cum debita prudentia et discretione fieri debebit, ne forte scandala maiora provocentur. An autem, praeter concionem, adhiberi debeant quoque privatae admonitiones erga eos, qui scandali causa sunt, decisio pendet a circumstantiis, et ordinarie (maxime

si ageretur de personis valde potentibus) Episcopum certiorare eiusque consilio stare oportebit. Vide dicta *art. praec. n. 549 et seq.* et S. Lig. (*Hom. Ap. Tr. VII. C. IV n. 31*).

### CAPUT XXI.

#### De parochis quoad discordias sopiendas et pacem inter inimicos componendam.

563. *Notitia habita alicuius discordiae, debetne semper parochus operam suam interponere?* Negative; sed solum quando de re valde momentosa agatur, et parochi interventus utilis et necessarius esse videatur.

564. *Quid si discordia sit occulta?* Tunc parochus caute procedat, neque facile offensorem advocet; ne forte suspicetur partem offensam rem ei detulisse, et sic animi magis magisque exacerbentur. Mulieres speciatim recurrere solent ad parochum cum mille querimoniis. Parochus non facile credat; ordinarie enim exaggerant, et saepe ipsae et non alii in culpa sunt. Illas ad patientiam, maxime vero ad occasionem non dandam adhortetur; et fere in quovis casu, saltem donec res notoria non evaserit, a personali interventu absteat.

565. *Quid si de iurgiis foeminarum res sit?* Practice ex parochi interventu nihil boni obtineri solet; illae enim rationes parum intelligunt, et aliunde *non est ira super iram mulieris.*

566. *Quid si discordia ab aliqua prava consuetudine ortum habuerit, v. g. inter iuvenem et genitores puellae ab eo seductae?* Tunc curabit quidem parochus ut discordiae excessus evitentur, sed cavebit ne pax ita firmetur, ut pristina consuetudo prava renovetur.

567. *Quinam est modus practicus pacem componendi?* Discordiae notitia habita, parochus (si videat operam suam esse interponendam) illico, nullaque interiecta mora (maxime si magni excessus intra breve tempus reformi-

dandi sint), advocare debet litigantes (aut ad illos se conferre), eosque audire; sed seorsim. Bene erit si parochus (alios etiam caute interrogando) verum rei statum cognoscat; sed, quamvis animadverterit quis rationem habeat, ab hoc iudicio suo proferendo (nisi forte agatur de re evidentissima) non solum cum litigantibus sed etiam cum aliis omnino absteat, nec litigantes de mendaciis redarguat; secus enim periculum adesset, ne contra illum ipsum ira excandescere inciperent. Parochus itaque ad modum non iudicis sed patris procedat, totusque in eo sit ut pericula et damna tum corporalia tum spiritualia, quorum discordia ferax est, partibus ostendat, illasque ad pacem inducat. Uno verbo parochus palam faciat non eo animo se ingerere ut facta praecedentia iudicet aut puniat; bene vero ut malas consequentias, quae in posterum ex discordia accidere possent, praeveniatur et impediatur. Si tamen ageretur de viduis aut pupillis inique oppressis, aut de parochianis offensis a personis exteris; tunc eorum partes apertius tueri posset. Interdum expedit ut per tertiam personam reconciliationem procuret. Si pars laesa in reparatione exigenda (quae reapse ei debeatur) firma remaneat, parochus curabit ut offensorem illam praestet. Si reparatio pacifice obtineri nequeat, et una pars tribunalia adire velit; tunc parochus (nisi agatur de dictis pupillis etc.) id expresse non approbet; et, sin minus dissuadeat, saltem passive se habeat. Si partes ad pacem coram parochis firmandam se induxerint, non est permittendum ut de iniuriis praeteritis verba faciant (ne discordia renovetur); sed exigendum dumtaxat ut super omnia lapidem (ut vulgo dicitur) ponant, et sic in christiana pace et charitate conversentur. Notandum denique quod si compositio rerum temporalium divisionem vel pecuniae solutionem in posterum exequendam respiceret; tunc compositio ipsa in scriptis, atque ita ut vere valida sit, peragi debet; secus enim facile lis renovari posset, et ordinarie de solis verbis non est fidendum.

si ageretur de personis valde potentibus) Episcopum certiorare eiusque consilio stare oportebit. Vide dicta *art. praec. n. 549 et seq.* et S. Lig. (*Hom. Ap. Tr. VII. C. IV n. 31*).

### CAPUT XXI.

#### De parochio quoad discordias sopiendas et pacem inter inimicos componendam.

563. *Notitia habita alicuius discordiae, debetne semper parochus operam suam interponere?* Negative; sed solum quando de re valde momentosa agatur, et parochi interventus utilis et necessarius esse videatur.

564. *Quid si discordia sit occulta?* Tunc parochus caute procedat, neque facile offensorem advocet; ne forte suspicetur partem offensam rem ei detulisse, et sic animi magis magisque exacerbentur. Mulieres speciatim recurrere solent ad parochum cum mille querimoniis. Parochus non facile credat; ordinarie enim exaggerant, et saepe ipsae et non alii in culpa sunt. Illas ad patientiam, maxime vero ad occasionem non dandam adhortetur; et fere in quovis casu, saltem donec res notoria non evaserit, a personali interventu absteineat.

565. *Quid si de iurgiis foeminarum res sit?* Practice ex parochi interventu nihil boni obtineri solet; illae enim rationes parum intelligunt, et aliunde *non est ira super iram mulieris.*

566. *Quid si discordia ab aliqua prava consuetudine ortum habuerit, v. g. inter iuvenem et genitores puellae ab eo seductae?* Tunc curabit quidem parochus ut discordiae excessus evitentur, sed cavebit ne pax ita firmetur, ut pristina consuetudo prava renovetur.

567. *Quinam est modus practicus pacem componendi?* Discordiae notitia habita, parochus (si videat operam suam esse interponendam) illico, nullaque interiecta mora (maxime si magni excessus intra breve tempus reformi-

dandi sint), advocare debet litigantes (aut ad illos se conferre), eosque audire; sed seorsim. Bene erit si parochus (alios etiam caute interrogando) verum rei statum cognoscat; sed, quamvis animadverterit quis rationem habeat, ab hoc iudicio suo proferendo (nisi forte agatur de re evidentissima) non solum cum litigantibus sed etiam cum aliis omnino absteineat, nec litigantes de mendaciis redarguat; secus enim periculum adesset, ne contra illum ipsum ira excandescere inciperent. Parochus itaque ad modum non iudicis sed patris procedat, totusque in eo sit ut pericula et damna tum corporalia tum spiritualia, quorum discordia ferax est, partibus ostendat, illasque ad pacem inducat. Uno verbo parochus palam faciat non eo animo se ingerere ut facta praecedentia iudicet aut puniat; bene vero ut malas consequentias, quae in posterum ex discordia accidere possent, praeveniatur et impediatur. Si tamen ageretur de viduis aut pupillis inique oppressis, aut de parochianis offensis a personis exteris; tunc eorum partes apertius tueri posset. Interdum expedit ut per tertiam personam reconciliationem procuret. Si pars laesa in reparatione exigenda (quae reapse ei debeat) firma remaneat, parochus curabit ut offensorem illam praestet. Si reparatio pacifice obtineri nequeat, et una pars tribunalia adire velit; tunc parochus (nisi agatur de dictis pupillis etc.) id expresse non approbet; et, sin minus dissuadeat, saltem passive se habeat. Si partes ad pacem coram parochio firmandam se induxerint, non est permittendum ut de iniuriis praeteritis verba faciant (ne discordia renovetur); sed exigendum dumtaxat ut super omnia lapidem (ut vulgo dicitur) ponant, et sic in christiana pace et charitate conversentur. Notandum denique quod si compositio rerum temporalium divisionem vel pecuniae solutionem in posterum exequendam respiceret; tunc compositio ipsa in scriptis, atque ita ut vere valida sit, peragi debet; secus enim facile lis renovari posset, et ordinarie de solis verbis non est fidendum.



## CAPUT XXII.

De parochis quoad adiutores sibi adiungendos,  
et speciatim quoad vicarium,  
seu (ut nos dicimus) capellanum.

568. *Habetne parochus revera obligationem istam et quando?* Affirmative, si eius personalis opera populi necessitatibus non sufficiat. Ad hoc etiam ab Episcopo cogi potest, dicente Tridentino (*Sess. XXI. iv*): « Episcopi, « etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati, in omnibus « Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios ad quos de iure pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum Divinum celebrandum ». Vide dicta n. 71. 197. 490.

469. *Quid si in dioecesi, ubi sacerdotes satis abundant, parochus dicat se non posse invenire vicarium, vel alios qui illum coadiuvent?* Si alii ordinarie coadiutores inveniant, tunc parochus culpae propriae tribuat si illos invenire nequeat. Ratio enim facile est quia congruam retributionem eis dare non vult, vel quia nimis asper procedit etc. Avaritiam expellat, bonisque modis se gerat, et coadiutores non deerunt. Vide infra n. 574.

570. *Quid si parochus redditus sufficientes in hunc finem non haberet?* S. C. C. (16 Apr. 1639) dixit: « Supposita numerositate populi et tenuitate reddituum « Prioratus, cui adnexa est curam animarum, cogendum « esse ipsum Priorem sibi adiungere pro administrandis « sacramentis et cultui Divino peragendo, sacerdotem; « eique subministranda esse per populum ad vitam sustentandam necessaria ». Caeterum Benedictus XIV. (*Instit. XCIV. 7*) notat, non valere excusationem eorum,

qui dicunt non habere media praebendi alimenta et stipem vicario, dum interim consanguineos alunt, et forsitan pro iisdem capitalia accumulunt.

571. *Quid notandum circa vicarii electionem?* In hoc parochus cautissime procedat; non solum enim considerare debet an corporis viribus polleat; sed etiam, imo praecipue, utrum quoad mores de ipso plene fidendum sit; nec facile sacerdotem iuvenem (etsi sanctum) eligat, si in parochiali domo foeminae iuvenes (v. g. parochi ipsius neptes) adsint. Vae parochis qui in necessitate versantur vicarios perversos aut tolerandi aut dimittendi! Perpendendum est quoque utrum, considerata indole tum parochi tum vicarii, sperari possit quod invicem iugiter bene procedere valeant.

572. *Potestne parochus adsciscere sibi vicarium sine approbatione Episcopi?* Negative. Poterit quidem parochus, inconsulto Episcopo, adsciscere sibi sacerdotem qui illum adiuvet ad breve tempus et in aliqua circumstantia extraordinaria; sed, si agatur de vicario stabili, approbatio Ordinarii exigitur; nec sufficeret si ad confessiones, vel etiam ad praedicationem, esset approbatus. Id decisum fuit, ut videre est apud Vecchiotti (*I. § 86*) et *Monitore Eccl. (IV. 1. 221)*.

573. *Quid de parochis qui omnia vel fere omnia Vicario committeret?* Vulgare est effatum: *Qui omnia facit per capellanum non satisfacit*; munia enim maioris momenti sunt omnino personalia. Quoad Missam pro populo vide n. 90. Quoad sermonem ad populum n. 132. Quoad pueros catechizandos n. 162. Quoad confessiones audiendas n. 197 et 223. Quoad SS. Eucharistiae administrationem n. 187 et n. 256. Quoad assistentiam moribundorum n. 489. Quoad matrimonium n. 443 et sq. Quoad baptismum n. 178 III.

574. *Quomodo se gerere debet parochus erga suum vicarium?* 1º Illum nimis non oneret; et, saltem in casibus extraordinariis, assistentiam moribundorum aliosque

labores cum ipso dividat. 2<sup>o</sup> Caveat solertissime a quadam invidia, quae valde facile suboritur, si forte parochiani illum laudent, vel eum cum praeferebatia advocent, vel ad eius confessionale maiori numero accedant. Quid si parochus ex zelothypia accurrere vellet ipse, quando parochiani non illum sed vicarium desiderant; aut si semper in eo esset ut illum censuraret? 3<sup>o</sup> Parochus sincero amore vicarium suum diligat, illumque tamquam socium laboris in vinea Domini, et tamquam brachium suum dextrum consideret; et, si in domo parochiali habitet, quoad victum et alia omnia (maxime vero si infirmetur), tamquam fratrem illum habeat. 4<sup>o</sup> Honore debito illum privatim et publice prosequatur, nec permittat ut quisquam minus reverenter erga eundem se gerat. Quid de parochis qui a vicario servitia, quae sacerdotali dignitati nullo modo conveniunt, exigunt, illoque tamquam vili famulo utuntur? 5<sup>o</sup> Optimum factu est si parochus deambulando, vel optimates visitando, vel ad infirmos se conferendo, vicarium suum (nisi aliquid obstet) secum habeat. 6<sup>o</sup> Identidem illum laudet, ut animum sumat. 7<sup>o</sup> Leves defectus dissimulet, toleret, aut humanissime corrigat. Vigilet tamen (speciatim in primis annis et maxime si foeminae iuvenes in domo parochiali adessent), et si forte aliquid grave deprehendat, de seria correctione cogitet, et interdum de dimissione; quae nihilominus ad casum extremum reservari debet, ne incidat in Syllam dum vult vitare Charybdim; multo magis quia frequentes mutationes nedum admirationi sed etiam scandalo paroeciae esse solent, et tam parochi quam vicarii famae ut plurimum praeiudicant. 8<sup>o</sup> Cavendum speciatim ne vicarius otiosus remaneat, aut parochianorum domos non vocatus frequentet. Parochus libros opportunos ei tradat, conferentias modo theologicas, modo liturgicas, modo asceticas cum ipso habeat, quin tamen illum tamquam discipulum tractet. 9<sup>o</sup> Denique (quod supremi momenti est) bonum exemplum ei praebeat.

575. *Quid si parochus propter corporis aut mentis perpetuam infirmitatem iam prorsus inhabilis esset?* Tunc, nisi vicarius Episcopo benevisus iam adsit, coadiutor ab Episcopo ipso nominandus (parochus quoque relictante) assignari potest. Cf. Lucidi (I. III. 274). Vide dicta n. 71 et seq.

### CAPUT XXIII.

#### De parochus quoad scandalum non dandum, bonum exemplum praebendum, et existimationem sibi procurandam.

576. *Quid de scandalo in parochus?* Scandalum in parochus quid horribile est. Parochus scandalosus gregem, qui ab illo salvari deberet, ad perditionem impelleret; seductiones valde faciliores redderet (dicerent quippe non pauci: Eia age, sic faciamus, quia sic facit etiam parochus); fidei ipsi valde noceret (dicerent enim etiam: Si infernus vere adesset, parochus non ita faceret); non suam paroeciam dumtaxat sed finitimas quoque suis scandalis laederet; denique aliis etiam sacerdotibus, cum maximo religionis damno, praeiudicium inferret; ut enim dicebat S. Augustinus, malevoli dum ab uno sacerdote crimen admitti vident, *instant, satagunt, ambiunt ut de omnibus hoc credatur.*

577. *Scandalum consistitne solum in delictis?* Negative: sed consistit etiam in imprudentiis, quae male suspicandi occasionem praebent.

578. *Quid de parochus qui diceret: Sum ruri, sum in montibus: parochiani sunt simplices et ignorantes; non oportet ut multas cautelas adhibeam et paulo liberius procedere possim?* Parochus qui sic diceret, quam maxime se illuderet. Rustici malitiosissimi sunt, atque ad suspectus concipiendos, imo ad res sinistre prorsus interpretandas, sunt multo magis proclives quam cives.

labores cum ipso dividat. 2<sup>o</sup> Caveat solertissime a quadam invidia, quae valde facile suboritur, si forte parochiani illum laudent, vel eum cum praeferebatia advocent, vel ad eius confessionale maiori numero accedant. Quid si parochus ex zelothypia accurrere vellet ipse, quando parochiani non illum sed vicarium desiderant; aut si semper in eo esset ut illum censuraret? 3<sup>o</sup> Parochus sincero amore vicarium suum diligat, illumque tamquam socium laboris in vinea Domini, et tamquam brachium suum dextrum consideret; et, si in domo parochiali habitet, quoad victum et alia omnia (maxime vero si infirmetur), tamquam fratrem illum habeat. 4<sup>o</sup> Honore debito illum privatim et publice prosequatur, nec permittat ut quisquam minus reverenter erga eundem se gerat. Quid de parochis qui a vicario servitia, quae sacerdotali dignitati nullo modo conveniunt, exigunt, illoque tamquam vili famulo utuntur? 5<sup>o</sup> Optimum factu est si parochus deambulando, vel optimates visitando, vel ad infirmos se conferendo, vicarium suum (nisi aliquid obstet) secum habeat. 6<sup>o</sup> Identidem illum laudet, ut animum sumat. 7<sup>o</sup> Leves defectus dissimulet, toleret, aut humanissime corrigat. Vigilet tamen (speciatim in primis annis et maxime si foeminae iuvenes in domo parochiali adessent), et si forte aliquid grave deprehendat, de seria correctione cogitet, et interdum de dimissione; quae nihilominus ad casum extremum reservari debet, ne incidat in Syllam dum vult vitare Charybdim; multo magis quia frequentes mutationes nedum admirationi sed etiam scandalo paroeciae esse solent, et tam parochi quam vicarii famae ut plurimum praeiudicant. 8<sup>o</sup> Cavendum speciatim ne vicarius otiosus remaneat, aut parochianorum domos non vocatus frequentet. Parochus libros opportunos ei tradat, conferentias modo theologicas, modo liturgicas, modo asceticas cum ipso habeat, quin tamen illum tamquam discipulum tractet. 9<sup>o</sup> Denique (quod supremi momenti est) bonum exemplum ei praebeat.

575. *Quid si parochus propter corporis aut mentis perpetuam infirmitatem iam prorsus inhabilis esset?* Tunc, nisi vicarius Episcopo benevisus iam adsit, coadiutor ab Episcopo ipso nominandus (parochus quoque relictante) assignari potest. Cf. Lucidi (I. III. 274). Vide dicta n. 71 et seq.

### CAPUT XXIII.

#### De parochus quoad scandalum non dandum, bonum exemplum praebendum, et existimationem sibi procurandam.

576. *Quid de scandalo in parochus?* Scandalum in parochus quid horribile est. Parochus scandalosus gregem, qui ab illo salvari deberet, ad perditionem impelleret; seductiones valde faciliores redderet (dicerent quippe non pauci: Eia age, sic faciamus, quia sic facit etiam parochus); fidei ipsi valde noceret (dicerent enim etiam: Si infernus vere adesset, parochus non ita faceret); non suam paroeciam dumtaxat sed finitimas quoque suis scandalis laederet; denique aliis etiam sacerdotibus, cum maximo religionis damno, praeiudicium inferret; ut enim dicebat S. Augustinus, malevoli dum ab uno sacerdote crimen admitti vident, *instant, satagunt, ambiunt ut de omnibus hoc credatur.*

577. *Scandalum consistitne solum in delictis?* Negative: sed consistit etiam in imprudentiis, quae male suspicandi occasionem praebent.

578. *Quid de parochus qui diceret: Sum ruri, sum in montibus: parochiani sunt simplices et ignorantes; non oportet ut multas cautelas adhibeam et paulo liberius procedere possim?* Parochus qui sic diceret, quam maxime se illuderet. Rustici malitiosissimi sunt, atque ad suspectus concipiendos, imo ad res sinistre prorsus interpretandas, sunt multo magis proclives quam cives.

Adde quod, dum in civitatibus plurimi de parcho non curant, ruri e contra oculi omnium ad illum diriguntur. Cf. Frassinetti (*Man.* 530).

579. *In quo consistit bonum exemplum a parcho praebendum; et cur necessarium?* Consistit in sanctitate vitae, quae sit 1° non ficta sed vera; 2° non communis sed exemplaris. Est autem necessarium, quia sine illo caetera omnia parum vel nihil valerent.

580. *Quomodo parochus existimationem sibi procurabit; et cur id exigitur?* Existimationem sibi procurabit 1° praedicta sanctitate vitae; 2° prudentia; 3° doctrina; non vero divitiis, potentia saeculari, superbo incessu, magnis obiurgationibus etc. Exigitur autem quia, ea seclusa, parochiani neque reverentiam, neque confidentiam erga illum haberent; et proinde eius monita, consilia, correctiones etc. parum valerent imo ordinarie despicerentur.

581. *Bona existimatio estne semper necessaria eodem modo?* Est semper necessaria; sed speciatim in initio; tunc enim parochiani parochum magis observant. Unicus error, quem tunc committat, sufficere potest, ut sinistrum conceptum statim de eo efforment; et quidem ita ut difficillimum sit, quod unquam in posterum bonam existimationem de illo sint habituri.

582. *Quale est scandalum magis perniciosum quod dari potest a parcho?* Est scandalum in genere impudicitiae.

583. *Quaenam sunt regulae principales a parochis stricte observandae quoad consuetudinem cum foeminis?* 1° De iure communi (imo et naturali) parochi (et idem dic de quibuslibet clericis) evitare debent quamlibet consuetudinem suspectam. Trid. (XXV. XIV) dicit: « Prohibet S. Synodus quibuscumque clericis, ne... mulieres de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant ». Hoc tamen intellige de suspicione non temeraria; unde ordinarie oportet ut aliquid saltem minus rectum subsistat vel im-

prudencia aliqua irrepserit. 2° Leges insuper dioecanas (si quae vigeant et rem istam magis determinent) parochi observare tenentur. In non paucis dioecibus licentia Episcopi expressa exigitur, antequam in domo parochiali aliqua foemina (quae non sit consanguinea vel ultra quadragenaria) stabiliter recipiatur. Optandum ut lex adeo salutaris ubique adesset et vigeret.

584. *Veniendo magis ad particularia (et praescindendo semper a legibus vel consuetudinibus specialibus), quid de foeminis sive consanguineis sive affinibus in domo parochiali retentis?*

I. Istae ordinarie, quamvis in iuventutis flore essent, nullum suspectum contra parochum ingerunt. Quidam (Bouix, Schmalgr. etc.) excipiunt uxorem fratris eo vivente; sed Benedictus XIV (*Inst.* LXXXII. 1) dicit, posse parochum cohabitare cum uxore fratris, sive ipse inter vivos agat, sive vita decesserit. Ut tamen iventus non obstet, oportet ut de gradibus propinquioribus agatur; nempe (ut explicat idem Benedictus XIV *l. c.*) de primo et secundo gradu consanguinitatis (cuiusmodi sunt sorores, neptes sive ex fratre sive ex sorore, atque primae consobrinae); et de solo primo gradu affinitatis, nisi forte de uxore avunculi defuncti (quae est in 2° gr.) res esset.

II. Oportet insuper ut hae consanguineae (sive ivenes sint sive aetate proveciores) nedum nullum positivum suspectum de turpi relatione cum parcho dederint (ut supra innuebam): sed etiam ut absolute bona fama gaudeant, et nullo ex capite paroeciae scandalum praebeant; secus enim nequidem ad earum procurandam emendationem parochus eas acceptare posset, ut rectissime docet Frassinetti (*Man.* n. 520).

III. Oportet denique ut propter particulares circumstantias parcho ipsi periculosae non sint. Circumstantiae huiusmodi essent non solum si lapsus iam locum habuissent; sed, iis quoque seclusis, si quaedam sympathia a sensualitate non seiuncta intercederet. Haec a pulchritu-

dine, maxime vero ab indole cara et amabili, procedere solet; atque facillime (si parochus nonnihil ad venerea pronus et fragilis esset; maxime vero si solus cum sola commoraretur) prius ad confidentias impellet, et dein ad scelera manifesta, quae probabilissime peccatorum catenam efformabunt et nunquam finem habebunt. Et notandum quod status huiusmodi adhuc horribilior esset, quam si de famula ageretur; quando enim de consanguinea vel affine agitur, illius eiectio valde difficilior et subinde moraliter impossibilis esse solet; unde miserrimus parochus in verissimo quasi inevitabilis damnationis laqueo versaretur. Quid enim si dicta mulier esset uxor fratris, quae cum marito et filiis in domo parochiali habitaret? Adde quod tunc matrimonium istud scelera omnia velaret, et hac etiam de causa (nullo infamiae timore a nefanda consuetudine retrahente) miserabilissimi parochi status peior esset.

IV. Quamvis itaque canonistae et theologi (rem hanc sub solo respectu decentiae externae considerando) facile concedant, ut parochus mulieres consanguineas vel affines (ut supra) secum retinere possit; tamen, priusquam illas acceptet, omnia serio consideret et discretionem magnam adhibeat, ne in huiusmodi abyssum se coniciat. Heu quot parochi, speciatim occasione uxoris fratris viventis domi retentae, damnantur! Cf. Frassinetti (*l. c.* 520).

V. Hac de causa, atque ob alia motiva quam maxime momentosa (de quibus infra *n.* 604 sermo habebitur) solent adesse leges particulares, quae severissime vetant ne parochi fratres aut alios consanguineos coniugatos secum retineant.

585. *Quid de mulieribus extraneis?* Quamvis optandum esset ut parochi potius virorum quam mulierum opera ad famulatum uterentur, tamen ex hodierna Ecclesiae disciplina permittitur ut parochi pro ancilla mulierem extraneam teneant, si nempe vel consanguineas secum non habeant, vel ipsae ad servitia praestanda non sufficiant. At

vero tunc speciales cautelae, maxime circa ancillae ipsius aetatem, necessariae esse possunt.

586. *Quid itaque de aetate ancillae?* In quovis casu ad minus erit semper bonum consilium ut famulae sint aetate proveciores. Attamen, praescindendo a legibus dioecesanis atque etiam a circumstantiis particularibus, distinguere oportet imprimis an parochus cum aliis, an vero cum ancilla sola cohabitet. In primo casu aetas provecior in famula rigore non exigitur; bene vero in secundo. Scripsit Benedictus XIV (*Instit. LXXXII. 3*): « Ipsarum quoque (famularum) aetas cognita sit, ita ut famulae parochi, qui consanguineis careat, quadraginta saltem annos iam absolverint. Aliter tamen discernendum est, si cum parochis etiam mulieres consanguineae versentur... Magnum discrimen interest, cum plures simul mulieres... eadem domo continentur; diverso tamen modo res se habet, cum sola mulier, nulla sanguinis propinquitate, sed famulae tantum conditione accita, cum parochis versatur, qui fortasse per hyemem longissimum noctis spatium non precibus aut libris impendit, sed cum ipsa famula prope ignem vanis colloquiis insumit ».

587. *Exigiturne revera ut ancilla parochi quadragimum annum expleverit, ita ut ille absolute peccet si mulierem talem aetatem non adhuc assecutam acceptet?* Si parochus cum alia famula iam lapsus fuisset, aut sua levitate vel imprudentia suspectus vel dicteria provocasset, ita ut absolute quoad famulas malam famam habeat, tunc, sin minus solius viri opera uti velit, saltem oportebit ut mulierem omnino annosam recipiat, et forsitan quadraginta annorum aetas non sufficiet. Cf. Bened. XIV (*l. c.* 2). Praescindendo ab hoc casu, censeo, considerandam esse praxim in Dioecesi vigentem. Si enim a parochis etiam omnino timoratae conscientiae, vel certe passim sine ulla reprehensione (et quin Episcopi quidquam in contrarium unquam dicant) acceptarentur ancillae quadraginta annorum aetatem adhuc non habentes (dummodo inventutis

florem praetergressae fuerint); tunc peccatum hac in re adesse non videretur; multo magis quia non pauci dantur casus, in quibus invenire personam, quae ex una parte dictam aetatem expleverit, et ex alia honestate, habilitate et sanitate ita gaudeat, ut congruum servitium in domo parochiali praestare possit, vel impossibile esset, vel saltem antequam inveniretur diu expectare oporteret. Apud nos ordinarie videtur sufficere si famula circa triginta annorum aetatem habeat, saltem si quaedam adminicula concurrant, cuiusmodi essent, v. g. aetas provecior in parcho, specialis vitae exemplaritas in ancilla, vel si parochus non esset absolute solus sed famulum quoque haberet, vel si ancilla fuisset etiam prius in domo parochiali vivente matre parochi, et quia optimum servitium semper praestitit, ea quoque mortua, retineri velit etc.

588. *Quid de ancilla coniugata?* Frassinetti (*Man. n. 526*) dicit quod ancilla aut virgo aut vidua esse debet. Quamvis autem Benedictus XIV (*Instit. LXXXII. n. 23*) permittat ut parochus maritum et uxorem pro famulis habeat; certe oporteret nedum ut maritus semper cum uxore sua cohabitaret, sed etiam ut res ista nec diceriis aditum praerberet nec sinistram impressionem in parochianis faceret.

589. *Potestne parochus duas ancillas habere?* Ordinarie negative; sed hoc licitum esse potest solum in aliquo casu; ut puta, si prior ancilla propter senectutem vel habitualement infirmitatem servitiis praestandis sola amplius non sufficeret nec illam dimittere expediret. Cf. Bened. XIV (*Instit. LXXXII. 2*).

590. *Quomodo se gerere debet parochus cum ancilla, ne vel se ipsum in periculum coniiciat, vel etiam suspectibus et scandalo aditum praebat?*

I. Debet firmissimus esse in non incipienda ulla confidentia, quae cum sacerdotali modestia et sanctitate componi nequeat (Cf. Frassinetti *Man. 517*). Vae si inciperet! Vae si turpi passioni tantillum cederet! In hunc finem

caveat a periculo; quod, si tentationibus subiiceretur et solus cum sola habitaret, vere extremum esset. Neque de virtute est fidendum; stellae enim ceciderunt de coelo. Media evitandi periculum (praeter communia orationis, meditationis, frequentis confessionis etc.) sunt 1<sup>o</sup> Quanto minus fieri potest immorari cum illa, et speciatim in circumstantia indicata mox supra (*n. 586*). 2<sup>o</sup> Stare semper in gradu suo, et reverentiam exigere. 3<sup>o</sup> Ancillae confessiones non audire, procurando simul ut apud alium saepe confiteatur.

II. Etsi nihil mali, imo et nihil periculi, subsisteret, cavebit solertissime parochus ne ullam male suspicandi occasionem praebat; ut puta, si permetteret ut ancilla nimis adornata in publicum prodiret; aut si (quod utique peius esset) ipse id procuraret, vestes et ornamenta ei emeret, vel secum (prout speciatim ruri contingere potest) illam sic ornatam in cisio duceret. Idem dic si semper in eo esset ut illam laudaret, vel amoris (etsi honestissimi) significationes expressas ei daret. Foeminae cupiunt amari, et quod amentur facile se iactant et res exaggerant. Criterio carent, leves sunt atque loquaces, et consequentias non considerant. Hinc parochus de bono servitio se quidem contentum demonstrat, sed, potiusquam laudibus et muneribus, in stipendio (discretionem tamen servata) abundet. Caveat autem speciatim ne in testamento nimiam haereditatis partem (attentis circumstantiis et maxime praetermissis consanguineis vel neglecto famulo) ancillae relinquat. Denique non permittat ut illa, speciatim coram aliis, arroganter respondeat, quoddam imperium ostendat et quasi domina procedat; maxime vero non sinat ut in rebus paroeciae se ingerat.

591. *Quid notandum circa alias foeminas, quae famulae non sunt?* Videndum imprimis an locum habeat frequentia, vel non.

592. *Quid si frequentia locum non habeat; quo modo scilicet gerere se debet parochus cum foeminis, quae pro*

*casibus fortuitis ad illum se conferant, vel cum quibus extra domum parochialem casu loquitur?*

I. Seclusa etiam frequentia cum aliqua in particulari, non leve scandalum daret parochus si habitualiter tractu nimis festivo cum foeminis omnibus (speciatim iuvenibus) procederet; facetiis et levitatibus cum iisdem indulgeret; diutius et libentius cum illis quam cum viris moras trahe- ret etc.

II. Non sufficit ut parochus pravum huiusmodi habitum non habeat; sed exigitur ut in casibus particularibus 1° Quo citius fieri potest se expediat. 2° Oculorum modestiam et sacerdotalem gravitatem (quae tamen cum rustica duritie confundi non debet) servet. 3° Nimiam corporum propinquitatem rigurose evitet. 4° Manum foeminae ad se venientis non apprehendat; et, si forte apprehensio ista (propter patriae morem, qui personis quoque ecclesiasticis communis esset) sine inurbanitate declinari nequiret, levissime prorsus et fugaciter id fiat. 5° Caveat ne si quid matri denegasset, illud filiae preces renovanti, concedat; imo, si filia notabile subsidium peteret, facile expedire potest ei indicere ut mater vel pater se praesentet. 6° Si ageretur de foemina malae famae, tunc prudentia omnino specialis necessaria foret; sive illa ad parochum sive parochus ad illam se conferret, ut per se patet. 7° Denique in quovis casu optimum consilium est, ut, dum colloquium cum foemina habetur, porta aperta teneatur; atque ut (quantum fieri potest) evitetur ne mulieres extraneae (etsi bonae famae essent) in domo parochiali pernoctent.

593. *Quid si ageretur de frequentia?* Tunc casus longe maioris momenti est; et valde difficile contingere poterit quod parochus modo ex stricta obligatione, et modo ex magna congruitate, frequentiam huiusmodi evitare non teneatur.

594. *Quandonam tenetur parochus ex stricta obligatione frequentiam, de qua loquimur, evitare?* Ratione scandali ad hoc tenebitur 1. Si foemina, quae domum parochialem frequentat, vel ad quam parochus frequenter se confert, sit malae famae, eo quod, v. g. notorie lapsa fuerit (etsi solum cum aliis), nec tractu temporis et bonis moribus famam recuperaverit. 2. Si (quamvis esset boni nominis prorsus) non appareret quo honesto motivo frequentia illa locum haberet; nec sufficeret motivum quod a populo sperneretur. Casum habes in stultissimis illis parochis, qui praetextu conferentiae spiritualis ita se gerunt.

3. Si parochus ipse imprudentis notoriis graves suspectus provocasset. 4. Si foemina amore captam erga parochum se ostenderet, v. g. occasiones eum invisendi semper quaerendo, de illo semper loquendo, munuscula ei praebendo etc.

595. *Quandonam parochus saltem ex magna congruitate foeminae vel foeminarum frequentiam evitare debet?* Quando, etsi motivum honestum non desit, tamen de re periculosa, et dictariis subiecta agatur, neque stricta necessitas urgeat. Ex hoc capite ad minus maxime convenit ut parochus evitet 1. docere puellam aliquam (nisi forte esset adhuc impubes) sive litteras, sive harmonii sonitum etc. 2. Acceptare administrationem rerum temporalium alicuius familiae, si hac de causa frequens relatio cum foeminis (nisi forte essent vetulae), remotis arbitris, contingere deberet. 3. Advocare adolescentulas in domum parochialem diebus festis, ex motivo sic eas a mundi periculi praeservandi. Dixi *ad minus maxime convenit*; vera enim et gravis obligatio abstinendi in his quoque casibus urgere potest ratione periculi. Heu quot miseri sacerdotes in huiusmodi occasionibus naufragium fecerunt! Et heu quot alii etsi innocentissimi, dictariis aut calumniis expositi remanserunt!

596. *Quid si, in casu mulieris consanguineae vel affinis domi retentae, vel in casu ancillae, scandalum subortum fuisset?* Distinguendum inter scandalum subortum 1. quin parochus ullam omnino occasionem ei dedisset; 2. ex lapsu manifesto; 3. ex solis indiciis vel imprudentiis.

597. *Quid si parochus scandalo suborto nullam omnino occasionem dedisset?* Si scandalum istud oriretur dumtaxat ex ignorantia alicuius circumstantiae; tunc circumstantia ipsa prudenter declarari deberet. Si ortum fuisset ex speciali malignitate vel stultitia alicuius; ita ut dictaria quidem nonnulla facta fuissent, sed personae prudentes illa despexissent, vel certe de re ex se ipsa cito evanescente ageretur, tunc parochus ad summum aliquam maiorem cautelam adhibere deberet, sed de caetero ad nihil teneretur; vae enim si parochi, toties quoties aliquid huiusmodi accidit, res suas semper immutare cogentur! Si vero calumnia adeo colorata fuisset, ut neque in declarationibus, neque in constanti bono exemplo, spes collocari valeret; tunc parochus (ut gregem suum utiliter regere posset) sacrificium subire et sic facto ipso calumniam eliminare deberet.

598. *Quid si scandalum ex lapsu manifesto ortum fuisset?* Tunc publica poenitentia, et imprimis totalis separatio ab occasione, necessaria foret, ut per se patet. Aliqua difficultas esse posset si de *re antiqua* ageretur, et non solum iam a longo tempore emendatio subsisteret, sed etiam populus emendationem ipsam supponendi magna motiva haberet. Ego sic dicerem: Si parochus foeminam, quacum olim misere peccavit, sat facile (opportuna eveniente circumstantia) dimittere posset, ad hoc teneretur; ex una parte enim suspectus imminuti quidem sed non prorsus destructi forent, et ex alia obiectum praesens infaustam semper renovaret memoriam et pastoris infamiam semper vivam teneret. Cf. Bened. XIV (*Instit. LXXXIII. 12. 13*). Si autem foemina, nonnisi gravissima incommoda provocando, elici posset (ut puta, si ageretur de uxore fratris cum filiis etc.); maxime vero si exinde novi suspectus et nova scandala provocarentur: tunc (secluso periculo hallucinationis et de consensu Episcopi aut saltem cum consilio virorum prudentium) res in statu quo relinqui possent.

599. *Quid si scandalum non quidem ex lapsu manifesto, sed ex imprudentiis, vel indiciis sive a parocho sive a foemina datis, ortum fuisset?* Tunc certe imprimis ab imprudentiis cessandum esset; durantibus enim imprudentiis et indiciis, quomodo scandalum cessabit? Casus esset si parochus ancillam nimis iuvenem et levem retineret, aut domum sibi non convenientem frequentaret etc. Nec iuvabit dicere: *Sunt malae linguae; sunt calumniae; innocens sum etc.* Cf. Frassinetti (*Man. n. 538*). Si autem in facto per se

irreprehensibili obiter imprudentia aliqua irrepsisset, vel indicium aliquod datum fuisset; tunc casus valde speciem mutaret; si enim imprudentiae et indicia non renoventur, contingere potest quod res ex sese cito ad nihilum redigatur, et quod proinde nulla mutationes faciendi ratione scandali obligatio remaneat.

Sed quid si sive ex gravitate indicii et difficultate quod suspectus evanescent, sive ex lapsibus vere subsistentibus (etsi a populo non pro certo cognitis), parochus occasionem illam (v. g. ancillam) dimittere vere teneretur? Tunc, etsi occasio esset certe dimittenda, tamen in tali dimissione exequenda caute procedendum foret, ne apud populum parochi delictum ex dubio certum evaderet; atque etiam ne ancilla ipsa infamiam subiret. Hinc procurandum foret ut ancilla non eiecta sed motu proprio abiens appareret. Expectari debet etiam tempus opportunum, quale non esset, v. g. statim post exercitia spiritalia a parochi peracta.

600. *Scandalum in genere impudicitiae oriturne solum ex prava vel suspecta relatione cum foeminis?* Negative. Oriri posset etiam ex aliis indicii; cuiusmodi essent v. g. si parochus imagines vel statuas inverecundas domus suae expositas retineret; si notorie libros romanticos et amatorios legeret; si in sermone pudicus non esset; si oculorum modestiam minime servaret; si nimis concinne se vestiendo, odores secum ferendo, comam discriminando etc., se animum libidinosum habere palam faceret.

601. *Praeter impudicitiam quinam sunt alii casus principales scandali in parochi?* Si esset avarus, vel turbolentus, vel ebriosus, vel aere alieno nimis gravatus.

602. *Quid itaque si parochus esset avarus?* Tunc, quamvis multis bonis rarisque dotibus ornaretur, existimatione gaudere non posset; eius praedicatio efficaciam careret; atque omnibus malevisus esset. Frassinetti (*Man. n. 552*).

603. *Quaenam sunt signa praecipua avaritiae?*

I. *Difficultas pecuniam expendendi* (intellige si sit excessiva); ut puta, si parochus, ad parum expendendum, laceras vel sordidas vestes indueret; si domus parochialis, vel fundorum Ecclesiae, vel etiam Ecclesiae ipsius et sacerdotum apparatus, restorationes negligeret; si, quoad mercedem famulis, operariis, aedituis, clericis etc. dandam, nimis subtiliter procederet; aut nimis frequenter in contractibus pro obulo litigaret; si in debitis solvendis tardus esset; si non mortificationis sed pecuniae amore ieiunaret,

vel etiam ad famem patiendam familiares quoque cogeret; si pauperibus eleemosynam non faceret; si, ad nihil vel parum expendendum in vicariis, concionatoribus, confessariis, libris etc., spiritualem ipsam paroeciae curam detrimentum pati sineret etc.

II. *Cupiditas pecuniam acquirendi*; ut puta, si parochus negotiationem exerceret; si fundos conduceret; si tritici aut aliarum rerum (quas vendere debeat) pretii augmentum se nimia aviditate desiderare ostenderet; si ad usuras procederet; si procuraret ut moribundi sibi aut suae Ecclesiae legata relinquerent; si dum aliquod donum, maxime vero pecunia, ei affertur, nimiam laetitiam ostenderet; si ipsam parochianorum mortem cupere aut de illa gaudere palam faceret; si emolumenta funeraria a pauperibus quoque exigeret, aut illa plus aequo adaugeret, aut pro illis inconsultissime litigaret etc.

III. *Fundorum emptio*: si nempe parochus ex bonis patrimonialibus dives non esset; unde patefaceret quod, loco erogandi in eleemosynis aliisve usibus piis fructus beneficium, illos ad possessiones acquirendas convertere studeat.

604. *Quaenam sunt praecipuae occasiones avaritiae?*

1° Amor immoderatus consanguineorum, speciatim si illos secum retineat. 2° Timor excessivus futurarum necessitatum propter infortunia, senectutem etc. 3° Interdum voluntas faciendi aliquam piam foundationem post mortem. His motivis multi quaedam dictamina sibi efformant, quae valde erronea sunt; haec enim non eo usque valere possunt, ut parochi in vita sua contra iustitiam, vel charitatem, vel decorem sacerdotalem, vel munera sive beneficiati, sive rectoris Ecclesiae, sive habentis curam animarum, deficere, et (uno verbo) avaritiam (non sine populi scandalo et gregis sui detrimento) ostendere liceat, ut bene arguit Frassinetti (*Man. n. 854. 455*).

605. *Quid si parochus esset turbolentus?* Hic etiam defectus magnum scandalum ingerere solet, maxime si cum



sacerdotibus quoque in discordia viveret. Turbulentus autem evadit parochus non solum propter indolem iracundam, intolerantiam offensarum et pronitatem ad vindictam; sed etiam propter facilitatem facta aliena censurandi; quod accidere solet speciatim 1° in illis qui ex invidia, et amore proprio adversantur etiam rebus bonis peractis ab aliis; 2° in illis qui ex spiritu contradictionis omnia reprehendunt; 3° in illis (cuiusmodi sunt speciatim iuvenes) qui, nimis praesumendo de se ipsis, temere et sine cognitione causae, criticae subiiciunt quidquid primo intuitu et sub aliquo respectu non bene factum videri potest. Parochi ita se gerentes in continuis discordiis nedum cum parochianis sed etiam (imo praecipue) cum sacerdotibus et aliis parochis versantur; et discordiae istae, uti patet, magnum scandalum producunt. Adde detrimentum auctoritatis, dum gesta aliorum parochorum, vel etiam Episcopi, tamquam male facta traducuntur etc.

606. *Quid de parochis, qui aere alieno se gravant?*

I. Si res eo usque procederet, ut debita solvere nequirent; tunc, propter damnum creditorum (speciatim si essent multi, maxime vero si aliqui forent quoque pauperes), scandalum magnum et valde clamoriferum efformaretur. Adde quod parochus debitis onustus omnem existimationem amittit quoad parochianos; qui insuper (speciatim ruri et in parvis oppidis) rem istam valde aegre ferunt.

II. Occasio principalis qua parochi (plus vel minus) aere alieno se gravant, esse solet excessus expensarum; quia scilicet parochus redditus parochiales non bene perpendit; et, sive nimia consanguineorum familia se gravando; sive in victu, vestitu, equitatu, famulatu, commensationibus, itineribus etc. limites excedendo; sive in subsidiis et eleemosynis abundando; sive fabricas faciendo; sive in negotiis ruinosis se implicando; sive pro his vel illis fideiubendo etc.; multo plus expenderit, quam redditus paterentur.

III. Interdum occasio est etiam quaedam incuria debita ipsa solvendi. Inter alia venit frequentius stipendium ancillae; saepe enim parochi ei stipendium non solvunt; unde v. g. post viginti aut triginta annos servitii, evanesciente parochi ipsius morte, misera mulier tam diuturni laboris mercede prorsus defraudata remanet. Parochus itaque, qui in conscientia quietus esse, et nec in vita nec in morte damna aliis afferre velit, curet ut in fine cuiuslibet anni omnia semper paria sint.

607. *Praeter defectus hucusque recensitos, suntne alia, quae parochi existimationi obsint?* Utique; scilicet praecipue 1° Nimia cum parochianis familiaritas. 2° Familiae propriae inordinatio. 3° Defectus ponderationis in agendo. 4° Exaggerationes et zelus indiscretus.

608. *Quid de nimia cum parochianis familiaritate?*

Haec contingeret si parochus nimis frequenter ad eorum domos se conferret, vel domi propriae illos reciperet (intellige inutilis conversationis et meri solatii causa). Hoc modo parochus proprios defectus omnibus ostenderet. Adde (ut taceam de periculis dieteriorum, zelotypiarum etc.) imminutionem venerationis, et cuiusdam salutaris timoris, nec non confidentiae pro peccatis ei in confessione accusandis. Haec autem agendi ratio adhuc magis pernicioosa esset, si exinde parochus tamquam otiosus et vagabundus haberetur; aut si immoderate ludo indulgeret; aut si nocturno tempore quoque sive extra domum parochialem degeret, sive (familiis id aegre ferentibus) hos vel illos domi suae ad ludendum detineret; aut si helluonem se ostenderet; aut si verba platealia et gradui suo non convenientia plus vel minus frequenter proferret etc.

609. *Quid de inordinationibus in familia parochi?*

Inordinationes istae parochi existimationem valde adimunt, et stupiditatem, ineptitudinem atque incuriam extremam in illo demonstrant; quatenus scilicet nequidem domum suam gubernare valeat; et tam parum de tollendis scandalis sol-

licitus sit, ut in sua ipsa familia illa toleret. Sed hac de re sermo redibit infra.

610. *Quid de defectu ponderationis in agendo?* Speciatim in rebus gravioribus et non obviis, ponderatio, circumspectio, praevisionis consequentiarum, studium, petitio consilii, exiguntur; quae, si ex praesumptione vel superbia vel pigritia vel impatientia vel levitate et temeritate omittentur, errores, et quidem graves, cum non levi existimationis iactura inevitabiles essent. Et notandum quod unus error sufficere potest, ut existimatio prorsus (et forsane sine remedio) amittatur.

611. *Quid de exaggerationibus et de zelo indiscreto?* Caveat parochus ne tamquam mala magna repraesentet ea quae levia, aut solum contra perfectionem sint; et, quatenus res ita ferat, debitas distinctiones faciat. Parochiani (etsi valde rudes essent) exaggerationem intervenire statim cognoscunt; et parochus scrupulosus, exaggeratus et indiscretus, cito existimationem plus vel minus amittit, et periculum subit, ne, ubi etiam recte loquitur, eius dicta spernantur.

612. *Quid si parochus se errasse seu falsam viam iniisse cognosceret?* Curet ne in hoc casu versetur. Attamen errore iam commisso, in illo non se obstinet; sed falsa relicta, viae bonae se committat; quamvis enim ex tali mutatione deduci posset, adeo certe errasse, ut ille ipse errorem suum cognoscere coactus fuerit, tamen ex hoc ipso laus ei obveniret, et in quovis casu obstinare se in errore valde peius esset.

## CAPUT XXIV.

### De parochis quoad benevolentiam et confidentiam sibi procurandam.

#### ARTICULUS I.

*Agitur de re ista circa parochianos in generali.*

613. *Quid de parochis qui de benevolentia sibi procuranda parum sunt solliciti et toti in eo sunt ut parochiani illos timeant?* Errant quam maxime. Quando parochiani parochum amant, a rebus, quas advertunt ei esse ingratas, cavent, et facile monitis illius sive privatis sive publicis obsecundant. Uno verbo, parochus amatus maximum (ad bonum procurandum et malum avertendum) in paroecia sua influxum habet; et proinde benevolentia parochianorum tamquam bonum principalissimi momenti considerari debet. Equidem timore quoque aliquid obtineri poterit; sed certe multo minus; homines enim multo magis amore quam timore trahuntur, et parochus timorem quidem Dei incutere debet, sed non sui ipsius; ad hoc enim pauca admodum media habet; unde tandem res eo desinere solent, ut spernatur, et parochiani praecise in illius despectum peius faciant. Experientia patet quod parochus suis parochianis invisus non solum fere inutilis redditur, sed etiam mala plurima provocat. Et notandum quod unica familia, imo unica persona, quae, in parochi odium, bonum impedire et malum provocare satagat, magnam in paroecia ruinam producere potest.

614. *Quaenam sunt regulae generales, ut parochus benevolentiam sibi procuret?* Sunt tres; nempe 1º Caveat (quantum potest) a rebus, quae parochianis displicere possunt. 2º Abstineat a rebus, quae futurae discordiae periculosae sunt. 3º Faciat ea quae parochianis grata esse solent.

licitus sit, ut in sua ipsa familia illa toleret. Sed hac de re sermo redibit infra.

610. *Quid de defectu ponderationis in agendo?* Speciatim in rebus gravioribus et non obviis, ponderatio, circumspectio, praevisionis consequentiarum, studium, petitio consilii, exiguntur; quae, si ex praesumptione vel superbia vel pigritia vel impatientia vel levitate et temeritate omittentur, errores, et quidem graves, cum non levi existimationis iactura inevitabiles essent. Et notandum quod unus error sufficere potest, ut existimatio prorsus (et forsane sine remedio) amittatur.

611. *Quid de exaggerationibus et de zelo indiscreto?* Caveat parochus ne tamquam mala magna repraesentet ea quae levia, aut solum contra perfectionem sint; et, quatenus res ita ferat, debitas distinctiones faciat. Parochiani (etsi valde rudes essent) exaggerationem intervenire statim cognoscunt; et parochus scrupulosus, exaggeratus et indiscretus, cito existimationem plus vel minus amittit, et periculum subit, ne, ubi etiam recte loquitur, eius dicta spernantur.

612. *Quid si parochus se errasse seu falsam viam iniisse cognosceret?* Curet ne in hoc casu versetur. Attamen errore iam commisso, in illo non se obstinet; sed falsa relicta, viae bonae se committat; quamvis enim ex tali mutatione deduci posset, adeo certe errasse, ut ille ipse errorem suum cognoscere coactus fuerit, tamen ex hoc ipso laus ei obveniret, et in quovis casu obstinare se in errore valde peius esset.

## CAPUT XXIV.

### De parochis quoad benevolentiam et confidentiam sibi procurandam.

#### ARTICULUS I.

*Agitur de re ista circa parochianos in generali.*

613. *Quid de parochis qui de benevolentia sibi procuranda parum sunt solliciti et toti in eo sunt ut parochiani illos timeant?* Errant quam maxime. Quando parochiani parochum amant, a rebus, quas advertunt ei esse ingratas, cavent, et facile monitis illius sive privatis sive publicis obsecundant. Uno verbo, parochus amatus maximum (ad bonum procurandum et malum avertendum) in paroecia sua influxum habet; et proinde benevolentia parochianorum tamquam bonum principalissimi momenti considerari debet. Equidem timore quoque aliquid obtineri poterit; sed certe multo minus; homines enim multo magis amore quam timore trahuntur, et parochus timorem quidem Dei incutere debet, sed non sui ipsius; ad hoc enim pauca admodum media habet; unde tandem res eo desinere solent, ut spernatur, et parochiani praecise in illius despectum peius faciant. Experientia patet quod parochus suis parochianis invisus non solum fere inutilis redditur, sed etiam mala plurima provocat. Et notandum quod unica familia, imo unica persona, quae, in parochi odium, bonum impedire et malum provocare satagat, magnam in paroecia ruinam producere potest.

614. *Quaenam sunt regulae generales, ut parochus benevolentiam sibi procuret?* Sunt tres; nempe 1º Caveat (quantum potest) a rebus, quae parochianis displicere possunt. 2º Abstineat a rebus, quae futurae discordiae periculosae sunt. 3º Faciat ea quae parochianis grata esse solent.

615. *Quomodo cavebit a rebus, quae parochianis displicere possunt?*

I. Caveat ab iracundia (speciatim si ex indole ad illam sit proclivis). Caveat insuper a superbia, ab avaritia, et uno verbo a pravis passionibus. Caveat etiam a zelo indiscreto et prudenter se gerat. Zelus indiscretus parochianos offendit, speciatim in sequentibus casibus: 1° Si parochus in inquisitionibus faciendis limites excederet, iuxta dicta *n. 543 et seq.* et maxime si foeminas omnia minutula ei deferentes audiret eisque fidem praestaret. 2° Si nimis frequenter aut nimis acerbe parochianos corrigeret. 3° Si in iis quoque rebus, in quibus parochiani a parochio nullo modo dependere tenentur, nec parochus ullam obedientiam exigendi ius habet, dependentiam et obedientiam exigeret. Casum habes in parochio, qui exigat, ut parochianae ab eo dependeant plus quam moniales ab abbatisa; ab iisque non solum legum Dei et Ecclesiae observantiam, sed etiam ea quae perfectionis sunt, aut fortasse, inspectis circumstantiis nequidem ad consilium pertinent, mordicus praetenderet. Vae si puella capillos hoc vel illo modo componat; vel in veste tale vel tale ornamentum habeat; vel ad fenestram se praesentet etc. Vae si parochianae aliquid faciant, vel alicubi se conferant, quin prius licentiam ab eo petiverint. Vae si, potius quam ad paroeciam, ad aliam Ecclesiam se contulerint etc. Vae, inquam, si ita se gererent; statim enim parochus ad obiurgationes, minasque recurreret, magnumque strepitum faceret. Talis agendi ratio nedum molestiam, sed etiam vexationem intolerabilem includeret, et nedum devotionem sed etiam iugum Dei nimis grave et odiosum redderet. Vide etiam dicta (*n. 548*)

II. Dissidia, contentiones et altercationes sedulissima cura evitet. Lites luridicas (nisi forte in casu extremo) cum parochianis (et maxime cum piis confraternitatibus) non instituat; et prius omnia media pacifica tentet, atque compositionem (quamvis non adaequatam) facile acceptet.

III. Nihil mali de parochianis dicat, neque fidat fore ut eius dicta secreta serventur. Ne ex facetia quidem riculum aliquem reddat.

IV. Vigilet ne famuli et familiares male tractent parochianos, aut de iisdem aliquid mali dicant: et nunquam permittat ut cum ulla familia inimici sint.

V. Nullam personarum acceptionem habeat, nullamque domum frequentius prae aliis adeat; id enim (praeter alia inconvenientia) aliarum familiarum invidiam provocaret.

VI. Contra politicas factiones, quamvis iniquas (maxime si optimates quoque eis adhaerent), fanaticus non sit; ex hoc enim facile accidit quod parochus ad factionum domos ratione sui officii se conferens, non excipitur, et (ut ita dicam) portam perpetuo clausam inveniat. Modus autem non deest sana principia aperte profitendi et malum, quod in sectis subversivis invenitur, ostendendi, quin fanaticae nimisque irruenter et sine prudentia ulla procedatur.

VII. In concionibus (ut iam alibi notabam) caveat ne ita loquatur, ut aliqui indignentur aut rubore suffundantur; prout contingeret si contra factum recens a paucis personis commissum declamaret, et maxime si personae ipsae concioni praesentes essent.

VIII. Si parochus semper procurare debet ne displicentias (intellige non necessarias) provocet, id maxime verum est in duobus casibus: 1° Si ageretur de re quae paroeciam totam, aut magnam eius partem, aut familias potentiores, acriter esset offensura. 2° Dum primitus ad paroeciam se praesentat; tunc enim mutationes ingratae et non rationabiles valde maiorem impressionem facere maioremque magisque diuturnam contra parochum aversionem producere solent.

IX. Caveat ne immerito vel imprudenter alicuius personae amorem proprium offendant. Hinc iustas praeminentias et distinctiones, prout de more, tribuat. Exemplum habes, v. g. in publicationibus matrimoniorum (si forte

eodem die viri nobilis et plebaei matrimonium publicari deberet); in distributione cereorum ruri in festo Purificationis B. M. V. (intellige ubi talis est mos), illos scilicet prius advocando, qui maiorem oblationem fecerunt; in processionibus; dando, v. g. lumina, aut assignando delationem baldachini vel sacrae Imaginis, iuxta merita erga Ecclesiam, nobilitatem etc. et imprimis iuxta consuetudinem. Et idem dic de similibus.

X. Caveat speciatim ne quoad bona fortunae parochianis nimiam molestiam, maxime vero damnum, inferat. Hinc parassitationem (ut n. 499 innui) evitet. Occasione funerum aut festorum, non sollicitet familias ad expendendum ultra vires proprii status, ut ea solemniora faciant. Circa iura stolae occasione funerum sit iustus et discretus; imo in quibusdam casibus (qui caeteroquin rarissimi esse solent) etiam de iuribus suis (ad contentiones evitandas et ne maiora mala sequantur) aliquid remittere poterit; et maxime quoad pauperes, quibus (idque bene notet) gratis aut fere gratis operam suam praestare tenetur. Quoad oblationes voluntarias (v. g. pro animabus purgantibus, pro SS.mo Sacramento etc.) nimis non insistat, nec (eo quod parum collectum fuerit) querimonias moveat. Nemini occasio damni sit, ut alteri lucrum obveniat; et speciatim quoad testamenta cautelas supra (n. 500 et seqq.) indicatas adhibeat. Praecipue demum (saltem generatim) caveat ne eius opera parochiani in carcerem detrudantur, officia lucrosa amittant, a possessionibus quas colunt eiiciantur, aut alia gravia damna subeant; nec de secreto fidat.

616. *Nunquid ergo parochus a qualibet parte odiosa abstinere debet, et nunquam tenebitur ad ea, ex quibus aliquorum malevolentia aut odium ei obvenire possit?* Id non dico. Parochus tenetur certe contra vitia clamare; exigentis, quibus satisfieri nequit, non satisfacere; in sacramento confessionis poenitentes ad turpes amicitias obtruncandas obligare etc.; nec propter malevolentiae vel odii timorem a suo munere adimplendo se eximere potest.

Apostolus Paulus dicebat: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Dico itaque 1º Malevolentiam non esse provocandam sine necessitate; saepe enim parochus finem suum obtinere potest ita caute, industrie et prudenter, ut nullam contra seipsum malevolentiam suscitet. 2º Videndum an adsit spes fructus; ut quid enim odia contra se ipsum concitare et familias sibi inimicas reddere sine ulla utilitate? 3º Subsistente etiam spe fructus, videndum ne simul cum hoc bono effectu mala aliqua exortura sint, et ne forte timendum sit ne malum superet bonum. Inter haec mala computari debet quoque hoc ipsum odium parochi, speciatim si de offensione gravissima, aut non de unica persona vel familia sed de pluribus ageretur, maxime vero si casus essent frequentes aut adeo publici malamque impressionem facientes, ut parochus toti parociae se invisum redderet. Si ageretur de odio mortali et de periculo vitae, ipsa mors parochi damnum spirituale non leve esse posset, maxime si tanta adesset sacerdotum penuria ut parocciis providere difficile foret; tunc enim vita parochorum speciali modo pretiosa redderetur. Dico 4º quod, non propter quaecumque parochianorum utilitatem aut necessitatem, parochus tenetur suam vitam in serium discrimen conicere. S. Lig. (II. 39) dicit, parochum ad id teneri solum in casu necessitatis extremae aut gravis; qualis certe non adest quando parochiani etiam sine auxilio et opera parochi, possent absque magna difficultate sibi consulere si velint. Dico 5º quod obligatio parochorum ad partes odiosas adimplendas non eo usque extendi potest, ut ipsum officium parochi valde odiosum reddatur: secus enim quisnam huiusmodi officium acceptare vellet? Dico 6º optimam regulam esse observare an talis vel talis obligatio iam communiter recognoscatur; et in dubio (si de re momentosa agatur) Episcopum esse consulendum. S. Lig. (III. 360).

617. *Quomodo parochus abstinerebit a rebus quae futurae discordiae periculosae sunt?*

I. In negotiis temporalibus (quae diurnitatem praeferant) cum parochianis se non liget; ministros nempe et famulos ex familiis de paroecia (speciatim ruri) non eligat; et officia executoris testamentarii, tutoris et curatoris, quantum potest, declinet. Curet etiam ne proprii consanguinei parochianis nubant et in paroecia domicilium figant. Soetler (II. VI).

II. Familiaritates, quae durare nequeunt atque in discordiam desiniturae sunt, sedulo evitet; unde divitibus, personisque superbis, iuxta proverbium *nec prope nec procul*, benevolentiam quidem ostendat, sed strictiorem amicitiam cum iisdem non contrahat, eorumque visitationes et conversationes frequentes atque prandia modo urbano declinet; idque maxime si increduli aut vitiosi essent, ne eorum errores et vitia approbare videatur. Imo facile expedit ut parochus cum nullo parochiano strictam familiaritatem habeat.

618. *Quid de praestandis a parochis, ut faciat ea quae parochianis grata esse solent?* Sciat imprimis, parochianis rem gratissimam esse si ipsorum parochus sit sanctus, doctus et prudens; de hoc enim magnum gaudium ostendere et se iactare solent. Deinde parochus demonstret sibi valde cordi esse pauperes et operarios; ad populi enim benevolentiam comparandam nihil magis conducit (sed de re ista sermo redibit infra). Divites honore prosequantur. In genere autem loquendo, parochianos suos omnes diligat sincero et vere paterno amore, quem ostendat verbis et factis.

619. *Quid de verbis?* Affabilitatem (quae benevolentiam quam maxime conciliat) vultu ilari omnibus ostendat, quin differentiam ullam inter divites et pauperes faciat. Quando parochiani bene se gerunt, eos (etiam publice) laudet. In correctionibus autem persuasiones et blandos modos adhibeat.

620. *Quid de factis?* Voluntatem mutandi paroeciam (nisi necessitate cogeretur) nec demonstret nec habeat. In

medio filiorum suorum libenter commoretur; quanto minus enim longe a paroecia in gyrum ibit, tanto magis a suo populo amabitur. Ipse discessus ratione praedicationis (si nimis frequens esset) parochianis ingratus esse solet. Ecclesiae decorem procuret, et functiones horis populo commodis peragat; confessionali attendat; magnam puerorum et infirmorum curam demonstret; et uno verbo muneribus suis plene satisfaciat. Si parochiani operam illius petant, statim et libenter eis obsecundet, aliaque negotia, amicos, imo et ipsam orationem, deserat; neque sinat ut iterum petere aut diutius expectare cogantur. Idque (repeto) sine ulla personarum acceptione; et quamvis petitio privatam aliquam benedictionem, aliudve servitium non stricte debitum respiceret; neque displicentiam ostendat, etsi forte inutiliter (v. g. pro reputato infirmo) advocatus fuisset, magnoque cum incommodo illuc se contulisset. Cum inimicis semper dissimulet maximamque patientiam adhibeat, et malum cum bono vincere satagat. Si parochiani munuscula afferant, gratitudinem demonstret eosque aequaliter remuneret. Pueris magnum amorem ostendat, et optimum factu erit si parochus domos ingrediens exigua munuscula parvulis praebeat. Quomodo autem in particulari erga pauperes et divites se gerere debeat, innui supra et minutius declarabo infra.

621. *In annuendo parochianorum petitionibus potestne intervenire defectus?* Utique; ipsi enim interdum ea quoque petunt quae concedi nequeunt. Aliqui, v. g. petunt licentias prorsus excessivas quoad opera servilia die festo; vel spectacula non consueta quae in spiritualem paroeciae ruinam redundarent; vel utcumque res in quibus parochus, salva iustitia, aut veritate, aut prudentia, aut bono animo etc. annuere non potest. Bonus debet esse parochus, sed non nimis bonus; et ex hoc ipso quod, omnibus petitionibus obsecundando, esset excessive bonus, graviter delinquere posset.

622. *Quid si parochiani peterent a parochi notabiles pecuniae summas aut quid simile ad mutuum, vel ut pro iis fideiussorem se constitueret?* Ordinarie non expedit ut petitionibus huiusmodi annuat; si enim divulgaretur notitia quod parochus cum hoc vel illo ita se gessisset, alii et alii indesinenter similia vel maiora peterent; et sic periculo vel coniciendi se ipsum in impossibilitatem satisfaciendi obligationibus, vel subeundi malevolentiam eorum, quibus annuere nequiret, se exponeret.

623. *Quomodo practice se gerere debet parochus si ex una parte se praestare nequeat, ex alia timeat ne ipsi denegationem in malam partem accepturi sint?* Deservire solent sequentia: 1° Non iam petentes dure a se repellere, sed displicentiam ostendere. 2° Rationes et difficultates (quae tamen illos non offendant) adducere et bonam voluntatem significare. 3° Interdum possunt eis indicari alia media. 4° Non raro expedit aliquam futuri auxilii spem eis relinquere, dicendo v. g.: *Fili mi, bona te adiuvandi voluntas mihi non deest; et quod potero pro te faciam.* Vel: *Hic et nunc tibi satisfacere nequeo; sed in posterum videbimus quid fieri queat.* Vel: *Hic et nunc media non habeo; in posterum tui memoriam habebo; sed pauperes sunt nimii, redditus exigui, expensae multae etc.* 4° Aliquando valde bene deservit satisfacere in parte. Pauper v. g. petit mutuum valde momentosum, v. g. Fr. 100. Parochus dicere poterit: *Nequeo; sed accipe hos Fr. 10, et nihil mihi restituere debebis.*

Loquendo autem de eleemosyna praecise, quomodo se gerere debeat parochus, mox infra videbimus.

624. *Quid de bonorum morum testimoniis (it. certificati di buona condotta)?* Si parochus ignoret quibus moribus parochianus sit imbutus, dicat: *Fidem facio ad meam cognitionem non pervenisse aliquid contra bonos mores N. N.* Si parochianus bona fama gaudeat, sed parochus eius perversitatem cognoscat, tunc dicat: *Fidem facio quod N. N., quantum sciam, bona fama gaudet.*

Si demum pravi mores parochiani sint publice noti, testimonium deneget. Si tamen ex denegatione aliquod magnum malum serio pertimesceret; tunc, quum nemo ita malus sit, ut aliquas bonas qualitates non habeat, fidem faciat dumtaxat de una vel altera qualitate bona, quae in eo dignoscitur. Et, si parochianus in antecessum publice perversus fuerit, sed hodie contra illum nihil dicatur; tunc parochus testari poterit, quod *actualiter* contra ipsum nihil adest.

625. *Quid si parochus interrogetur privatim ab extraneis circa mores alicuius parochiani?* Si eum laudare nequit, dicat se nihil mali de eo dicere posse; aut se illum bene non cognoscere et informationes ab aliis peti posse. Excipe nisi casus esset valde momentosus et de informationem petentis secreto parochus plene tutus esset; tunc enim quomodo res se habeant declarare deberet.

626. *Quid de testimonio paupertatis quod ad obtinendas eleemosynas ab aliis parochianus petat?* Si non solum pauper sed vere indigens esset; tunc miseras magis principales exponat, et fidem faciat illum esse subventionem dignum. Si vero esset quidem pauper, sed eleemosyna non indigeret, tunc dicat solum, illum esse pauperem nihilque possidere.

627. *Estne aliquid notandum speciatim circa confidentiam, quam parochus sibi conciliare debet?* Si parochus amorem parochianis suis ostendat, atque sanctitate, doctrina et prudentia, existimationem sibi procuret, iam ex hoc ipso confidentiam quoque sibi conciliabit. Attamen speciatim notari potest, quod parochiani confidentiam in illo habere nequirent, si secretus non esset, aut si utcumque res ad illum delatae postea rescirentur. Non solum itaque caveat parochus ne ipse sive directe sive indirecte quidquam dicat; sed etiam procuret ut, advenientibus parochianis pro aliquo negotio confidentiali, familiares nihil audire possint.

## ARTICULUS II.

*De specialibus advertentiis habendis a parochis ut benevolentiam sibi procuret quarundam personarum, et maxime pauperum, divitum, et illorum qui valde iuvare aut valde nocere possunt.*

## PUNCTUM I.

*De modo se gerendi circa pauperes.*

628. *Teneturne parochus non solum ex communi obligatione charitatis, sed etiam ex officio, curam pauperum habere?* Utique. Trid. (XXIII. 1) aperte dicit: « Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est.... pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere etc. ». Verba itaque Psalmi (X. 14): « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor » parochi speciatim sibi applicent, et imprimis ferventissime pauperes divitibus commendent.

629. *Debetne parochus eleemosynas facere?* Parochus personaliter de eleemosyna requisitus a parochiano, illam nunquam deneget. Parum det (si aliud fieri nequeat vel non expediat), sed aliquid det, aut saltem offerat.

630. *Quid si parochus tenue beneficium habet?* Nihilominus eleemosynam, saltem pauperibus ad eius ostium venientibus (etsi non essent parochiani) facere deberet, si in loco id esset de more atque exigeretur ut parochus bonum exemplum praeberet et avaritiae notam declinaret. Quid enim si parochiani (etsi miseri operarii vel agricolae) eleemosynam facerent, et parochus non? Ille itaque omnino servare debet documentum Tobiae (IV. 8) dicentis: « Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude ». Con-

siderandum esset quoque an parochus habeat bona propria patrimonialia. Dicunt: Haec spectant ad familiam: relinqui debent nepotibus: tangi nequeunt. Sed sermo huiusmodi totaliter probari non potest.

631. *Quid si parochus beneficium pingue habet?* Tunc ad eleemosynas elargiendas strictius teneretur; ea enim, quae remanent post honestam sustentationem et expensas cultus, sunt pauperum patrimonium, et non solum ex charitate sed etiam ex religione in eorum levamen erogari debent. Certe mortaliter peccaret qui huiusmodi bona ad consanguineos sive ditandos sive alendos otiosos, vel ad luxum, impenderet. Imo in ipsis expensis caeteroquin laudabilibus moderatio adhibenda esset, si in paroecia multi pauperes adessent. Quid enim si parochus totus esset in ornando sumptuose Ecclesiam (ne dicam domum parochialem), dum interim, propter extraordinariam annonae caritatem, pauperes innumeri famem paterentur?

632. *Quibusnam pauperibus eleemosyna fieri debet?* Loquendo de subventionibus momentosis, et maxime repetitis; hae fieri debent solum pauperibus veris; iis scilicet qui in vera necessitate versantur, neque laborando sibi subvenire possunt; non autem pauperibus sive fictis sive voluntariis. Cum istis tamen facile expedire potest quod parochus lites hac de re non instituat, sed prima vice aliquid (v. g. mediam libellam) eis tribuat; et, si redeant, blando modo se excuset et eleemosynam diminuat: sic enim post unam vel alteram vicem redire cessabunt.

633. *Quid de eleemosynis fixis?* In his dandis et promittendis parochus non sit facilis. Ex una parte enim qui hoc anno sunt vere indigentes, sequentibus annis possunt non esse tales, multisque exurgere possunt circumstantiae, quae non esse continuandum suadeant vel cogant; et ex alia cessatio subventionis fixae nimis molestiis et difficultatibus subiici solet.

634. *Quomodo parochus cognoscere poterit quinam sint veri pauperes?* Macies in vultu, squallor in vestibus



miseria in domestica suppellectili, impotentia laborandi, numerosa proles, magna infortunia, infirmitas, senectus, viduitas, maxime vero accuratae informationes et notitiae de visu (speciatim occasione conficiendi statum animarum), veram paupertatem indicabunt; et cavendum etiam ne haec (ut modo innuebam) sit voluntaria propter otium et vitia. Loquendo semper de subventionibus momentosis, solis recurrentium narrationibus, imo (si agatur de illis mulieribus, quae, distracto sermone in aliis rebus, statim tranquille loquuntur) ne lacrymis quidem parochus facile credat. At tamen in casu repraesentato urgenti, rei verisimilitudinem consideret, recurrentem examinet, responsionum cohaerentiam notet, et (nisi fictionem detegat) pro ea vice subventionem praebet; expedire enim potest ut eleemosyna prodigatur, potius quam magnae angustiae non succurratur. Paupertas gradus habet; sed parochus reminiscatur, extremum gradum solere esse in iis, qui eleemosynam petere suasque angustias aliis patefacere verecundantur.

635. *Subsistente etiam vera et non voluntaria paupertate, debetne distinctio fieri inter pauperes honestos et scandalosos?* Exceptis pauperibus ostiatim mendicantibus (quibus frustulum panis vel eleemosyna tenuissima dari solet) et exceptis quoque casibus extraordinariis (v. g. infirmitatis), parochus abstinere a subveniendis personis scandalosis (quales maxime esse solent mulieres malam vitam ducentes); huiusmodi enim subventiones ex una parte malas consuetudines abrumpere non solent, et ex alia sunt in causa cur boni pauperes (maxime si ipsis nihil aut multo minus detur) animo deiiciantur, multasque querimonias moveant, et dicant melius esse malam vitam ducere. Parochus itaque, ut suae eleemosynae huiusmodi pessimum effectum non producant, saltem de regula ordinaria, bonos praeferre debet malis. Caveat tamen ne personam cum familia confundat; interdum enim in familia pessima aliquis individuus optimus et subventionem dignissimus adesse potest. Mulieres quoque ad bonam frugem

reversae misericordiam merentur. Ipsae tamen, frequentando Ecclesiam atque sacramenta, et conversionem fingendo, decipere solent parochos. Cavendum est itaque; neque verbis sed factis credendum; et, si de conversione nunc ineunda ageretur, proponenda essent media (v. g. confugiendi ad locum tutum; non adeundi loca periculosa; non recipiendi viros in domo propria; laborandi; et actus religiosos exercendi). Si haec media acceptentur libenter; tunc quoque erit casus aliquod subsidium praebendi. Continuatio tamen a mediis ipsorum executione pendebit.

636. *Personae magis piae et virtuosae ab aliis, quae solum ordinariam vitae honestatem praeseferunt, debentne distingui?* Si agatur de mulieribus devotis, maxime si Ecclesiam parochialem frequentent, haec distinctio magnis inconvenientibus, nempe invidiae, persecutionibus, suspectibus et calumniis aditum facile aperiret; unde ad minus valde caute hac in re procedendum esset.

637. *Quomodo eleemosynae fieri debent?* 1<sup>o</sup> Ex corde; pauperes scilicet (tamquam Christi ipsius personam repraesentantes) libenter videndo, libentissime iis subveniendo, et de eorum miseriis sublevandis vere gaudento. Quid enim si parochus solum ex respectu humano, et quia necessitate cogitur, aegro animo, et quasi pauperes ne videre quidem posset, aliquas eleemosynas (forsan musitando et increpando) faceret? Dices: Pauperes sunt ficti, importuni, ingrati, vitiosi etc. Respondeo. Generatim non est ita. Miseriae verissimae et extremae heu nimis subsistunt et abundant. Si qui importuni sunt, hoc est prae fame et prae filiis, quos sciunt esse domi et famem pati. Adeo autem longe sunt ab ingratitude, ut benefactores benedicant, eorumque laudibus civitatem repleant. Adde quod eleemosyna, quae pauperi fit, Christo ipsi fit. Adde meritum etc. At tamen 2<sup>o</sup> eleemosyna non fiat ultra vires. Quid enim si parochus in hunc finem aere alieno adeo se gravaret, ut tandem aliquando creditores insoluti remanere cogerebantur? Ad charitatem exercendam nunquid iustitiam

laedere licet? 3<sup>o</sup> *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*; scilicet quoad pauperes occultos (it. *vergognosi*) eleemosyna secreto peragi et secreta servari debet. 4<sup>o</sup> Quoad eleemosynas momentosas regula sit, ut etiam in casu pauperis notorii, secretum servetur et exigatur; secus enim alii multi eleemosynas similes peterent (et quidem etsi forte vere indigentes non essent); et, dum parochus denegare cogeretur, ex denegationibus odium sequeretur. 5<sup>o</sup> Quoad mulieres (maxime iuvenes) magna prudentia adhibenda est; puellae, v. g. eleemosynam petenti (si de re frequenti aut de eleemosyna momentosa res esset) dicatur ut mittat matrem (ut alibi admonebam); maxime vero parochus eius domum non adeat et solus cum sola non commoretur etc. 6<sup>o</sup> Si eleemosyna detur, v. g. ut lectus (ne masculi cum foeminis dormiant) provideatur, tunc non pecunia sed lectus detur (ut pariter alibi dixi). Idem dic de calceis, si v. g. genitores dicant se non posse mittere filios ad doctrinam christianam, quia calceos non habent. 7<sup>o</sup> Generatim non permittatur ut personae, quae alibi eleemosynam petere possunt, illam in confessionali petant. 8<sup>o</sup> Ex eleemosyna parochus occasionem arripiat (si opus sit) inculcandi et exigendi, ut filii ad catechismum mittantur, ut filiae custodiantur etc. 9<sup>o</sup> Si parochus ex aliena commissione aliquam eleemosynam singulis paroeciae suae pauperibus distribuendam haberet, tunc neminem, qui expresse aut verisimiliter illam exoptet (et exclusus querimonias moturus esset), excludere deberet. Notandum autem speciatim quod etiam pauperibus verecundis (qui se praesentare vel se inscribi facere non auderent), si iisdem grata censeretur, convenienti modo facienda esset.

638. *Praeter eleemosynas, potestne parochus aliis modis pauperibus auxilium praebere?* Potest, et subinde debet. Exemplum habes speciatim in commendationibus, curando scilicet v. g. ut miserae puellae aliquam dotem obtineant: ut infirmi in hospitali, et orphani in orphanotrophio recipiantur; ut in quibusdam magnis angustiis,

aut in aliquo magno infortunio, eleemosynae ab aliis obtineri possint, de hoc fidem faciendo in scriptis; vel ad publicae beneficentiae congregationem recurrendo etc. Aliquando matrimonium esse posset optimum medium ut aliqua misera puella aut vidua a magnis angustiis eripiat; sed parochus caveat ne in re huiusmodi (ad modum eorum qui matrimonia conciliant) se immisceat.

639. *Quid si puellae grandiores, eleemosynae quaerendae causa, ad personas periculosas diverterent, vel in gyrum se conferrent? Aut si pauperes puellae sine matre et sine ulla custodia remansissent?* Pro casibus istis maxime necessarium est ut parochus periculum avertere satagat.

640. *Quoad pauperes, estne aliud notandum?* Parochus pauperes aequae ac divites tamquam filios consideret, nec sit acceptator personarum: imo maiores curas pauperibus prodigat: libentius illos alloquatur, et, speciatim in concionibus, adhortetur ut Divinam Providentiam non blasphement, laboribus (non vero peccatis) victum sibi comparent, a vitiis abstineant, et propriam paupertatem brevi tempore duraturam cum Christo paupere, coelestiumque divitiarum intuitu, patienter tolerant.

## PUNCTUM II.

*De modo se gerendi quoad divites.*

641. I. In concionibus de magnis periculis spiritualibus, quae in divitiis reperiuntur; de bono exemplo praebendo; de religione et honestate a propriis famulis et subditis exigenda; de commoditate pro actibus religiosis praestandis eis relinquenda; de operibus subministrandis, cum debita et prompta mercede, operariis; maxime vero de eleemosyna pauperibus (iis speciatim qui illam petere verecundantur) elargienda, sermonem habebit; ita tamen

ut eos non arguat neque incuset, quasi coram populo eos tamquam avaros aut iniquos traduceret. In eleemosynis autem praebendis, illis (quantum potest) bonum exemplum praebeat.

II. Cum iisdem (ut alibi dicebam), etsi non nimiam familiaritatem, tamen bonam relationem semper habere procuret. In hunc finem maxime cavebit ne obsequiis deficiat, quae sint de more, eisque valde grata esse solent, cuiusmodi sunt (apud nos in civitatibus) v. g. occasione primi ingressus ad paroeciam, eos invitare: item eos invisere ante festa natalitia D. N.; item, si aegrotent, mittere quotidie aliquem qui nomine parochi petat quomodo se habeant etc.

## PUNCTUM III.

*Quaenam, praeter pauperes et divites, sint aliae personae quarum benevolentiam speciali modo oportet ut parochus sibi procuret?*

642. Sunt qui possunt speciali modo ad spirituale bonum paroeciae concurrere, ut sacerdotes, patres familias, pia sodalitia et societates catholicae, nec non rectores aliarum Ecclesiarum, atque Regulares (si forte in paroecia ipsa adessent). Item sunt qui possunt valde nocere (et speciatim si utrumque, iuvare scilicet et nocere, possent), cuiusmodi sunt v. g. magnati et potentiores, magistri municipales, maxime vero syndici etc. Denique sunt etiam illi qui nullum religionis usum habent, quibus parochus saltem consueta benevolentiae signa praebeat, sub spe quod uxori et filiis libertatem actus religiosos exercendi relinquunt, et saltem in morte sacerdotem acceptaturi sint.

## CAPUT XXV.

## De parochis quoad relationes cum Episcopo.

Agendum est 1. Summatim de officiis principalibus erga Episcopum et speciatim de obedientia ei praestanda. 2. De recursu in illum in variis casibus. 3. De rebus ei denunciandis vel communicandis. 4. De sustinenda illius auctoritate. 5. De illo non adulando. 6. De iuribus ei persolvendis.

## ARTICULUS I.

*De officiis principalibus erga Episcopum et speciatim de obedientia ei praestanda.*

643. *Quaenam sunt praecipuae erga Episcopum obligationes?* Imprimis exigitur *unio*; ad quam referuntur *amor, existimatio, veneratio*, maxime vero *obedientia*.

644. *Quid speciatim notandum circa obedientiam?* Episcopo obediendum est 1° in legibus, quamvis forent solum extrasynodales, dummodo sint vigentes nec in desuetudinem abierint. 2° In praeceptis particularibus, quae utique ferri possunt ab Episcopis, dummodo agatur de re quae vel a iure quoque praecipitur, vel de iure aut consuetudine praecipi possit, vel pro bono regimine sit necessaria, aut (dummodo non nimis onerosa) sit valde utilis. Etiam simplici consilio vel exhortationi obsequium magnum praestari debet; et notandum quod non raro exhortatio Episcopi tamquam alicuius legis sive Dei sive Ecclesiae declaratio haberi debet. Notandum est etiam quod si ageretur de lege Pontificia, standum esset interpretationi Episcopi (quamvis aliter interpretanda videretur), donec S. Sedes contrarium non decernat.

ut eos non arguat neque incuset, quasi coram populo eos tamquam avaros aut iniquos traduceret. In eleemosynis autem praebendis, illis (quantum potest) bonum exemplum praebeat.

II. Cum iisdem (ut alibi dicebam), etsi non nimiam familiaritatem, tamen bonam relationem semper habere procuret. In hunc finem maxime cavebit ne obsequiis deficiat, quae sint de more, eisque valde grata esse solent, cuiusmodi sunt (apud nos in civitatibus) v. g. occasione primi ingressus ad paroeciam, eos invitare: item eos invisere ante festa natalitia D. N.; item, si aegrotent, mittere quotidie aliquem qui nomine parochi petat quomodo se habeant etc.

## PUNCTUM III.

*Quaenam, praeter pauperes et divites, sint aliae personae quarum benevolentiam speciali modo oportet ut parochus sibi procuret?*

642. Sunt qui possunt speciali modo ad spirituale bonum paroeciae concurrere, ut sacerdotes, patres familias, pia sodalitia et societates catholicae, nec non rectores aliarum Ecclesiarum, atque Regulares (si forte in paroecia ipsa adessent). Item sunt qui possunt valde nocere (et speciatim si utrumque, iuvare scilicet et nocere, possent), cuiusmodi sunt v. g. magnati et potentiores, magistri municipales, maxime vero syndici etc. Denique sunt etiam illi qui nullum religionis usum habent, quibus parochus saltem consueta benevolentiae signa praebeat, sub spe quod uxori et filiis libertatem actus religiosos exercendi relinquunt, et saltem in morte sacerdotem acceptaturi sint.

## CAPUT XXV.

## De parochis quoad relationes cum Episcopo.

Agendum est 1. Summatim de officiis principalibus erga Episcopum et speciatim de obedientia ei praestanda. 2. De recursu in illum in variis casibus. 3. De rebus ei denunciandis vel communicandis. 4. De sustinenda illius auctoritate. 5. De illo non adulando. 6. De iuribus ei persolvendis.

## ARTICULUS I.

*De officiis principalibus erga Episcopum et speciatim de obedientia ei praestanda.*

643. *Quaenam sunt praecipuae erga Episcopum obligationes? Imprimis exigitur unio; ad quam referuntur amor, existimatio, veneratio, maxime vero obedientia.*

644. *Quid speciatim notandum circa obedientiam? Episcopo obediendum est 1º in legibus, quamvis forent solum extrasynodales, dummodo sint vigentes nec in desuetudinem abierint. 2º In praeceptis particularibus, quae utique ferri possunt ab Episcopis, dummodo agatur de re quae vel a iure quoque praecipitur, vel de iure aut consuetudine praecipi possit, vel pro bono regimine sit necessaria, aut (dummodo non nimis onerosa) sit valde utilis. Etiam simplici consilio vel exhortationi obsequium magnum praestari debet; et notandum quod non raro exhortatio Episcopi tamquam alicuius legis sive Dei sive Ecclesiae declaratio haberi debet. Notandum est etiam quod si ageretur de lege Pontificia, standum esset interpretationi Episcopi (quamvis aliter interpretanda videretur), donec S. Sedes contrarium non decernat.*

## ARTICULUS II.

*De recursu ad Episcopum in variis casibus particularibus.*

645. *Quid de recursu pro consilio, nempe pro decisione?*

I. Quum decisiones Episcopi sint auctoritativae (non vero mere doctrinales), ad quietandam conscientiam valent plus quam decisiones cuiuslibet theologi, et (nisi evidenter de errore constet) regulam tutissimam semper suppeditant.

II. Consilium Episcopi, modo ex stricta obligatione et modo ex magna convenientia, exquiri debet in casibus momentosis, si periculum errandi plus vel minus adsit; speciatim si commode exquiri possit, aut alii desint a quibus pro rei gravitate sat tutum consilium exposci valeat.

III. Casus magis practici sunt sequentes: 1° Denegatio sacramentorum, vel (quoad matrimonium) si parentes essent inviti, aut dubium esset de potentia, vel de usu rationis (in casu semifatui), vel de libero consensu etc. 2° Denegatio sepulturae ecclesiasticae. 3° Si parentes singulari casu infantem baptizare nollent. 4° Si daretur casus extraordinarius et difficilis in moribundo propter retractationes etc. 5° Si periculum adesset obviam eundi magnis discordiis cum parochis conterminis, vel cum piis confraternitatibus, vel cum potestate civili etc. 6° Si parochus, propter senectutem vel habituales infirmitates, suo muneri non amplius ex toto satisfacere posset; aut si circa proprium vicarium gravia dubia haberet.

646. *Quid de recursu pro aliqua dispensatione?*

I. Ubi, non de declarando an talis vel talis lex urgeat nec ne, sed de veri nominis dispensatione concedenda, parochi requirantur; ipsi, exceptis casibus, in quibus ex manifesta consuetudine id possint (v. g. quoad opera servilia in quibusdam locis et circumstantiis) ad Episcopum recurrere debent.

II. Episcopi dispensare possunt non solum in legibus dioecesanis sed etiam (pro casibus urgentibus, ita ut non adsit modus et tempus recurrendi ad S. Sedem) in legibus pontificiis, saltem de regula ordinaria.

III. Casus practici, in quibus pro dispensatione ad Episcopum recurrere oportet, sunt speciatim sequentes. 1° Pro celebrando matrimonio, omissis totaliter vel partialiter proclamationibus; vel statim post ultimam proclamationem, scilicet eo ipso die; vel elapso bimestri ab ultima proclamatione; vel tempore vetito; vel privatim et sine Missa; vel occulte prorsus (celebrando scilicet matrimonium conscientiae). 2° Pro obtinendis (sive ab Episcopo sive per Episcopum) dispensationibus ab impedimentis matrimonialibus, sive ante sive post matrimonium, sive ipso actu (dum omnia sunt parata), detectis. 3° Pro obtinendis dispensationibus a votis S. Sedi non reservatis vel pro foro externo. 4° Pro delatione SS. Viatici cum bireto vel occulte prorsus. 5° Pro dispensatione ab aliquo ritu, v. g. administrando sacramenta tempore pestis. 6° Pro administrando baptismo domi solemniter, vel pro differenda illius administratione ultra triduum. De his omnibus vide dicta in propriis locis.

647. *Quid de recursu ad Episcopum pro facultate aliqua?* Casus essent, v. g. 1° Pro facultate abessendi a residentia parochiali. 2° Pro alienatione rerum vel locatione fundorum Ecclesiae. 3° Ad assistendum matrimonio personae, de qua dubitetur an vere parochiana dici possit; vel si matrimonium per procuratorem aut epistolam aut sub conditione, aut quin actus civilis perfici velit, contrahendum foret. 4° Pro faciendis exorcismis solemniter. 5° Pro administrando baptismo personae adultae. 6° Pro permittenda personae saeculari laudatione funebri in coemeterio. 7° Pro licentia se praesentandi in tribunali laico sive criminali sive civili, etsi solum pro testimonio ferendo. Baller. Palm. (IV n. 345) et Vecchiotti (I § III).

648. *Quid de recursu pro aliqua approbatione?* Casus esset pro approbatione Vicarii, vel concionatorum sive quadragesimae sive adventus, sive pro sacra Missione.

649. *Quid de recursu pro remedio?* Casus essent si v. g. diebus festis ante Missam parochialem celebrari vellet alia Missa in aliquo oratorio vicino; aut hora catechismi ad alias Ecclesias populus advocaretur: aut in paroecia quaestuae abusivae fierent; aut iurisdictio parochialis turbaretur; aut magnum aliquod scandalum adesset etc.

ALERE FLAMMAM  
VERITATIS  
ARTICULUS III.

*De rebus Episcopo denuntiandis aut communicandis.*

650. Casum habes 1° Si factis publicationibus matrimonii, impedimentum aliquod deferretur. 2° Si parochus contra clericum aliquid grave subsistere detegeret. 3° Si de novis miraculis, novisve revelationibus in paroecia obventis notitia reciperetur.

Si autem parochus esset etiam vicarius foraneus, denuntiare deberet Episcopo 1° Si quis parochorum sui vicariatus diem supremum obiisset, et haec denuntiatio nulla interiecta mora peragenda esset. 2° Si (quod absit) in clero eius vigilantiae commisso scandalum vel gravis inordinatio accideret.

ARTICULUS IV.

*De casibus in quibus circa Episcopum aliqua conquerendi occasio interveniret.*

651. I. Advertendum imprimis quod indicia contra actiones sive privatas sive publicas Episcopi ut plurimum sunt iniusta et temeraria. Episcopi ordinarie sunt viri virtute, ingenio, et prudentia praestantissimi; S. Sedes enim accuratissimas capit informationes antequam ad Epi-

scopatam aliquem promoveat. Adde specialissimam Spiritus Sancti assistentiam. Adde experientiam. Adde denique, saepissime intervenire motiva occulta et ipsis Episcopis tantummodo nota, quae reddunt rationabile id quod eadem motiva non cognoscentibus irrationabile videri posset.

II. Quamvis autem superior vere et certe errasset, vel utcumque male procul dubio se gessisset, recolendum esset non solum quod non reperitur homo sine defectu (et proinde patientia et charitas adhiberi debet); sed etiam quod bonum publicum exigit ut existimatio et auctoritas Episcopi (modo tacendo, modo excusando etc.), quantum fieri potest, sarta tectaque servetur, et sustineatur.

III. Nihil tamen vetat quominus qui se offensum existimaret, de hoc cum Episcopo ipso verba faciat, sed submisse et reverenter.

IV. Idem die a fortiori si ageretur de re in damnum publicum redundante; imo aliqua admonitio tunc posset esse Episcopo ipsi acceptissima, atque etiam (speciatim quoad Vicarios Foraneos et Seniores) obligatoria. Vide rationes et auctoritates in *Praxi* (Ed. III. Vol. III. 481).

V. Denique maxime attendenda sunt verba SS. mi D. N. Leonis XIII dicentis: « Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem Romanum deferre; id tamen caute moderate, que, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando, quibus modis dissidia verius offensionesque gignuntur aut certe augentur ». *Epist. ad Archiep. Turonens. 17 Dec. 1888.*

ARTICULUS V.

*De Episcopo non adulando.*

652. *Quid est adulatio?* Est laus inordinata; et in casu contingeret laudando superiorem excessive, vel etiam quando nullatenus laudari deberet. S. Th. (2. 2. q. CXV)

dicit: « Pertinet ad adulationem, si quis velit aliquem  
« laudare in quibus non est laudandus, quia forte mala  
« sunt ».

653. *Quo fine fit adulatio?*

I. Adulatores ita se gerunt ad placendum superiori, eiusque animum sibi captivandum; unde illum semper laudant, et eadem facilitate laudant bonum et malum, et quidem (si eis utile sit) plus malum quam bonum. Si autem advertant, verba aliqua eidem non placere, statim mutant loquendi tenorem, atque etiam ad sibi ipsis in eodem sermone contradicendum promptissimi sunt.

II. Ordinarie autem habent finem particularem, nempe ut superior in distributione officiorum et beneficiorum illos praeferat aliis; quos proinde apud superiorem ipsum, occasione data, studiose censurare procurant.

654. *Estne facile quod adulatores animum superioris sibi captivent, et, uno verbo, finem intentum assequantur?* Episcopi solent esse virtute et sagacitate praediti, et proinde adulatores ordinarie a se arcebunt. Sed, si quis tali virtute et sagacitate praeditus non esset, atque adulatores circumdari sineret; tunc ipsi certe de facili finem intentum assequerentur. Rationes sunt sequentes: 1<sup>o</sup> Adulatores magna dexteritate repraesentant vitium ut virtutem, v. g. avaritiam ut sapiens praeventia, modestia, sobrietas etc.; prodigalitem ut charitas, magnitudo cordis etc.; iracundiam, ut zelus, fortitudo etc.; desidiam ut prudentia; temeritatem, ut promptitudo ingenii, securitas iudicii etc. 2<sup>o</sup> Mirum in modum sinceritatem fingere et fictionem ipsam abscondere sciunt, unde v. g. laudant cum asseverantia maxima, nullam omnino cunctationem ostendunt, sincerissime loqui et quamlibet adulationem odio habere protestantur. 3<sup>o</sup> Proverbium dicit: *Facile creditur quod credere dulce est.* 4<sup>o</sup> Quando agitur de rebus, quae amorem proprium tangunt, aliud proverbium dicit: *Veritas parit odium, et aliud: Loquimini nobis placentia.*

5<sup>o</sup> Tentationi vanitatis subiiciuntur speciatim personae in amplissimis dignitatis gradibus constitutae (1).

655. *Quaenam est malitia adulationis, et quinam sunt pravi illius effectus?* Adulatio est continuum mendacium et perpetuus dolus. Adulator autem sub dicta blanditiae verborum, reapse gravissime offendit superiorem (unde a S. Hieronymo appellatur *blandus inimicus*); tamquam hominem enim cupidum laudis, vanum, levem, accipientem fictiones manifestissimas pro veritate, atque etiam dispositum ad iniuste procedendum in distributione officiorum et beneficiorum, et, uno verbo, nedum virtute sed etiam criterio destitutum illum habet.

Effectus autem (attamen solum in hypothese supradicta superioris qui adulatores circumdari sineret) sunt speciatim plus vel minus sequentes.

I. Adulatio fovet superbiam, qua, speciatim in personis regimen habentibus, nihil peius. Enimvero superbia nimiam sui ipsius existimationem; et proinde facilitatem procedendi (etiam in rebus difficilibus et valde momentosis) sine consilio, sine studio, sine ponderatione: praecipitantiam et imprudentiam habitualement; et consequenter errores frequentes et subinde gravissimos, producit; et sic bono regimini quam maxime praeiudicat. Quid dicam de aliis superbiae consecrariis? Huiusmodi plus vel minus esse possunt vanagloria, iactantia, singularitates, fastum, ambitio, praesumptio; erga subditos autem intolerantia cuiuslibet moniti, contemptus, arrogantia, malae tractationes, praepotentia, zelotypia, invidia, et spretus cuiuslibet rei, etiam utilissimae, cuius superior ipse initiator non fuerit.

II. Superior, qui sic adulatores aures praeberet, et superbia inflaretur, difficile se emendaturus esset. Enimvero 1<sup>o</sup> Adulatores, praeter supradicta, ei repraesentant, omnia eiusdem regesta ab omnibus approbari et laudari.

(1) Haec omnia et sequentia optime evolvit noster Laurentius Signani Braxighellensis ordinis Capuccinorum et Episcopus, in concionibus *al Palazzo Apostolico*, quae nuper typis editae fuerunt.

2º Approbant autem et laudant speciali modo illa in quibus superior errat magis et ex systemate. 3º Ita circumdant superiorem, ut simul arceant alios a quibus veritatem auditorus esset. 4º Si superior didicisset quod sua agendi ratio revera censuratur ab aliquibus et de hoc lamenta emitteret, tunc adultores irruerent contra illos dicendo esse stultos, iniquos, paucissimos et ab omnibus aliis reprobatos. 5º Cognita etiam veritate, non se emendaret, se enim emendando, perinde esset ac dicere: *erravi*; quod in suae auctoritatis praeiudicium intolerabile esse existimaret.

III. Alter effectus valde ordinarius esset mala distributio officiorum et beneficiorum, non respiciendo idoneitatem et merita, sed illa concedendo adulatoribus indignissimis et praetermittendo dignos.

IV. Haec autem omnia simul sumpta efficerent, ut ex una parte superior amitteret existimationem apud omnes, atque suum Clerum a se alienaret; et ex alia magnum damnum Dioecesis, Religionis et animarum sequeretur.

656. *Adulatio estne peccatum mortale?* Decisio pendet ex fine et consequentiis; aliud enim esset si quis paullo excessive laudaret superiorem semel vel iterum ad obtinendam gratiam qua sit dignus; et aliud si vel esset indignus (cum damno aliorum vel Ecclesiae), vel laus ita inordinata et frequens foret ut de valde malis consequentiis supra indicatis timeri deberet. Ita D. Thomas et Scavini (Cf. *Praxim Ed. III. Vol. IV. pag. 643*).

#### ARTICULUS VI.

##### *De iuribus Episcopo persolvendis.*

657. *Quaenam sunt iura ista?*

I. Alicubi quaedam pensio Episcopo solvitur, sive vi iuris communis, quo casu *cathedraticum* vel *synodaticum* vel *pensio paschalis* vocatur; sive vi legis dioecesanae,

quo casu *subsidium charitativum* vel *quarta decimatio* vel *quarta mortuaria* vel *quarta episcopalis* appellatur. In his omnibus, dicit Vecchiotti (*I. § 65*), consuetudo cuiusque dioecesis retinenda est.

II. Alicubi Episcopus exigit aliquid pro chrismate et sacris oleis, scilicet pro expensis necessariis in materia comparanda et ministris retribuendis. Taxa ista est contra sacros canones; sed, si ab immemorabili semper exacta fuisset et valde modica esset, tolerari posset. S. C. C. *20 Dec. 1879* (Acta *VIII. pag. 180-184*).

III. Occasione sacrae visitationis Episcopi ius habent ad *procuracionem*; qua de re Tridentinum (*XIV. III*) dicit: « Caveant ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint; neve ipsi, aut quisquam suorum, quidquam procuracionis causa pro visitatione.... nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant; non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: exceptis tamen victualibus, quae sibi ac suis frugaliter moderateque, pro temporis tantum necessitate et non ultra, erunt ministranda.... Quod si quisquam (quod absit) aliquid amplius in supradictis casibus omnibus accipere praesumpserit; is, praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis... absque ulla spe veniae mulctetur ».

658. *In procuracione praedicta comprehendunturne vecturae?* Si standum sit decisionibus, quae a S. Sede hucusque prodierunt, responderi debet negative. Teste Vecchiotti (*I. § 64*), S. C. C. (*25 Febr. 1826*) decrevit quod itineris et equorum seu vecturarum expensae nunquam Episcopo visitanti debentur. Vide etiam Lucidi (*I. I. 51*) et Ferraris (v. *Episcopus Cap. VI. n. 115*).

659. *Procuratio debeturne Episcopo etiam in civitate episcopali et suburbiis?* Negative. Ita S. C. C. pluries. Cf. Vecchiotti (*l. c.*).

660. *Quid si consuetudines essent in contrarium?* Apud Acta S. Sedis (*XV. 85*) legitur: « Nihil esse acci-



« piendum, praeter victualia, sacrae visitationis causa, ita  
 « rigoroſe praeceptum fuiſſe, ut minime proficiat contraria  
 « conſuetudo, etiam immemorabilis ». Quum quidam Coere-  
 moniaris ex antiqua conſuetudine recipere ſoleret duo-  
 decim libellas a rectoribus Eccleſiarum, S. C. C. interrogata  
 an talem retributionem percipere valeret, (17 Dec. 1881)  
 reſpondit: *Negative; niſi operam ſuam praebeat a re-*  
*ctoribus Eccleſiae ſpecialiter invitatus.* Apud Acta (l. c.).

ALERE FLAMMAM VERITATIS  
 CAPUT XXVI.

**De parochialibus libris, regestis, documentis,  
 instrumentis etc. et de archivio.**

661. *Quinam ſunt libri parochiales?* Sunt 1º Liber  
 baptiſmorum, ſi paroecia ſacrum fontem habeat. 2º Li-  
 ber confirmatorum. 3º Liber matrimoniorum. 4º Liber de-  
 functorum. 5º Liber ſtatus animarum.

662. *Quaenam ſunt alia regesta, documenta, instru-  
 menta etc.* 1º Inventarium rerum Eccleſiae, ſcilicet bonorum  
 immobilium, mobilium, iurium etc. 2º Elenchus onerum  
 quibus Eccleſia gravatur. 3º Documenta et instrumenta,  
 quae ad praedicta bona et onera (ſive quoad fundationem,  
 ſive quoad reductiones aliasque mutationes) ſpectant.  
 4º Regesta pro uniuſcuſque oneris (ſcilicet Miſſarum  
 pro populo, legatorum piorum etc.) ſatisfactione a parochi-  
 exequenda. 5º Regesta pro oneribus v. g. decimarum,  
 cenſuum etc. in favorem paroeciae, ſatisfaciendis ab  
 aliis. 6º Regesta pro piis confraternitatibus, ſi a paro-  
 cho regantur et adminiſtrentur. 7º Theca (*busta*) conti-  
 nens chartas ad vicariatum ſpectantes, ſi parochus ſit  
 etiam vicarius foraneus. 8º Theca pro SS. Reliquiarum et  
 Indulgentiarum testimonialibus. 9º Synodus dioeſanae et  
 provinciales. 10º Theca miſcellanea pro aliis legibus et  
 decretis ſive episcopalibus ſive regionalibus, ſive pontifi-  
 ciis ab Episcopo communicatis. 11º Theca pro quibuslibet  
 aliis memoriis vel documentis (etiam municipalibus vel

gubernativis), quae ad paroecias referantur vel quomodo-  
 libet neceſſario aut utiliter ſervanda ſint.

663. *Quid notandum circa libros parochiales?* 1º Quae  
 ſcribi debent, in iisdem (non vero in foliis volantibus), et  
 quidem ſtatim, ſcribantur. 2º Non ſolum praesentes, ſed  
 etiam antiqui, conſerventur. 3º Quoad baptiſmata, exigitur  
 etiam liber notiſſimarum ſecretarum (iuxta dicta n. 180).

664. *Quid notandum circa archivium parochiale?*  
 Non tantum ut libri Eccleſiae ſtatim inveniri poſſint,  
 quantum ad evitandum periculum, ne poſt parochi mortem  
 ab haeredibus ſumantur, oportet ut in ſingulis paroeciis  
 locus pro iisdem reſervatus adſit, qui pro archivio primo  
 intuitu cognoscatur, et verbum *Archivium* in fronte ha-  
 beat. In illo autem libri, instrumenta, regesta etc. supra-  
 dicta (cum inſcriptione in dorſo) reponantur, in ordine  
 collocentur et ſub clave cuſtodiantur. Si aliquid ab archi-  
 vio extrahi atque ad tempus alibi remanere debeat; tunc  
 eius loco memoria ponatur. In magnis Archiviis autem  
 oportet etiam ut index generalis, atque inſuper in ſingu-  
 lis thecis indices particulares adſint.

Alia vero, quae ad parochum ſpectent atque ad hae-  
 redes tranſire debeant, non in archivio ſed alibi teneantur.

CAPUT XXVII.

**De parochi quatenus eſt cuſtos atque adminiſtrator  
 rerum Eccleſiae et beneficiatus.**

Agendum eſt 1. De harum rerum cuſtodia. 2. De oneribus adimplendis.  
 3. De erogandis redditibus beneficii parochialis, et de feſto Titularis.

ARTICULUS I.

*De cuſtodia rerum Eccleſiae.*

665. *Quomodo, cur, et ſub qua culpa tenetur paro-  
 chus res Eccleſiae cuſtodire?* Debet eas cuſtodire dili-  
 genter, quia (ut ait Trid. XXV. 11) *Dei ſunt*, et ſummo-

« piendum, praeter victualia, sacrae visitationis causa, ita  
 « rigoroſe praeceptum fuiſſe, ut minime proficiat contraria  
 « conſuetudo, etiam immemorabilis ». Quum quidam Coere-  
 moniaris ex antiqua conſuetudine recipere ſoleret duo-  
 decim libellas a rectoribus Eccleſiarum, S. C. C. interrogata  
 an talem retributionem percipere valeret, (17 Dec. 1881)  
 reſpondit: *Negative; niſi operam ſuam praebeat a re-*  
*ctoribus Eccleſiae ſpecialiter invitatus.* Apud Acta (l. c.).

ALERE FLAMMAM VERITATIS  
 CAPUT XXVI.

**De parochialibus libris, regestis, documentis,  
 instrumentis etc. et de archivio.**

661. *Quinam ſunt libri parochiales?* Sunt 1º Liber  
 baptiſmorum, ſi paroecia ſacrum fontem habeat. 2º Li-  
 ber confirmatorum. 3º Liber matrimoniorum. 4º Liber de-  
 functorum. 5º Liber ſtatus animarum.

662. *Quaenam ſunt alia regesta, documenta, instru-  
 menta etc.* 1º Inventarium rerum Eccleſiae, ſcilicet bonorum  
 immobilium, mobilium, iurium etc. 2º Elenchus onerum  
 quibus Eccleſia gravatur. 3º Documenta et instrumenta,  
 quae ad praedicta bona et onera (ſive quoad fundationem,  
 ſive quoad reductiones aliasque mutationes) ſpectant.  
 4º Regesta pro uniuſcuſque oneris (ſcilicet Miſſarum  
 pro populo, legatorum piorum etc.) ſatisfactione a parochi-  
 o exequenda. 5º Regesta pro oneribus v. g. decimarum,  
 cenſuum etc. in favorem paroeciae, ſatisfaciendis ab  
 aliis. 6º Regesta pro piis confraternitatibus, ſi a paro-  
 cho regantur et adminiſtrentur. 7º Theca (*busta*) conti-  
 nens chartas ad vicariatum ſpectantes, ſi parochus ſit  
 etiam vicarius foraneus. 8º Theca pro SS. Reliquiarum et  
 Indulgentiarum testimonialibus. 9º Synodus dioeſanae et  
 provinciales. 10º Theca miſcellanea pro aliis legibus et  
 decretis ſive episcopalibus ſive regionalibus, ſive pontifi-  
 ciis ab Episcopo communicatis. 11º Theca pro quibuslibet  
 aliis memoriis vel documentis (etiam municipalibus vel

gubernativis), quae ad paroecias referantur vel quomodo-  
 libet neceſſario aut utiliter ſervanda ſint.

663. *Quid notandum circa libros parochiales?* 1º Quae  
 ſcribi debent, in iisdem (non vero in foliis volantibus), et  
 quidem ſtatim, ſcribantur. 2º Non ſolum praesentes, ſed  
 etiam antiqui, conſerventur. 3º Quoad baptiſmata, exigitur  
 etiam liber notiſſimarum ſecretarum (iuxta dicta n. 180).

664. *Quid notandum circa archivium parochiale?*  
 Non tantum ut libri Eccleſiae ſtatim inveniri poſſint,  
 quantum ad evitandum periculum, ne poſt parochi mortem  
 ab haeredibus ſumantur, oportet ut in ſingulis paroeciis  
 locus pro iisdem reſervatus adſit, qui pro archivio primo  
 intuitu cognoscatur, et verbum *Archivium* in fronte ha-  
 beat. In illo autem libri, instrumenta, regesta etc. supra-  
 dicta (cum inſcriptione in dorſo) reponantur, in ordine  
 collocentur et ſub clave cuſtodiantur. Si aliquid ab archi-  
 vio extrahi atque ad tempus alibi remanere debeat; tunc  
 eius loco memoria ponatur. In magnis Archiviis autem  
 oportet etiam ut index generalis, atque inſuper in ſingu-  
 lis thecis indices particulares adſint.

Alia vero, quae ad parochum ſpectent atque ad hae-  
 redes tranſire debeant, non in archivio ſed alibi teneantur.

CAPUT XXVII.

**De parochi quatenus eſt cuſtos atque adminiſtrator  
 rerum Eccleſiae et beneficiatus.**

Agendum eſt 1. De harum rerum cuſtodia. 2. De oneribus adimplendis.  
 3. De erogandis redditibus beneficii parochialis, et de feſto Titularis.

ARTICULUS I.

*De cuſtodia rerum Eccleſiae.*

665. *Quomodo, cur, et ſub qua culpa tenetur paro-  
 chus res Eccleſiae cuſtodire?* Debet eas cuſtodire dili-  
 genter, quia (ut ait Trid. XXV. 11) *Dei ſunt*, et ſummo-

pere oportet ut sarta tectaue servantur, ut Dei cultui et pauperum levamini prospici possit. Negligentia gravis, ex qua grave detrimentum vel periculum suboriturum esset, peccati mortalis reatum includeret sine dubio.

666. *Explica in particulari ad quid teneatur parochus ut custos rerum Ecclesiae?* Tenetur 1° ad inventarium; 2° ad conservationem; 3° ad defensionem; 4° ad manutentionem; 5° ad procurandam fructificationem; 6° ad scadentiarium conficiendum et in regula servandum.

667. *Quid de inventario?* Parochus, dum primitus Ecclesiae suae possessionem ceperit, cognoscere debet quomodo res se habeant: nempe quinam sint fundi (sive rustici sive urbani, ubi Ecclesiae adhuc relinquuntur), quae nam capitalia et iura; quid in bono statu et (propter hypothecam) in tuto, quid vero in malo statu vel in periculo sit. Item quanti sint (in media) redditus annui. Deinde quae sint onera, et expensae necessariae. Sic inventarium conficiet in duplici exemplari, quorum unum apud se retinere, et aliud in Cancellaria Episcopali deponere debet. Mutationes autem, quae in posterum accident, in ipso sine mora adnotanda erunt.

668. *Quid de conservatione?* Imprimis vigilandum erit ut conserventur capitalia. Vigilet praecipue parochus ut suo tempore hypothecae renouentur; et ne capitalia in manibus non tutis, aut futuris periculis exposita, sive apud se ipsum sive apud alios, relinquuntur. Non permittat ut in fundis servitutes efformentur. Curet denique ut iura omnia conserventur. Hinc, v. g. parochus *iura stolae* exigere debet; secus enim successoribus praeiudicium inferret. Attamen vide dicta (n. 615. X).

669. *Quid de defensione?* Parochus iura Ecclesiae inique oppugnata aut non satisfacta, etiam ope tribunalium (attamen solum in casu extremo et pro re vere momentosa; non vero si solum de aliquo iure stolae pro casu extraordinario ageretur) sustinere, defendere et exigere debet. Ex proprio litis expensas sustinere teneretur,

etsi sine sua culpa lis necessaria evasisset. Si tamen expensae modicae non forent, et de iuribus non propriis praecise (nempe circa fructus), sed beneficii, ageretur; tunc (si ex beneficio ipso superflua sufficientia non remaneret) aliquas reductiones, aut facultatem aliquid alienandi, vel debitum beneficii ipsius nomine contrahendi, implorare deberet. In quovis autem casu cavebit ne in lites mali exitus periculosas contra regulas bonae administrationis se coniciat. Cf. Lugo (*De Iust. IV. III. 51*).

670. *Quid de manutentione?* Si fundos rusticos aut fabricas sub sua administratione habeat, reparationes necessarias (quoad arbores, vites, muros, trabes etc.) ut in bono statu servantur, procurare; et, quod reapse et convenienter factae sint, certum se reddere debet. Quoad expensas, quae ad manutentionem requiruntur, valent supra dicta (n. praec.); beneficiatus quippe (tamquam usufructuarius) ad modicas dumtaxat reparationes tenetur; non vero ad immodicas et extraordinarias, nisi ex propria culpa tales evasisset aut nisi superflua ex beneficio haberet; secus enim, quomodo sive ex arborum caesione, sive ex aliis bonis ecclesiasticis provideri possit, Episcopus consulendus esset.

671. *Quid de fructificatione?* Parochus pecuniam Ecclesiae otiosam non retinebit; sed tam ex ista quam ex aliis rebus fructiferis curabit ut meliori modo possibili fructus honeste percipiantur; idque praecipue si fructus ad hoc vel illud pium onus adimplendum taxative designati fuissent. Cavendum tamen ne, ad maiorem fructum habendum, sors periculo exponatur. Ordinarie schedulae (it. *cartelle*) gubernativae debiti publici, vel Institutorum quae *fundiaria* appellantur, maiorem securitatem praeseferunt et proinde aliis titulis praeferri debent.

672. *Quid de scadentiaro?* Est prospectus epocharum in quibus aliquid momentosum fieri debet; ex quo scilicet intelligitur v. g. quando talis vel talis hypotheca renovari; aut (quoad census) titulus recognitor exigi; aut

citatio iudicialis (ne praescriptio sequatur) peragi debet. Item quando cessat terminus pro reductione Missarum, pro gratia vel facultate concessa ad tempus etc. Scadentiarium istud, uti patet, deservit in auxilium memoriae, et, si termini isti forent multi aut in rebus valde momentosis, esset omnino necessarium, atque in conscientia obligatorium.

## ARTICULUS II.

*De oneribus adimplendis.*

673. Onera adimplenda alia sunt fixa, et alia adventitia. Fixa sunt quae parochus sive ex bonis parochialibus, vel utcumque a se administratis, sive ex iuribus ab aliis Ecclesiae solvendis adimplere debet; et consistere possunt in pensionibus, dotibus, eleemosynis, Missis fundatis, anniversariis etc. Adventitia autem sunt, v. g. onera Missarum quae sive ex pecunia recollecta pro animabus purgantibus, sive ex eleemosynis datis a particularibus personis, celebrari debeant.

II. Non semper sufficit ut fiat sicut antecessor facere solebat; forte enim consideratum non fuit, v. g. quod reductiones erant temporaneae et tempus iam praeteriit. Parochus pro unoquoque onere registum (vulgo *vachetta*) habeat, in quo sequentia describantur: 1° Brevis oneris ipsius historia cum praecisa indicatione foundationis. 2° Mutationes et reductiones (si quae intervenissent). 3° Summae quotannis perceptae. 4° Erogationes et expensae. 5° Praesens debitor. 6° Quidquid demum necessarium videatur, ut Episcopus (cuius revisioni omnia subiici debent) intelligat quomodo res se habeant.

III. Onera adimpleri debent prout iacent, neque posticipari possunt; imo (si de Missis quotannis celebrandis agatur, vel si utcumque ex anticipatione damnum aliquod successoribus vel aliis obvenire possit) nequidem anticipari valent. Onera adimplenda sunt diligenter et cum circumstantiis

a fundatione requisitis vel a legitimo superiore determinatis. Si impedimentum aliquod obstaret, res ad Episcopum deferri deberet.

IV. Onera adventitia in apposito regesto notanda sunt, cum indicatione eleemosynae et circumstantiarum, quae forte ab offerente requisitae fuerint. Adnotatio fieri debet statim. Onera autem, quibus intra modicum tempus iuxta intentionem offerentium satisfieri nequit, in conscientia acceptari non possunt. Vide Bened. XIV (*De Syn. XIII. ult. 10*).

V. Si in fine anni Missae non adhuc celebratae superessent, Episcopo sub gravi tradi deberent; ut patet ex Decr. *Vigilanti* (v. *Examen Vol. III. n. 4104*).

674. *Quid de sanatoriis, de reductionibus, et de casu imminutionis reddituum, qui pro Missis celebrandis destinati erant?* De sanatoriis pro foro conscientiae, vide supra n. 104. Pro aliis casibus recurrere oportet ad S. Sedem per curiam episcopalem; et, si placet, vide *Examen* (*Vol. IV. n. 4210-4219*).

675. *Quomodo erogandae erunt eleemosynae collectae in concione pro animabus purgantibus, vel in capsulis expositis pro iisdem?* Erogari debent in Missis vel officiis mortuariis iuxta consuetudinem notoriam atque a parochis (etiam meticulosae conscientiae) servatam. Quoad concionem praedictam in quadragesima peractam adesse solet consuetudo praelevandi aliquid pro concionatore; et quidem in summa tantillum abundantiori, v. g. 10 p.  $\frac{0}{10}$ , si propter Ecclesiae paupertatem concionator non posset aliter sufficienter compensari; sed vereor ne (quoad excessum a populo ignoratum) de abusu agatur. Quoad dictas capsulas, si consuetudo esset faciendi erogationes, de qua merito dubitari posset ne ab offerentibus satis cognoscatur et approbetur, tunc erogationis modus reddi deberet notorius.

676. *Quid si parochus dotes vel eleemosynas distribuere deberet ex legato pio eius administrationi commisso?* Distributio fieri debet iuxta sensum in testamento

expressum, nempe iuxta id quod testator in mente habebat; quod eruitur a sensu naturali et obvio verborum, nisi ex circumstantiis argui debeat quod in sensu plus vel minus improprio locutus fuerit. Si autem tali modo legatum adimpleri nequiret; tunc recurrere oporteret ad Episcopum, qui, si facultatem non haberet, a S. Sede illam obtinebit.

677. *Quid de eleemosynis ex legato dandis pauperibus?* Bonacina dicit (III. xvii. 8 § 4 n. 2): « Testatoris voluntas adimpleri videtur, quibuscumque pauperibus (eleemosyna) tradatur.... etiamsi extent alii maiori « paupertate laborantes ». Caveat tamen parochus ne hoc praetextu suis consanguineis (etsi aliquantulum pauperibus) omnia tradat; quod certe iuxta mentem testatoris non esset.

678. *A dotibus, quae puellis honestis dandae essent, deberent excludi puella, quae semel lapsa fuisset?* Certe non obstat lapsus occultus. E contra certe obstarent lapsus notorii atque habituales. Quaestio esse potest de uno vel altero lapsu; et, meo sensu, inter lapsus antiquos et lapsum praesentem vel recentem (maxime si aliae perfecte honestae concurrerent) distingui debet. Vide Praxim (Ed. III. Vol. II. n. 1310 vi).

679. *A dotibus, quae dandae sint virginibus, debent excludi puella clam corrupta?* Negative: bene vero si notorie virginitatem amisisset. Praxis (l. c.).

680. *Verbum puella (it. zitella) quid significat?* Significat foeminam quae saltem duodecimum annum compleverit, et nunquam nupserit.

681. *Dotes dandae puellis nupturis possuntne dari puellis religionem ingressuris?* Negative. S. Lig. (III. n. 990).

682. *Dotes dandae puellis monacandis, possuntne dari puellae, quae vota perpetua quidem sed simplicia emittat in congregatione ab Ecclesia approbata?* Affirmative; dummodo testator contrarium clare non statuerit. Cf. Lucidi (II. pag. 309).

683. *Dotes relictæ puellis nupturis possuntne dari viduis iterum nupturis?* Negative, quia vidua, etsi iuvenis esset, non amplius dicitur puella.

684. *Legatum relictum orphanis potestne dari filiis qui habeant parentes inutiles?* Negative.

Posset tamen Episcopus in hoc et in praecedenti casu talem commutationem concedere, si forte puellae et orphani veri nominis tunc deessent: ageretur enim de re leviuscula et de casu tractum successivum non habente. Vide *Examen* (Vol. III. n. 3920) et *Monitore eccles.* (Vol. XIII. pag. 53).

### ARTICULUS III.

*De erogandis redditibus beneficii parochialis et de festo Titularis.*

685. *Quid de parochio quoad fructus praebendae parochialis?* Si, ultra expensas necessarias pro onerum satisfactione, pro cultu, et pro honesta et decenti sua sustentatione, superflua adessent, tunc illa in usus pios erogare stricte teneretur. Sed de hoc sermo ex professo redibit infra, ubi de iuribus parochi.

686. *Quid notandum circa officium divinum in festo Titularis?* Parochus celebrare debet festum Titularis ritu dupl. 1. cl. Fit de Titulari, nisi occurrat 1º Cum alio dupl. 1. cl. digniori (quale esset etiam Festum Nativ. S. Io. Baptistae et Ss. Ap. Petri et Pauli). 2º Cum Dom. 1. cl. 3º Cum vig. Nativ. D. N. I. C. et Pent.; die Circumcis.; die oct. Epiph.; fer. 4. cin.; tota hebdom. mai.; infr. oct. Pasch. et Pent.; in Ascens. D.; in fest. Corp. Christi; in Assumpt. B. V.; et solemn. omnium Sanctor. In tali occursu transfertur ad primam diem non impeditam iuxta regulas translationis. Si non adsit offic. propr., fit de commun.; lectiones, utrum ex 1. an vero ex 2. loc.

sumi debeant, dignoscitur ex evangelio vel oratione; sin minus, prout melius videbitur. In Missa dicitur Cr.

Post Festum celebretur octava; quae tamen non habet locum a fer. 1. cin. usque ad Dom. in Albis; a vig. Pent. usq. ad fest. SS. mae Trinitatis; et a die 17 decemb. usq. ad Epiphan. inclusive. Infra oct. fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus cum commemoratione octavae. Si vero occurrant dies neque dictis festis neque dominicâ impediti, tunc fit de oct. ritu semiduplici. Lect. 1. noct. script. curr.; lect. 2. et 3. noct. de communi (quae ex 1. et 2. loc. alternandae sunt, si pluries de octava fiat). Missa sicut in die Festi cum 2. et 3. orat.

Dies octava celebratur ritu dupl. min. Si eo die occurrat dupl. 1. vel 2. cl., tunc de die octavae fit commemoratio dumtaxat in vesp., laud., et Miss. etiam solemn. Si tale dupl. classicum non occurrat, tunc fit de die octava; et omnia sicut in die Festi, exceptis lection. quae in 1. noct. erunt script. curr. et in aliis de communi cum commemoratione Sancti occurrentis in I. et II. vesp. in laud. et Miss.

Si festum Titularis aut eius octava deiecerint a propria sede alia festa in kalendario indicata, ut supra dixi tunc ista transferri debent, nisi sint duplicia minora vel semiduplicia, quia hoc in casu simplificanda sunt eo die quo cadunt, iuxta rubricas a SS. D. no Nostro Leone XIII praeceptas.

## CAPUT XXVIII.

### De parochia quoad officium rectoris Ecclesiae.

687. *Ex hoc capite parochi ad quid tenentur?* Praeter supra dicta (n. 673 et 521) circa onerum adimplementum, et devotionem in sacris functionibus procurandam, tenentur speciatim ad sequentia.

I. Curent decentiam, munditiam et nitorem imprimis Ecclesiae, et deinde apparatus, confessionarium et totius sacrae suppellectilis; item renovationem SS. Sacramenti et aquae lustralis. Provideant ut lampas ante ipsum SS. Sacramentum nocte et die semper ardeat; et clavis tabernaculi in tuto custodiatur. Tutissimi sint tum circa vinum pro Missis (ne sit adulteratum vel aqua mixtum), tum circa hostias et particulas (ne confectae fuerint ex farinis emptis cum periculo quod non sint triticeae). Non permittant ut vota cerea vel argentea pro gratia obtenta partes minus pudicas repraesentent (S. R. C. 19 Maii 1881). Animadvertant ne petra sacra alicuius altaris (v. g. per fractionem), vel calices (propter deauritionis amissionem vel foramen), vel sacra indumenta (per amissionem propriae formae) dissacrata evaserint.

II. Provideant ut Missae omnes in altaribus designatis celebrentur; et, si sint *de requie*, varientur orationes (pro uno, vel pro una, vel pro pluribus) iuxta intentionem illorum qui eleemosynas dederunt.

III. Curent ut rubricae observentur, et speciatim 1<sup>o</sup> Ut tabernaculum SS. mi Sacramenti conopaeum habeat. 2<sup>o</sup> Ut corporalia, pallae, tobaleae altaris, amictus, albae, cingula, manipuli, et stolae, si de novo conficiantur, nisi prius rite benedicta fuerint, non adhibeantur; neque (antequam manu clerici in sacris fuerint abluta) purgatricibus tradantur; neque demum, si pro Ecclesia evaserint inutilia, ad usus profanos adhibeantur. 3<sup>o</sup> Ut clerici in minoribus subdiaconi vices non gerant seclusa vera necessitate; nec sufficit si inserviant sine manipulo. (Decr. 2221. 2963).

IV. Horis fixis, populo commodis et sub quovis respectu convenientibus (quamvis sibi incommodis), Missas ordinent, aliasque sacras functiones peragant. Dixi *sub quovis respectu convenientibus*; cavendum enim est ne inconsulta novitate aliarum Ecclesiarum functiones turbentur. Maxime autem curent ut Missae aliaeque functiones iuxta campanae sonitum exeant, non vero modo prius mo-

sumi debeant, dignoscitur ex evangelio vel oratione; sin minus, prout melius videbitur. In Missa dicitur Cr.

Post Festum celebretur octava; quae tamen non habet locum a fer. 1. cin. usque ad Dom. in Albis; a vig. Pent. usq. ad fest. SS. mae Trinitatis; et a die 17 decemb. usq. ad Epiphan. inclusive. Infra oct. fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus cum commemoratione octavae. Si vero occurrant dies neque dictis festis neque dominicâ impediti, tunc fit de oct. ritu semiduplici. Lect. 1. noct. script. curr.; lect. 2. et 3. noct. de communi (quae ex 1. et 2. loc. alternandae sunt, si pluries de octava fiat). Missa sicut in die Festi cum 2. et 3. orat.

Dies octava celebratur ritu dupl. min. Si eo die occurrat dupl. 1. vel 2. cl., tunc de die octavae fit commemoratio dumtaxat in vesp., laud., et Miss. etiam solemn. Si tale dupl. classicum non occurrat, tunc fit de die octava; et omnia sicut in die Festi, exceptis lection. quae in 1. noct. erunt script. curr. et in alijs de communi cum commemoratione Sancti occurrentis in I. et II. vesp. in laud. et Miss.

Si festum Titularis aut eius octava deiecerint a propria sede alia festa in kalendario indicata, ut supra dixi tunc ista transferri debent, nisi sint duplicia minora vel semiduplicia, quia hoc in casu simplificanda sunt eo die quo cadunt, iuxta rubricas a SS. D. no Nostro Leone XIII praeceptas.

## CAPUT XXVIII.

### De parochio quoad officium rectoris Ecclesiae.

687. *Ex hoc capite parochi ad quid tenentur?* Praeter supra dicta (n. 673 et 521) circa onerum adimplementum, et devotionem in sacris functionibus procurandam, tenentur speciatim ad sequentia.

I. Curent decentiam, munditiam et nitorem imprimis Ecclesiae, et deinde apparatus, confessionarium et totius sacrae suppellectilis; item renovationem SS. Sacramenti et aquae lustralis. Provideant ut lampas ante ipsum SS. Sacramentum nocte et die semper ardeat; et clavis tabernaculi in tuto custodiatur. Tutissimi sint tum circa vinum pro Missis (ne sit adulteratum vel aqua mixtum), tum circa hostias et particulas (ne confectae fuerint ex farinis emptis cum periculo quod non sint triticeae). Non permittant ut vota cerea vel argentea pro gratia obtenta partes minus pudicas repraesentent (S. R. C. 19 Maii 1881). Animadvertant ne petra sacra alicuius altaris (v. g. per fractionem), vel calices (propter deauritionis amissionem vel foramen), vel sacra indumenta (per amissionem propriae formae) dissacrata evaserint.

II. Provideant ut Missae omnes in altaribus designatis celebrentur; et, si sint *de requie*, varientur orationes (pro uno, vel pro una, vel pro pluribus) iuxta intentionem illorum qui eleemosynas dederunt.

III. Curent ut rubricae observentur, et speciatim 1<sup>o</sup> Ut tabernaculum SS. mi Sacramenti conopaeum habeat. 2<sup>o</sup> Ut corporalia, pallae, tobaleae altaris, amictus, albae, cingula, manipuli, et stolae, si de novo conficiantur, nisi prius rite benedicta fuerint, non adhibeantur; neque (antequam manu clerici in sacris fuerint abluta) purgatricibus tradantur; neque demum, si pro Ecclesia evaserint inutilia, ad usus profanos adhibeantur. 3<sup>o</sup> Ut clerici in minoribus subdiaconi vices non gerant seclusa vera necessitate; nec sufficit si inserviant sine manipulo. (Decr. 2221. 2963).

IV. Horis fixis, populo commodis et sub quovis respectu convenientibus (quamvis sibi incommodis), Missas ordinent, aliasque sacras functiones peragant. Dixi *sub quovis respectu convenientibus*; cavendum enim est ne inconsulta novitate aliarum Ecclesiarum functiones turbentur. Maxime autem curent ut Missae aliaeque functiones iuxta campanae sonitum exeant, non vero modo prius mo-

do postea, ita ut parochiani ex dicto sonitu nullam regulam tutam sumere possint.

V. Non permittant ut advenae et prorsus incogniti debitisque destituti litteris testimonialibus Missam celebrent; idque servetur etiamsi circa hoc nihil peculiariter proprius statuisset Episcopus, generalis enim Ecclesiae disciplina id vetat. Berengo (*n. 156*).

VI. Caveat (quantum fieri poterit) ne tales confessarios aut praedicatores acceptent, qui perperam vel sine fructu proprio muneri functuri sint, quamvis Episcopus adhuc illos non suspendisset. Idem dic de sacerdotibus nimis festinanter et irreverenter cum populi scandalo Missam celebrantibus. Intellige si modo stabili, acceptari deberent. Si autem iam fuissent acceptati tunc aut eorum emendationem procurent, aut (nisi maiora mala pertimescant) illos arceant, aut saltem Episcopo denuntient.

VII. Circa laicos sacristiae inservientes vigilant, ut sacerdotibus et rebus sacris debitam reverentiam praestent, neque sacerdotum defectus propalent. Maxime vero vigilant ne pueri sacristiae addicti in vicinis cubiculis aliisque locis solitariis se malitiose abscondant.

VIII. Curent ut omnia, maxime vero picturae antiquae et aliae res pretiosae, nullum detrimentum patiantur et bene serventur. Caveant quam maxime ne, ex intentione eas restaurandi vel ad meliorem formam reducendi, illarum valorem atque pretiositatem ad nihilum redigant.

IX. Sedulam operam navent, ut omnia in tuto sint. Provideant speciatim ne tempore nocturno quisquam in Ecclesia aut turri campanaria absconditus remanere possit. Vasa sacra atque alias res magni momenti sub clavibus retineant, clavesque apud semetipsos servent.

X. Aeris quoque salubritatem a se curandam esse censeant; et proinde identidem (maxime vero postquam magnus populi concursus in Ecclesia adfuit) efficiant, ut omnia aperiantur, et sic aer renovetur. Curent etiam com-

moditatem, et speciatim ut tempore hyemali provisum fuerit ne frigus excessivum in Ecclesia adsit.

XI. Devotiones antiquas non destruant, sed illas foveant atque ut magis magisque adaugeantur, satagent.

XII. Laudandus qui alias quoque devotiones ab Ecclesia approbatas (annuente Episcopo) introducit. Attamen 1<sup>o</sup> Cavendum ne ad nova festa novasve functiones introducendas eleemosynarum collectiones nimis multiplicentur; hodie enim christifideles hoc in puncto nimia molestia passim afficiuntur, et quasi scandalum efformatur, idque in causa est earum devotiones magis momentosae aut opera catholica magis necessaria sustineri non possint. 2<sup>o</sup> Eleemosynae collectae, ad finem propter quem datae fuerunt usque ad assem scrupulose erogentur. 3<sup>o</sup> Non facile festum introducant, si iam aliud eiusdem tituli in alia eiusdem loci Ecclesia (populo valde participante) celebretur. 4<sup>o</sup> Cavendum denique (ruri, aut in parvis oppidis) ne diebus ferialibus nimiae functiones peragantur. Semper enim in eo esse ut campanae pulsentur, populusque advocetur, potius quam in aedificationem, in destructionem redundare potest; facile enim accidit quod foeminae plus aequo accurrant, et sic propriis muneribus deficiant, virosque ad iracundiam provocent; unde tandem (non sine odio religionis) parochus minus existimetur, et tamquam imprudens nimisque exigens traducatur.

XIII. Quoad functiones ante ortum et post occasum solis peragendas, scripsit Berengo (*n. 181*): « Hac in re attendenda est consuetudo et indoles populi; nam in plurimis locis id solum custoditur ut sacra non protrahantur ad multam noctem ». Scavini (*J. 663*) dicit: « Hodie fere ubique ruricolae in pagis, operarii in civitate ad exercitia spiritualia, ad novendialia, praedicationem etc. in feriis nonnisi sub noctem convenire possunt ». Episcopi Neapolitani in Epistola 26 Apr. 1864 (apud Berengo *l. c.*) scripserunt: « Cultus catholicus necessario requirit, ut Ecclesiae accessibiles sint fide-



« bus ante ortum et post occasum solis; et praeceptum de  
 « habendis sacris conventibus ab albescente ad vespera-  
 « scentem diem quatuor quintas partes catholicorum impe-  
 « diret a participatione functionum catholici cultus ». Attamen, quando populo sub noctem in Ecclesia aditus relinquitur, oportet omnino ut Ecclesia ipsa quaquaversus ita illuminetur, ut turpium actionum periculo aditus praecludatur; et cavendum ne ulla puella sola iter agat.

XIV. Solemnitates cum pompa extraordinaria (nisi sint nimis frequentes) omnino approbari debent; quamvis enim malis non careant, tamen ad catholicum cultum sustinendum et augendum quam maxime deserviunt, atque ab Ecclesia approbantur. Curandum tamen ut musica theatrialis et profana arceatur; brachii saecularis auxilio, sapientique rerum omnium dispositione inordinationes praepe-  
 dian-  
 tur; et demum ne ultra vires expensae fiant, unde Ecclesia aere alieno nimis gravetur. Dicerem etiam, solemnitates non facile a proprio die ad alium esse trasferendas, et omnino non esse tolerandum ut dies, in qua huiusmodi translatio fiat, alicuius Sacri Mysterii aut festiva de praecepto alterius Sancti sit.

XV. Parochi, si forte aliquam piam confraternitatem in propria Ecclesia habeant, magno affectu illam foveant; hae enim confraternitates (ut ait Berengo *n. 187*) sunt veluti totidem fidei publica testimonia, et mirum in modum deserviunt, ut hi qui ipsis adscribuntur, dum propriam protestantur fidem, pietatem simul foveant, morum honestatem sectentur, et ad eas alios etiam exemplo alliciant. Praeterea, parochis praesertim, magno adiumento sunt; in hodiernis enim Ecclesiarum angustiis (praeter multas in suffragiis erogationes) ad externi cultus splendorem per propriarum solemnitatum celebrationem (sine ullis parochi expensis) valde conferunt. Parochi itaque cum confraternitatibus istis comiter omnino se gerant; et, nisi agatur de rebus prorsus intolerabilibus (ut puta, si parochiales functiones omnino impedire vellent), multa dissimulent;

compatiantur horum laicorum non infrequenti ignorantiae, si quid incaute per imprudentem zelum commiserint, nec contra eos nimis arroganter insurgant: sed placide, benevole, paterne (et quidem solum quatenus speretur fructus) ipsorum defectus notent, et hoc modo facillime vitabunt ne error renovetur. Parochi denique blando modo procurent, ne huiusmodi sodalitia de externo dumtaxat Ecclesiae apparatu et clamoris festis cogitent; sed iis quoque, v. g. orationis, frequentiae Sacramentorum, auditionis verbi Dei etc. exercitiis incumbant, quae animos ad verae pietatis sensus conducere valent.

XVI. Si parochus ab aedituis (*fabbricieri*) dependeat, curet ut viri probi, atque Ecclesiae sibi benevoli eligantur: et in hunc finem suo iure praesentationis (quatenus illud habeat) utatur. Insuper inventarium accurate conficiat, atque aedituis ipsis (et speciatim thesaurario) invigilet prudenter. Attamen cum ipsis concordiam (nisi de rebus omnino intolerabilibus ageretur) servare procuret.

## CAPUT XXIX.

### De parochis quoad relationes cum aliis parochis et sacerdotibus suae congregationis seu plebanatus.

688. *Hac in re quid potissimum notandum?* Servanda est concordia. Defectus concordiae inter sacerdotes valde notatur a saecularibus et speciale scandalum producit. Adde necessitatem mutui auxilii pro festis, officiis exequialibus, aliisque functionibus, quod propter discordias valde imminui solet.

689. *Quomodo servabitur concordia?* 1º Cavendum ab invidia, et ne propter festa aliasque sacras functiones (populi concursum sibi invicem auferendo) contentiones exurgant. 2º Cavendum solertissime a critica, a murmurationibus, a litigiis. 3º Adhibenda est patientia. Alienos defectus, imo et offensas receptas, dissimulare patien-

terque tolerare oportet. 4° Praestandum est servitium. Occasione festorum, officiorum etc. unusquisque requisitus, et prout de more, propriam operam praestet (Intellige quantum potest pro viribus et sine proprii gregis detrimento). 5° Deserviunt etiam moderatae confabulationes; maxime vero conferentiae circa theologiam moralem et pastoraalem, quae ex legibus dioecesanis, vel iubente Episcopo, sub obligatione cadere possunt. 6° Singularitates, etsi optimae, non nisi prudenter adhibeantur; imo, si aliqua consuetudo, quae ab aliis servatur, non videretur esse servanda, caute et consulto Episcopo procedendum esset, si ex innovatione discordia non levis pertimescenda foret; saepe enim minus malum tolerare oportet ne peius sequatur. In rebus tamen valde substantialibus, alienis erroribus alienaeque socordiae aut perversitati nemo se uniformare debet; neque ex respectu humano perversis principiis, murmurationibus, scandalis, aliisque rebus omnino intolerandis quisquam plausum facere, aut participare poterit. 7° Prandia (si quae sint de consuetudine) serventur; attamen foeminae non assideant: et magna cautela habeatur ne sobrietatis limites excedantur, aut sive murmurationibus sive inconditis clamoribus scandalum ullum saecularibus praebeatur.

## CAPUT XXX.

**De necessitate ut parochus in regenda paroecia rationem habeat circumstantiarum, et sit (ut vulgo dicitur) homo sui temporis.**

## ARTICULUS I.

*Agitur de re ista in generali.*

690. *Adestne revera necessitas ut parochus aetate nostra, non iam prorsus modo (ut ita dicam) antiquo procedat, sed aliquid novi adhibeat?* Distinguendum est inter locum et locum. Oportet enim ut in quibusdam locis more solito procedatur, et in aliis nova media adhibeantur.

691. *Quaenam loca exigunt ut more solito procedatur?*

I. In quibusdam paroeciis, speciatim ruri et in montibus, quamvis adsint inordinationes quoad mores (quae certe nullibi desunt), adhuc viget antiqua fides, et impiae sectae non penetrarunt. Illuc profecto sufficit ut parochi procedant more antiquo; unde optime se gerunt si diligenter explicent Evangelium, faciant catechismum, debitas non omittant correctiones, orent pro populo, bonum exemplum praebeant, identidem sacram Missionem advocent, et uno verbo ea omnia praestent, quae semper et ubique necessaria recognita fuerunt, ut boni pastoris partes adimpleantur. Hoc, inquam, sufficit, nec oportet (saltem ordinarie) ut de rebus modernis solliciti sint.

II. Imo, sicut medicina a morbo non requisita facile praeindicat, ista media moderna, ubi a circumstantiis non exigantur, possent obesse et quidem valde. Quid enim si in locis ita praeservatis coactiones polemicae fierent? Scripsit D. Thomas (2. 2. q. X A. 7): « Periculosum est publice disputare de fide coram simplicibus, quorum fides

terque tolerare oportet. 4° Praestandum est servitium. Occasione festorum, officiorum etc. unusquisque requisitus, et prout de more, propriam operam praestet (Intellige quantum potest pro viribus et sine proprii gregis detrimento). 5° Deserviunt etiam moderatae confabulationes; maxime vero conferentiae circa theologiam moralem et pastoraalem, quae ex legibus dioecesanis, vel iubente Episcopo, sub obligatione cadere possunt. 6° Singularitates, etsi optimae, non nisi prudenter adhibeantur; imo, si aliqua consuetudo, quae ab aliis servatur, non videretur esse servanda, caute et consulto Episcopo procedendum esset, si ex innovatione discordia non levis pertimescenda foret; saepe enim minus malum tolerare oportet ne peius sequatur. In rebus tamen valde substantialibus, alienis erroribus alienaeque socordiae aut perversitati nemo se uniformare debet; neque ex respectu humano perversis principiis, murmurationibus, scandalis, aliisque rebus omnino intolerandis quisquam plausum facere, aut participare poterit. 7° Prandia (si quae sint de consuetudine) serventur; attamen foeminae non assideant: et magna cautela habeatur ne sobrietatis limites excedantur, aut sive murmurationibus sive inconditis clamoribus scandalum ullum saecularibus praebatur.

## CAPUT XXX.

**De necessitate ut parochus in regenda paroecia rationem habeat circumstantiarum, et sit (ut vulgo dicitur) homo sui temporis.**

## ARTICULUS I.

*Agitur de re ista in generali.*

690. *Adestne revera necessitas ut parochus aetate nostra, non iam prorsus modo (ut ita dicam) antiquo procedat, sed aliquid novi adhibeat?* Distinguendum est inter locum et locum. Oportet enim ut in quibusdam locis more solito procedatur, et in aliis nova media adhibeantur.

691. *Quaenam loca exigunt ut more solito procedatur?*

I. In quibusdam paroeciis, speciatim ruri et in montibus, quamvis adsint inordinationes quoad mores (quae certe nullibi desunt), adhuc viget antiqua fides, et impiae sectae non penetrarunt. Illuc profecto sufficit ut parochi procedant more antiquo; unde optime se gerunt si diligenter explicent Evangelium, faciant catechismum, debitas non omittant correctiones, orent pro populo, bonum exemplum praebant, identidem sacram Missionem advocent, et uno verbo ea omnia praestent, quae semper et ubique necessaria recognita fuerunt, ut boni pastoris partes adimpleantur. Hoc, inquam, sufficit, nec oportet (saltem ordinarie) ut de rebus modernis solliciti sint.

II. Imo, sicut medicina a morbo non requisita facile praeindicat, ista media moderna, ubi a circumstantiis non exigantur, possent obesse et quidem valde. Quid enim si in locis ita praeservatis coactiones polemicae fierent? Scripsit D. Thomas (2. 2. q. X A. 7): « Periculosum est publice disputare de fide coram simplicibus, quorum fides

« ex hoc est firmior, quia nihil diversum audierunt ab eo quod credunt ». Quid insuper si, dum illuc iuvenes more antiquo soliti essent post solis occasum extra domum nunquam remanere, introducerentur conventus (vulgo *ritrovi*), in quibus dicti iuvenes, omnes quidem aequae catholici sed non omnes aequae bene morati, coadunarentur; et illuc inciperent remanere etiam horis nocturnis, chartis aleatoriis ludendo, vinum bibendo, pecuniam insumendo, malos socios aquirendo etc.?

III. Attamen quoad loca a sectis non adhuc invasa, et proinde circa religionem non valde corrupta, advertenda sunt sequentia: 1° Possent adesse initia (v. g. propter aliquem impium, aliqua diaria etc.), vel etiam posset adesse periculum invasionis socialismi etc.; et proinde illuc quoque oporteret ut parochi congruo modo principiis obsisterent, et starent parati etc. 2° In bonis paroeciis omni nisu curare oportet ut bonae serventur. Sectae enim facile invadunt paroecias iam malis moribus corruptas, non vero honestate et religione florentes, quae ex hoc ipso murum aeneum et munitionem fortissimam eisdem opponunt. 3° Societates mutui succursus pro operariis et capsae rurales pro agricolis ex una parte sunt semper utilissimae, et ex alia solum in paroeciis adhuc bonis et religiosis institui possunt. Quoad istas itaque non est expectandum ut paroecia iam mala evaserit, et nequidem ut partialiter parochiani ad sectas transierint. SS. mus D. N. (Encycl. *Rerum novarum* in fin.) dicit: « Accingendum ad suas cuique partes, et maturime quidem, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae ».

692. *Quaenam loca exigunt ut nova media adhibeantur?*

I. Hodie multa sunt loca in quibus liberalismus, qui (ut demonstravi in opusculo *De liberalismo*) consistit in libertate mali et persecutione boni, ita dominatur, ut, praeter corruptionem morum, quam semper magis magisque procurat, bellum acerrimum inferat contra Religionem,

atque insuper partim proletarios adversus divites incitando et partim contra gubernia machinando, extremam ipsi societati civili ruinam parat. Hinc systemata impiissima indifferentismi, rationalismi, naturalismi, materialismi, positivismi, atheismi. Hinc (exaggerando vel prorsus falsificando historiam) contra Summos Pontifices, contra sacram inquisitionem, et generatim contra religionem, calumniae, quae odio vel contemptui illam exponunt. Hinc doctrinae quam maxime subversivae v. g. quod proprietas est furtum, quod assassinium politicum non est delictum, quod morientes in rebellionibus, vel damnati ad mortem propter dicta assassinia, sunt martyres etc. Hinc doctrinae quam maxime immorales, v. g. de divortio, de libero amore etc. Hinc colluvies immensa librorum atque diariorum, necnon theatra, sermones populares (*meeting*), circuli (*clubs*), imo et non pauci Professores (speciatim philosophiae, physicae, geologiae et historiae) a quibus impietates et nequitiae praedictae disseminantur. Hinc ostracismus cuilibet signo religioso a scholis, a tribunalibus, a municipiis, a publicis diversoriis. Hinc *laicismus* in omnibus, unde recreatoria laica, matrimonia civilia, funera civilia etc. Hinc conatus omnes ut clerus imminuatur, depauperetur, excludatur: suppressio ordinum religiosorum; suppressio beneficiorum ecclesiasticorum; suppressio exemptionis clericorum a conscriptione militari; suppressio Cappellanorum in exercitu, in carceribus, in municipiis; suppressio directorum spiritualium in gymnasiis etc. Hinc, speciatim ad mores depravandos, choreae inverecundae, et ea quae vulgo dicuntur *pornografia, operette, caffè chantants, romanzi, appendici* etc. Adde alia duo summi momenti.

Primum consistit in sectis innumeris, quarum principales sunt massonicae, socialisticae, anarchicae, protestanticae (nihil dico de secundariis, v. g. spiritisticis, cremationisticis etc.), Singulae autem, praeterquam quod *vis unita fortior*, numero asseclarum (quum iam evaserint per totum orbem diffusissimae), audaciâ, astutiâ, auro, et pro-

tectionibus, potentissimae sunt. Et quamvis sint diversae, tamen in scopo persequendi catholicam religionem ununtur, et quidem ita ut quomodolibet per fas et nefas procedere paratae sint.

Secundum consistit in summo studio assequendi regimen guberniorum et municipiorum, pro electionibus enim politicis et administrativis omnis lapis movetur nihilque intentatum relinquitur, ut massones et socialistae, et uno verbo viri liberales, et quidem ex illis qui magis Ecclesiae infensi sunt, electi evadant.

Et notandum quod Ecclesiae hostes in his procurandis tanta calliditate, tanto ardore, tanta constantia, atque modo semper crescenti, procedunt, ut non iam ab hominibus sed a daemonibus duci videantur.

Quid autem his mediis de facto obtineant, heu nimis videmus oculis nostris. Imprimis apostasia a religione in civitatibus est quasi universalis non solum quoad adultos, sed etiam quoad adolescentes, qui vix ab uno vel altero anno ad primam communionem admissi fuerunt. Mulieres quoque non paucae a religione apostatare incipiunt, et huc illuc incredulitas etiam ad agricolas extenditur. Nihil proinde dico de viventibus in solo matrimonio civili, de non baptizantibus filios, de impiissime obeuntibus, et proinde de istorum omnium damnatione aeterna. Socialistae autem (qui, ut supra innui, pauperes, agricolas et operarios contra divites incitant et societatem funditus subvertere moluntur) coniurationes (vulgo *leghe di resistenza*) etiam ruri efformant; innumeras et vastissimas cessationes ab opere (vulgo *scioperi*) ubique faciunt, et alicubi ad collectationes cruentas cum publica militia deveniunt, atque interim in aulis legislativis semper novas sedes sibi procurant. Adde quod Gubernia fere omnia iam sunt massonica, et idem die de municipiis plurimis; unde eadem secta massonica de locis piis, de scholis, et de officiis innumeris, iam ad libitum pro suis asseclis disponit. Malum denique terribilem in modum adaugent anarchici, qui (ut nihil dicam de

tumultibus et aliquando de stragibus popularibus) sive motu proprio sive ex aliarum sectarum instigatione, Reges aliosve Supremos Imperantes proditorie interficiunt. Ex statisticis patet quod in postremo sexaginta annorum spatio quinquaginta septem huiusmodi assassinia consummata vel attentata fuerunt.

II. Nunquid in locis, ubi huiusmodi sectae dominantur, et proselitismum faciendo fere omnes capiunt, ac talem et tantam religioni atque societati ruinam moluntur, nunquid (dico) satis erit ut parochi explicent Evangelium, tradant doctrinam christianam, Missam celebrent, orent, et uno verbo solum modo antiquo se gerant? Minime profecto. Agitur de magna plaga nova, agitur de erroribus novis aut noviter resuscitatis aut novo modo expositis; agitur de hostibus venientibus cum armis novis, insidiis novis et strategiis novis; et proinde remedia antiqua, instructiones antiquae, arma antiqua, et strategiae antiquae quomodo sufficient? Quomodo ingruente bello contra fidem et religionem adeo terrifico, nos stabimus sicut tempore pacis? Redierunt tempora in quibus (ut verbis utar S. Scripturae) *Fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania; adstiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius (Ps. II)*. Iam oculis nostris conspicimus quod *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius (Hier. Thr. I)*; et auribus nostris audimus clangorem tubarum hostilium atque inimicos clamantes: *Persequar et comprehendam; dividam spolia; interficiet illos manus mea (Exod. XV. 9)*. Rebus sic stantibus multi querimoniis omnia replent. Sed sola lamenta quid iuvant? De catholicis dicitur quod sunt viri desideriorum, dum inimici nostri sunt viri factorum. Ad facta itaque, et ad efficacem Religionis defensionem, et quidem activitate magna, procedere oportet. Matathias clamabat: *Omnis qui zelum habet legis... exeat post me (I. Mac. II. 12)*.

Vide

Activitas ista (vocando scilicet in auxilium etiam laicos) *actio catholica* appellari solet, et exigitur imprimis a necessitate, quae (ut patet ex supradictis) est adeo urgens atque adeo generalis tuendi fidem et salvandi animas.

Exposcitur etiam ab officio nostro. Equidem, sicut quando patria est in periculo omnes sunt milites, ita defensio religionis ad omnes spectat; et pariter ad omnes charitas proximi extenditur, dicente Domino: *Mandavit illis unicuique de proximo suo* (Eccl. XVII. 12); sed in his pars principalis ex proprio et speciali officio semper spectat ad sacerdotes. De sacerdotibus antiquae legis scriptum fuit (Ios. III.): *Tollite arcam foederis, et praecedite populum*; et Ezech. (III. 18): *Sanguinem eius de manu tua requiram*. A fortiori sacerdotes novae legis (qui in sacris litteris dicuntur *ministri Dei, lumen mundi, sal terrae, pro hominibus constituti in his quae sunt ad Deum*), rerum divinarum custodes, religionis defensores, et de aeterna animarum salute responsables prae caeteris sunt. Specialissimo autem modo hoc dici debet de parochis, qui vere sunt pastores animarum, quas proinde (etiam quia de redditibus Ecclesiae vivunt) a lupis defendere strictissime tenentur.

Actio catholica exigitur insuper ab Episcopis dicentibus nobis cum Apostolo (Ad Thess. I. v. et ad Eph. VI): *Non dormiamus..., induimini armaturam Dei... loriceam fidei et charitatis etc.*; et, inter alios, Episcopi nostri Aemiliani nuper miserunt ad clerum ferventissimam epistolam, cui titulus: *L'azione dei sacerdoti nell'ora presente*.

Sed praecipue reclamatur a SS.mo D. N. Leone XIII. Quis nescit, illum dixisse exeundum esse a sacristia et eundum ad populum? Quis ignorat, illum vere dici posse Pontificem actionis catholicae? Nonne pro illa omni nisu semper adlaboravit? Quanta autem pro illa dixit et fecit quis enumerare poterit?

## ARTICULUS II.

*Agitur in particulari de mediis, quae pro religionis et societatis bono his temporibus adhiberi debent.*

693. Media ista sunt praecipue sequentia.

I. Religio, speciatim ope beneficentiae erga pauperes et operarios, reddatur amabilis.

II. Illuminetur populus circa religionem et maxime contra sectas.

III. Omnis industria adhibeatur ad iuventutem, speciatim masculini sexus, salvandam.

IV. Adlaborandum pro bono cleri, et speciatim 1° ut sanctitate et doctrina magis magisque praefulgeat; 2° ut caveat a periculo ne ille ipse gliscentibus erroribus aliquo modo inficiatur, aut in novis mediis adhibendis bonam quidem intentionem habeat, sed non recte procedat; 3° ut vocationes ad statum ecclesiasticum promoveantur.

V. Procuranda est melioratio parocchiae, speciatim quoad viros, et excitando zelum christianum.

VI. Unitis viribus cleri et laicarum consociationum catholicarum, ad procuranda ea quae religioni intersunt, actio (quae dicitur) catholica debito modo promoveatur et foveatur.

VII. Pro concursu ad urnas municipales, et (ubi a S. Sede permittitur) etiam politicas, valde adlaborandum ut electiones religioni favorabiles succedant.

VIII. Diariis librisque bonis favere, et malis omni nisu adversari oportet.

IX. Quum ad tuendam religionem pecunia quoque sine dubio exigatur, curandum ut facilius inveniri possit.

X. Ut haec media reapse adhibeantur, omni quo potest modo curandum est.

Haec singula sunt explicanda.

Activitas ista (vocando scilicet in auxilium etiam laicos) *actio catholica* appellari solet, et exigitur imprimis a necessitate, quae (ut patet ex supradictis) est adeo urgens atque adeo generalis tuendi fidem et salvandi animas.

Exposcitur etiam ab officio nostro. Equidem, sicut quando patria est in periculo omnes sunt milites, ita defensio religionis ad omnes spectat; et pariter ad omnes charitas proximi extenditur, dicente Domino: *Mandavit illis unicuique de proximo suo* (Eccl. XVII. 12); sed in his pars principalis ex proprio et speciali officio semper spectat ad sacerdotes. De sacerdotibus antiquae legis scriptum fuit (Ios. III.): *Tollite arcam foederis, et praecedite populum*; et Ezech. (III. 18): *Sanguinem eius de manu tua requiram*. A fortiori sacerdotes novae legis (qui in sacris litteris dicuntur *ministri Dei, lumen mundi, sal terrae, pro hominibus constituti in his quae sunt ad Deum*), rerum divinarum custodes, religionis defensores, et de aeterna animarum salute responsables prae caeteris sunt. Specialissimo autem modo hoc dici debet de parochis, qui vere sunt pastores animarum, quas proinde (etiam quia de redditibus Ecclesiae vivunt) a lupis defendere strictissime tenentur.

Actio catholica exigitur insuper ab Episcopis dicentibus nobis cum Apostolo (Ad Thess. I. v. et ad Eph. VI): *Non dormiamus..., induimini armaturam Dei... loriceam fidei et charitatis etc.*; et, inter alios, Episcopi nostri Aemiliani nuper miserunt ad clerum ferventissimam epistolam, cui titulus: *L'azione dei sacerdoti nell'ora presente*.

Sed praecipue reclamatur a SS.mo D. N. Leone XIII. Quis nescit, illum dixisse exeundum esse a sacristia et eundum ad populum? Quis ignorat, illum vere dici posse Pontificem actionis catholicae? Nonne pro illa omni nisu semper adlaboravit? Quanta autem pro illa dixit et fecit quis enumerare poterit?

## ARTICULUS II.

*Agitur in particulari de mediis, quae pro religionis et societatis bono his temporibus adhiberi debent.*

693. Media ista sunt praecipue sequentia.

I. Religio, speciatim ope beneficentiae erga pauperes et operarios, reddatur amabilis.

II. Illuminetur populus circa religionem et maxime contra sectas.

III. Omnis industria adhibeatur ad iuventutem, speciatim masculini sexus, salvandam.

IV. Adlaborandum pro bono cleri, et speciatim 1° ut sanctitate et doctrina magis magisque praefulgeat; 2° ut caveat a periculo ne ille ipse gliscentibus erroribus aliquo modo inficiatur, aut in novis mediis adhibendis bonam quidem intentionem habeat, sed non recte procedat; 3° ut vocationes ad statum ecclesiasticum promoveantur.

V. Procuranda est melioratio parocchiae, speciatim quoad viros, et excitando zelum christianum.

VI. Unitis viribus cleri et laicarum consociationum catholicarum, ad procuranda ea quae religioni intersunt, actio (quae dicitur) catholica debito modo promoveatur et foveatur.

VII. Pro concursu ad urnas municipales, et (ubi a S. Sede permittitur) etiam politicas, valde adlaborandum ut electiones religioni favorabiles succedant.

VIII. Diariis librisque bonis favere, et malis omni nisu adversari oportet.

IX. Quum ad tuendam religionem pecunia quoque sine dubio exigatur, curandum ut facilius inveniri possit.

X. Ut haec media reapse adhibeantur, omni quo potest modo curandum est.

Haec singula sunt explicanda.

*Agitur de primo medio, ut scilicet religio, speciatim beneficiendo pauperibus et operariis, reddatur amabilis.*

694. I. Sacerdotes clarissime patefaciant, beneficentiam istam sibi cordi esse quam maxime. Adhortentur divites ut eleemosynis pauperes sublevent, et operas (it. *lavoro*) operariis suppeditent, illosque condigna mercede compensent; secus enim quomodo vivere possent? Et praeterea nonne otium est pater omnium vitiorum? Exhortationes huiusmodi (utique non increpando sed bonis modis) non aliqua rara vice tantummodo aut leviter, sed saepe, ex animo et ferventer fiant. Fiant (inquam) a parochis (qui iam ex officio ad hoc districte tenentur, ut vidimus supra n. 628), fiant a concionatoribus, fiant a missionariis, et fiant etiam (quando divites ad illos accedunt) a confessariis. Nihil autem dico de Episcopis in litteris pastoralibus et in sacra visitatione. Neque res ista erit eis nimis gravis; quid enim facilius, imo quid iucundius esse potest?

II. Non tamen sola verba sufficiunt, sed (speciatim qui curam animarum habent) etiam factis, bonum exemplum praebeant, et proinde, quamvis redditus ecclesiastici sint adeo imminuti, nihilominus ne umbram quidem avaritiae dent, atque ad pauperes sublevandos quidquid possunt revera faciant.

III. Societates quae pauperum levamen pro scopo habent (v. g. S. Vincentii A Paulo) instituuntur, vel si in loco iam sint institutae, eis auxilium et favor praebeatur. Et idem dic de aliis charitatis et beneficentiae operibus, cuiusmodi sunt quae italice dicuntur *Cucine economiche*, *Casse rurali*, *Società di mutuo soccorso*, *Casse di previdenza*, *Unioni professionali*, *Cooperative di credito o di consumo*, *Secretariato del popolo*, *Albero di Natale*, etc. etc. Et notandum quod opera charitatis, quae a socie-

tatibus catholicis proveniunt multo maiorem in favorem religionis impressionem faciunt, quam si a personis particularibus provenirent.

IV. Curandum est etiam ut Congregationes publicae beneficentiae et hospitalia per legata pia a catholicis adinventur; maxime vero ut a probis personis administrantur; ne scilicet patrimonium pauperum dissipetur aut male distribuatur. Si autem catholici administrationem municipalem assequerentur, deberent nedum iisdem Locis Piis optime consulere, sed etiam in administratione municipali ita bene procedere ut (si fieri posset) tributa localia imminuerentur.

V. Hic fuit semper spiritus religionis christianae. Enimvero beneficentia etiam corporali in illa fundanda maxime usus fuit D. N. Iesus Christus. Dixit v. g. *misereor super turbam*, et panes multiplicavit; caecis visum, surdis auditum, mutis loquelam, et aegrotis sanitatem dedit; *pertransiit beneficiendo et sanando omnes*. Dixit: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, et declaravit de operibus misericordiae in finali iudicio prae aliis omnibus rationem esse reddendam (Matt. XXV. 35).

VI. In Ecclesiae primordiis pro pauperibus eleemosynae singulis diebus dominicis colligebantur, atque ad illas distribuendas, simulque ad omnem pauperum ipsorum curam habendam, destinati fuerunt diaconi et pro mulieribus diaconissae. Summae collectae erant ingentes, et illi primi fideles erant adeo ferventes, ut plerique venderent etiam possessiones, atque illarum pretium pro dictis eleemosynis offerrent. Sic autem (ut legitur in Act. Apost. IV. 34), *nemo erat egenus inter illos*; idque profecto quam maxime in causa fuit cur christiana religio (non obstantibus crudelissimis persecutionibus) propagaretur et per totum Mundum diffunderetur (Cf. Bergier v. *Poveri, Limosina, Diaconi*). Reddita autem Ecclesiae pace, dum Gentiles considerabant pauperes tamquam obiectum odii divini, et dum Romani invalidos, senio confectos etc. coadunabant in insulis



Tiberis ut illuc fame morentur; e contra christiani ubique hospitalia pro infirmis, pro orphanis, pro expositis, pro mentecaptis, etc. aedificarunt, et uno verbo miseris cuiuslibet speciei consuluerunt. In hunc finem capitalia ingentissima contribuerunt, et alii suas personas miserorum servitio manciparunt; nec defuerunt qui ut captivos redimerent se ipsos captivitati offerrent.

VII. Curandum est ut fideles haec bene cognoscant; si enim intelligant quod religio catholica semper fuit sollicita suorum filiorum quoad bona nedum spiritualia sed etiam temporalia, et si videant quod nunc quoque ita facit, fieri nequibit quin religio ipsa magis magisque amabilis reddatur.

VIII. Beneficentia aetate nostra specialissimo modo necessaria est; quid enim iuvare possunt alia media spiritualia tantummodo, si hodie innumeri Ecclesiam iam non amplius ingrediuntur; si plurimi religionem nedum spernunt sed etiam acerrime adversantur; si insuper utilitates mere spirituales ab illis quoque qui aliquid religionis conservant tam parum aestimantur, et maxime si, dum pauperes famem patiuntur, sacerdotes patientiam dumtaxat commendarent, eleemosynam autem non iam pro illis, sed ab illis peterent? Aliunde beneficentia est concio quae etiam ab absentibus auditur, amorem conciliat, odium adversariorum mitigat, et (uno verbo) in corde uniuscuiusque salutarem influxum habet. Adde specialem circumstantiam moderni socialismi, qui se esse verum populi amicum protestatur, atque conditionem operariorum et pauperem quam maxime meliorem se esse redditurum promittit; unde, nisi pauperes et operarii ipsi persuasi evadant quod vera illorum amica dictis et factis est religio, ad socialismum certo certius diversuri et religioni valedicturi erunt. Sed hoc postremum in puncto sequenti melius declarabitur.

## PUNCTUM II.

*Agitur de secundo medio, ut scilicet illuminetur populus circa religionem et maxime contra sectas.*

695. I. Quoad religionem fideles intelligant illam esse 1<sup>o</sup> veram atque divinam; 2<sup>o</sup> obligatoriam atque ad aeternam salutem prorsus necessariam; 3<sup>o</sup> societati, familiae et singulis individuis quam maxime (etiam temporaliter) beneficam.

II. Contra sectas et doctrinas ab illis in paroecia disseminatas, parochus curet ut populus intelligat agi de falsitatibus; de delictis; de ruina; de ruina (inquam) nedum spirituali sed etiam corporali. Sectarii dolos, insidias, et aliquando etiam hypocrisim adhibent, ut omnia appareant vera, honesta atque utilia. Exemplum habes in socialistis, qui dicunt socialismum esse iustum atque ab ipso Iesu Christo commendatum; nihil moliri nihilque exigere contra religionem: per cessationem ab opere (*scioperi*) aliasque coniurationes (*leghe di resistenza*), operarios magna melioramenta esse revera assecuturos; et denique *collectivismum*, qui (aiunt) tandem aliquando obtineri poterit, felicitatem esse producturum. Oportet itaque ut fideles contra deceptiones istas illuminentur, ne huiusmodi dictis et promissionibus fidem praestent. SS. mus D. N. Leo XIII hoc in puncto quam maxime insistit. In Encyclica *Etsi nos* (Acta XIV. 341) dicit: « Quoniam hostes et oppugnatores catholici nominis, quo facilius male cautos decipiant, multis in rebus aliud simulant, valde interest occulta eorum consilia patefieri in lucemque proferri, ut scilicet, comperto quid reapse velint et qua de causa contendant, excitetur in catholicis hominibus ardor animi etc. ». Et in encycl. *Humanum genus* subiungit (l. c. XVI. 430): « Primum omnium reddendam massonibus

« esse suam, dempta persona, faciem; populosque edocendos quae sint societatum eius generis in blandiendo alliciendoque artificia, et in opinionibus pravitas, et in actionibus turpitude ».

III. In hunc finem parochus vigilet imprimis, et cognoscat quinam praecise errores in paroecia sua magis propagentur maioremque ruinam minitentur; et de remediis serio sit sollicitus.

696. Primum erit si ipse, tamquam amantissimus pater, cui salus filiorum suorum quam maxime cordi est, opportunis sermonibus fideles sibi commissos admoneat. Sed, ut sermones efficaciam habeant, oportet ut studio incumbat et convenienter se praeparet; ut enim res bene succedant non sufficit ut causa sit bona, sed oportet ut bene defendatur, imo malum patrocinium causae bonae praeiudicium inferre potest. Quid enim si probationes non convincentes adducerentur? Quid si obiectiones adversariorum essent valde diffusae, et proinde certe in mente auditorum, sed in sermone parochi nequidem recordarentur, aut non, sicut reapse fiunt, exponerentur? Quid si adaequate quidem exponerentur, sed non bene vel non ad captum auditorum solverentur? Praeterea huiusmodi sermones debent quidem esse nervosi, sed non cathedratici tantummodo; bene vero ferventes et valde affectuosi et vere paterni. Pro illis insuper eligi debent dies in quibus magna populi multitudo intersit. Si autem parochus ad illos impar esset, vel si utcumque populus ad eum audiendum non interveniret, tunc alium sacerdotem doctum et vero zelo praeditum advocare deberet. Valde etiam iuvare solet quod occasione sacrae Missionis aliquae ex huiusmodi concionibus (quae paroeciae necessitati sint vere accomodatae) fiant. Caeterum cavendum quidem a temeritate, sed etiam a nimio timore, ut puta, si parochus contra gliscentes errores nihil unquam dicere auderet, quia inter auditores adsint personae instructae vel iuvenes studentes etc. Timor huiusmodi quam maxime praeiudicat, et tamquam inanis

repelli debet; patet enim ab experientia quod, dummodo parochus ultra vires non praesumat, eiusdem verba paterna et affectuosa nullam criticam provocant, ab omnibus semper libenter audiuntur, semperque fructum producunt. Imo contingere potest quod dicta verba parochi multo magis proficiant quam sermo valde elaboratus alterius, qui forsitan nequidem intelligeretur.

Alterum remedium consistit in bonis diariis, periodicis et libris, quorum diffusio in paroecia procurari deberet.

697. *Quid de publicis disputationibus cum socialistis, quae contradictoria dici solent?* Ordinarie non licent. Rationes sunt sequentes.

I. Aequiparantur publicis disputationibus cum haereticis, quae ab Ecclesia ordinarie vetitae fuerunt; atque ita (27 Ian. 1902) declaravit S. C. negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita (Vide Acta XXXIV. 401).

II. Apud nos Episcopi Aemiliani, in epist. pastor. 6 oct. 1901, contradictoria ista vetarunt, solumque illa permiserunt in casibus valde raris, intercedente scilicet speciali licentia Episcopi, qui ex una parte gravitatem et serietatem disserentium, et ex alia utilitatem atque necessitatem discussionis considerare simulque condiciones ad pericula evitanda requisita praescribere deberet.

III. Ratio intrinseca est quia contradictoria, attentis circumstantiis, ut plurimum male succedunt, et in Religionis detrimentum redundant. Practice enim in adversariis nihil aliud adest quam mala fides, et argumentum oeconomicum quod proponitur est merus praetextus, dum vera eorundem intentio est ut publica disputatio cum catholicis deserviat ad melius oppugnandam et denigrandam religionem apud multitudines, ut scilicet populus omnem religionis ipsius existimationem amittat, illamque nedum tamquam falsam et superstitiosam, sed etiam tamquam ei damnosam eiusque principalem inimicam habeat. In hunc finem (deviando passim ab argumento) obiectiones, impietates et calumnias innumeras in medium adducunt, et quidem omnia

coloribus adeo vivis pingunt, ut maximam in auditoribus impressionem faciant. Quomodo catholicus contradictor ad haec, quae maxima ex parte improvisa ei evaderent, congrue et triumphaliter respondere poterit? Et quamvis ad congrue respondendum idoneus esset, hoc quid valeret? Nedum enim passim interrumperetur, sed etiam sectarii apposite vocati dum ex una parte sibilis, ululatibus et contumeliis illum obruerent, ex alia quovis momento plausum facerent oratori socialistae, qui semper inter ovationes triumpharet. Nonne sic contradictoria huiusmodi redundabunt in damnum religionis, ut dixi, idque solum efficient ut, curiositate magis alliciente, maior populi multitudo accurrat, atque etiam boni fideles (eo ipso quod contradictor est catholicus) cum tali ac tanto periculo intervernant? Potius itaque oportebit ut in Ecclesia parochi consueti socialistarum argumenta confutent, simulque de gravissima obligatione non audiendi illorum sermones populum admo- neant. Adde quod socialistae semper in eo essent ut catholicos ad contradicendum provocarent, et ex una parte impossibile esset tot contradictores idoneos providere, et ex alia non providendo, illos tamquam fugam arripientes traducerent. Vix unquam autem permitti posset sacerdotibus ut ad huiusmodi contradictoria personaliter devenirent. SS. mus D. N. in Epistola (8 Sept. 1899) ad Clerum Gallicum (*versio lat.*) dixit: « Contra monita Concilii Tridentini de-  
« ficerent sacerdotes qui conventibus popularibus assiste-  
« rent, in quibus eorundem interventus deserviret solum  
« ad excitandas passiones impiorum atque inimicorum Eccle-  
« siae, illosque contumeliis abiectissimis absque ullo fru-  
« ctu exponeret ».

## PUNCTUM III.

*Agitur de tertio remedio, ut scilicet omnis indu-  
stria adhibeatur ad iuventutem, speciatim masculini se-  
xus, salvandam.*

698. I. SS. mus D. N. Leo XIII Encycl. *Sapientiae  
Cristianae* dixit: « Cum de fingenda probe adolescentia  
« agitur, nulla opera potest, nec labor suscipi tantus, quin  
« etiam sint suscipienda maiora » (Acta XXII. 403); et  
prius (Encycl. *Humanum genus*) Episcopis dixerat: « Fidei  
« vigiliaeque vestrae maiorem in modum commendamus iu-  
« ventutem, ut quae spes est societatis humanae. Partem  
« curarum vestrarum in eius institutione maximam ponite,  
« nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit  
« adhibenda maior » (Acta XVI. 432).

II. Haec necessitas respicit speciatim iuventutem mascu-  
lini sexus, non iam quia negligi possit cura foeminarum (vae  
enim si illae quoque perversae et impiae evasurae essent!)  
bene vero quia masculi in longe maiori periculo versantur;  
nedum enim naturaliter ad actus religiosos exercendos  
sunt minus perpensi, sed etiam his miserrimis temporibus  
ex una parte valde communius et valde citius (maxime in  
civitatibus) religionem prorsus deserere, fidem amittere,  
sectisque nomen dare solent; et ex alia, postquam impii  
evaserint, ut plurimum valde magis nocent; qua de re  
vide supra dicta (n. 172).

Praeterea haec ipsa necessitas respicit speciatim annos  
primae Communioni subsequentes. Olim familiae erant fere  
omnes catholicae, et proinde adolescentes in illis ipsis ha-  
bebant bona exempla et alia subsidia potentissima, quorum  
ope in fide et religione conservabantur. Sed hodie non est  
ita; bene vero tam domi quam foris innumeras et fortis-  
simas, uti patet, inveniunt tentationes, quibus a fide et re-  
ligione ipsa avertuntur. Hinc necessitas absoluta ut curâ  
extraordinariâ iisdem subveniatur.

III. Cura ista in quo consistit? Quoad divites et generatim quoad familias bonis fortunae satis provisae, recurrendum est ad bona Collegia, quorum proinde notitiam seu elenchum parochi sibi procurare debent. Pro aliis autem remedium principale sunt Oratoria, in quibus adolescentuliam inde a prima Communione congruis exhortationibus et exercitio actuum religiosorum, valde fundentur in religione, simulque omnia media adhibeantur 1° ut oratoria ipsa saltem tribus vel quatuor annis assidue et libenter frequentent; 2° ut contra pericula praemuniantur, ab iisque, quantum fieri potest, praeserventur. Ad primum, recreatoria aliaque honesta oblectamenta et praemia; ad secundum, patronatus deservirent. Sic iuvenes in unum coacti, ab improbis seiuncti, vigilati, praemuniti, et adiuti, non utique omnes sed non pauci, salvarentur. Enimvero 1° Oratoria bene directa et pluribus annis frequentata producant in iuvenibus aestimationem et amorem religionis, cui ideo mente et corde generatim valde adhaerebunt: quod autem valde adhaeret difficile separatur. 2° Semen bonum, imo electissimum, immissum in terram adhuc bonam et bene dispositam excrescet in plantam diu diligentissime cultam et coelesti pluvia irrigatam, quae sic profundas radices aget: planta autem quae profundas iecit radices, non facile deici aut avelli poterit. 3° Exercitium actuum religiosorum evadet habitus; sed habitus difficile mutatur: *Adolescens iuxta viam suam etiam cum sennerit non recedet ab ea.* 4° Sic in iuvenibus vere fiet solidum fundamentum religionis: sed fabrica solidum fundamentum habens difficile corruet.

Ut autem oratoria et recreatoria bene dirigantur et bene procedant, non paucae exiguntur advertentiae et cautela, quas in opusculo, cui titulus *De iuventute ab hodierna incredulitate praeservanda*, exposui. Hic dico solum oportere 1° ut adolescentuli laeto vultu et blandis verbis semper excipiantur; 2° ut Directores speciali ad hoc officium propensione (etsi forte ingenio et doctrina non

valde eminent) praediti sint; 3° ut in eadem civitate oratoria et recreatoria potius sint pauca et bene directa (v. g. unum pro divitibus et aliud pro plebeis), quam multa et male ordinata. Ubinam enim tot directores idonei (qui equidem non sunt frequentes) et tot Praefecti invenirentur?

699. *Quid de scholis (ita dictis) religionis?* Scholae religionis apud nos adhibentur, ut iuvenes sive gymnasium sive lyceum frequentantes, religionis cognitionem acquirant, et contra hodiernos errores praemuniantur. Non in Ecclesia, sed in aliquo alio loco non sacro fieri solent. Certe praeferruntur Oratoria. Illa enim, dum iisdem instructionibus non carent, sunt pro omnibus, fiunt in Ecclesia, et multa habent adnexa, quae nedum ad alligandum sed etiam ad actus religiosos exercendos, atque adeo ad veros christianos efformandos, plurimum valent. Dicerem itaque distinguendum esse secundum quod, attentis circumstantiis, oratoria institui possint vel non possint. In primo casu Oratoria instituenda essent, et tunc scholae religionis diversionem minus providam producere possent; quae proinde pro secundo casu reservari deberent. Utrumque, in schola religionis duo essent necessaria: 1° Adhortari iuvenes ad Ecclesiam frequentandam, Sacramenta recipienda etc. 2° Quoad obiectiones contra religionem, illas quidem privatim, sed non facile publice, permittere.

700. *Quid si nec oratoria nec scholae religionis institui possent?* Tunc parochi saltem procurent sequentia; nempe 1° ut adolescentuli statim post primam Communionem nomen dent alicui Piae Unioni, in qua adsit regula faciendi tres dies exercitiorum spiritualium quotannis in praeparationem ad digne communicandum in Paschate; quibus diebus in paroecia (v. g. summo mane et post occasum solis), opportunas conciunculas audiant. 2° Ut (si fieri possit) die statuta singulis mensibus ad sacramenta acce-

dant, et proprii parochi (vel alterius sacerdotis ad hoc deputati) brevem exhortationem audiant.

701. *Ad praeservandam iuventutem quid speciatim notandum circa officinas?*

I. Curandum ut in loco instituatur societas pro sanctificatione festorum, seu (ut hodie it. dicitur) *Lega per il riposo festivo*, eo fine ut iuvenes operarii diebus festis ad Oratoria vel Ecclesias accedere possint.

II. Parochi notent quibus in officinis nulla vel minora adsint pericula, et, in magnis civitatibus, earundem elenchum habeant, curando ut pueri atque adolescentuli ad illas mittantur.

PUNCTUM IV.

*Agitur de quarto medio, et ostenditur quomodo sit adlaborandum pro bono Cleri, et speciatim 1º ut sanctitate et doctrina magis magisque praeferat; 2º ut caveat a periculo ne ille ipse gliscentibus erroribus aliquo modo inficiatur, aut in novis mediis adhibendis bonam quidem intentionem habeat, sed non recte procedat; 3º ut vocationes ad statum ecclesiasticum promoveantur et custodiantur.*

702. *Cur dicitur, esse adlaborandum, ut Clerus his temporibus virtute et doctrina magis magisque praeferat?* Quia vis maior religionis residet in Clero, scilicet in Episcopis, parochis aliisque sacerdotibus, qui in bello, quod hodie adeo fervet, debent opponere se ipsos *murum pro domo Israel*. (Ezech. VIII. 5). Maior doctrina maiorque sapientia in Clero exigitur non solum ut magis existimetur, melius officii suis satisfaciat, atque nervosa praedicatione religionem defendat; sed etiam ut in circumstantiis, quae saepe sunt difficiles et salebrosae admodum, quoad hodiernum motum catholicum recte se gerat. Exigitur autem maior virtus et sanctitas, quia his diebus ho-

stes religionis animadvertunt in sacerdotes multo magis quam antea, illorumque mores acrius investigant, omnemque vel minimam arripiunt occasionem illos laessendi diceriis, criminationibus et calumniis; et hoc medio assequuntur ut multi fidem amittant. Sed rem istam multo melius declarat Sanctissimus Dominus N. Leo XIII, in Encyclica *Etsi nos* (apud Acta XIV. pag. 343), ubi dicit: « Si  
« Episcoporum est plurimum operae et studii in fingenda  
« probe omni iuventute ponere, longe plus ipsos elabo-  
« rare in clericis verum est, qui in Ecclesiae spem ado-  
« lescunt et participes adiutoresque munerum sanctissi-  
« morum sunt aliquando futuri. Causae profecto graves  
« et omnium aetatum communes decora virtutum multa  
« et magna in sacerdotibus postulant: verum tamen no-  
« stra haec aetas plura quoque et maiora admodum flagi-  
« tat. Revera fidei catholicae defensio, in qua laborare ma-  
« xime sacerdotum debet industria, et quae est tantopere  
« his temporibus necessaria, doctrinam desiderat non vul-  
« garem atque mediocrem, sed exquisitam et variam;  
« quae non modo sacras sed etiam philosophicas disciplinas  
« complectatur, et physicarum sit atque historicorum tra-  
« ctatione locuples. Eripiendus est enim error hominum  
« multiplex, singula cristianae sapientiae fundamenta con-  
« vellentium: luctandumque persaepe cum adversariis ap-  
« piratissimis, in disputando pertinacibus, qui subsidia sibi  
« ex omni scientiarum genere astute conquirunt. — Simi-  
« liter cum hodie magna sit et ad plures diffusa corruptela  
« morum, singularem prorsus oportet in sacerdotibus esse  
« virtutis constantiaeque praestantiam. Fugere quippe con-  
« sortium hominum minime possunt: imo applicare se pro-  
« pius ad multitudinem ipsis officii sui muneribus iubentur:  
« idque in mediis civitatibus, ubi iam nulla fere libido est,  
« quin permissam habeat et solutam licentiam. Ex quo intel-  
« ligitur virtutem in Clero tantum habere virium hoc tem-  
« pore debere, ut possit se ipse tueri firmiter, et omnia cum  
« blandimenta cupiditatum vincere, tum exemplorum peri-

« cula sospes superare. — Praeterea conditas in Ecclesiae  
 « perniciem leges consecuta passim clericorum paucitas  
 « est: ita plane ut eos, qui in sacros ordines Dei munere  
 « leguntur, duplicare operam suam necesse sit, et excel-  
 « lenti sedulitate, studio, devotione exiguam copiam com-  
 « pensare. Quod quidem utiliter facere non possunt, nisi  
 « animum gerant tenacem propositi, abstinentem, incorru-  
 « ptum, charitate flagrantem, in laboribus pro salute ho-  
 « minum sempiterna suscipiendis promptum semper atque  
 « alacrem ».

703. Sed in puncto adeo momentoso non erit abs re  
 adhuc magis ad particularia descendere; et proinde noto  
 sequentia.

I. Imprimis probe cognoscere oportet nova decreta  
 seu novas decisiones S. Sedis; maxime vero quid nos do-  
 cuerit SS. mus D. N. Leo XIII in suis stupendis Encyclicis,  
 quae mala praesentia eorumque remedia respiciunt. Prae-  
 cipuae (ad rem nostram) sunt quae incipiunt AETERNI  
 PATRIS, contra falsam philosophiam, quae malorum omnium  
 origo fuit (Acta XII. 97); LIBERTAS, contra liberalismum  
 (l. c. XX. 593); HUMANUM GENUS ET INIMICA VIS, contra  
 sectam massonicam (l. c. XVI. 417 et XXV. 274); RE-  
 RUM NOVARUM ET GRAVES DE COMMUNI contra socialismum;  
 quibus duabus accedit instructio eiusdem Summi Pontificis  
 iussu edita a S. Congr. negotiis ecclesiasticis extraordina-  
 riis praepositae (l. c. XXIII. 641. XXXIII. 385 et  
 XXXIV. 401); IMMORTALE DEI, de Civitatum constitutione  
 christiana (l. c. XXVIII. 161); SAPIENTIAE CHRISTIANAE,  
 de officiis civium (l. c. XXII. 385); ETSI NOS, ad Episco-  
 pos Italiae (l. c. XIV. 337); DALL' ALTO, *Lettera ai Ve-  
 scovi, al Clero, e al popolo d' Italia* (l. c. XXIII. 193);  
 et alia SPESSE VOLTE circa associationes catholicas (l. c.  
 XXXI. 191); NOVUM ARGUMENTUM, Epistola circa consecra-  
 tionem Sacrae Familiae (l. c. XXIII. 318). Adde Constitu-  
 tionem OFFICIORUM, circa prohibitionem librorum et regulas  
 pro libris vel diariis evulgandis etc. (l. c. XXIX. 388).

In particulari autem et strictè quoad Clerum, Encycl.  
 PROVIDENTISSIMUS DEUS, circa studia biblica et contra nimiam  
 libertatem in interpretanda S. Scriptura (l. c. XXVI.  
 269); nec non decretum circa sacram praedicationem (l. c.  
 XXVII. 162).

II. Oportet etiam ut Clerus prae oculis habeat instru-  
 ctiones suorum Episcoporum. Episcopi nostri Aemiliani in  
 cit. litteris: *L'azione dei sacerdoti in Italia nell' ora  
 presente, dicunt: Neppure potrà alcuno per sottrarsi  
 alla dipendenza dovuta al proprio Vescovo, addurre a  
 pretesto, interpretando a suo talento l'angusta parola,  
 che questa o quella cosa l'ha detta il Papa. Dio voglia  
 che sempre e da tutti si faccia ciò che dice il Supremo  
 Gerarca! È necessario però avvertire, che gli ordini  
 del Sommo Pontefice sono trasmessi ai Vescovi, che sono  
 questi sempre i primi a conoscerli, studiarli, e appli-  
 carli alle rispettive Diocesi, e che a loro soltanto si ap-  
 partiene la vigilanza immediata sull'adempimento delle  
 Pontificie disposizioni. Nè su tale argomento potrà mai  
 alcuno accogliere dubbio o timore qualsiasi; imperocchè  
 è notissima a tutti la perfetta unione che ciascun Ve-  
 scovo mantiene col Papa, e la soggezione pienissima che  
 tutti gli professano, e professeranno anche a costo della  
 propria vita. Si faccia pure e sempre ciò che ha detto  
 il Papa. Ma soprattutto ciascuno del Clero e del Laicato  
 cattolico tenga ogni giorno ben fisso in mente che il  
 Papa vuole « quidquid consilii vel singuli vel consociati  
 « homines efficiendum suscipiant, meminerint Episcoporum  
 « auctoritati esse penitus obsequendum. Decipi se non si-  
 « cant vehementiori charitatis studio, quod quidem, si  
 « quam iacturam obtemperacionis suadeat, sincerum non  
 « est, neque solidae utilitatis efficiens neque Deo gratum ».  
*Volgendo poi l' Augusto Gerarca la sua venerata parola  
 ai Vescovi, ha scritto: « In eo vestrae evigilent curae  
 « atque auctoritas valeat moderando, cohibendo, obsistendo,  
 « ut nec cuiusvis specie boni fovendi sacrae disciplinae**

« laxetur vigor, nec perturbetur ordinis ratio, quem Christus Ecclesiae suae praefinivit » (Encyclica *Graves de communi*).

III. Expedi etiam ut sacerdotes, et speciatim parochi habeant et legant 1º Opera vel opuscula probatorum auctorum de rebus hodiernis disserentia, v. g. circa positivum, evolutionismum, socialismum, democratiam christianam, capsas rurales, divortium, ipnotismum, spiritismum etc. etc. 2º Aliquod diarium, vel aliquam ephemeridem; ita tamen ut tum quoad sana principia, tum quoad veritatem noticiarum inter meliores seligantur.

IV. In illis autem rebus, de quibus S. Sedes et Episcopi nihil adhuc definierint, maxime oportet ut virorum qui fide probata, aetate, ingenio, ponderatione, experientia, magis auctoritatis habent, consilia audiantur. Hoc etiam innuit SS. mus D. N. dum in allocutione ad Sacrum Collegium (23 Dic. 1891) dixit: *Vengano i giovani e conferiscano volenterosi la energica e calda operosità propria dell'età loro: vengano i più maturi, e rechino fiducia, oltre alla provata fede, la ponderazione e il senno, frutti dell'esperienza.* Et prius in Encyclica *Graves de communi* dixerat: « Eorum praesertim advocanda est benigna opera, quibus et locus et census et ingenii animique cultura plus quiddam auctoritatis in civitate conciliant. Ista si desit opera, vix quidquam confici potest quod vere valeat ad quaesitas popularis vitae utilitates ».

V. Advertendum quod, ut sacerdotes existimationem sibi concilient quoad doctrinam, valde etiam interest, ut non solum sanis principiis imbuantur et circa omnia recte sentiant, sed etiam formae externae attendant; unde in praedicatione bonae eloquentiae regulas servent, bene et expedite recitent, et, sin minus elegantiam, saltem proprietatem sermonis adhibeant. Quid enim si hodie sermo nimis rudis adhiberetur, aut facta prorsus incredibilia narrantur etc.?

VI. Quoad virtutem autem, haec tempora exigunt speciatim maiorem activitatem, continentem laborem, et magnum zelum. SS. mus D. N. (Encycl. *Etsi nos*) dicit: « Intelligent quicumque amant catholicum nomen, tempus iam esse.... nullo pacto languori desidiaequae se dedere: cum nemo celerius opprimatur quam qui vecordi securitate quiescunt.... Vos itaque, Venerabiles Fratres, excitate cessantes, cunctantes impellite etc. ». Et in Encycl. *Humanum genus* ait: « Oppugnatio tam vehemens propugnationem postulat parem.... Concordibus animis contra progredientem sectarum vim conferti immotique consistant »; et (Encycl. *Inimica vis*) subiungit: « In tanta rerum malarum audacia, nec satis est cavere sectae terribilissimas insidias; illud quoque necessarium, capessere pugnam.... Quapropter vestrum est, Venerabiles Fratres, accendere suasionem, hortatu, exemplo animos; et in Clero populoque vestro studium religionis salutisque fovere operosum, constans, impavidum.... Ardorem animi pristinum in fide avita tuenda, vulgo aiunt apud Italas gentes deferuisse. Nec fortasse falso: propterea quod.... plus quidem videntur adhibere contentionis qui inferunt religioni bellum, quam qui propulsant. At vero salutem cupientibus nihil medium inter laboriosum certamen aut interitum. Itaque in seculis et languidis excitanda, Vobis adnitentibus, virtus est, in strenuis, tuenda: pariterque, omnium dissidiorum extincto semine, efficiendum ut ductu auspiciisque vestris una omnes mente eademque disciplina in certamen animose descendant ».

VII. Advertendum praeterea quod aetate nostra 1º Civitas et instructio valde crevit. 2º Agricola quoque politiore vitam ducunt, et non amplius antiqua ruditate laborant. 3º Personae civilis conditionis villas et paroecias rurales magis frequentant. Hinc oportet ut Clerus (qui in omni bono praecellere et spectabilem se reddere debet), nedum in civitatibus sed etiam ruri, magis quam antea decori et munditiei (v. g. quoad vestes, maxime vero quo-

ad templum et sacras supellectiles) consulat; proprietatem in cantu sacro adhibeat; urbanitatis regulas servet; atque etiam salubritatis (it. *igiene*) rationem habeat.

704. *Cur dicitur esse cavendum ne Clerus ipsemet gliscentium errorum infectionem subeat?* Hoc contingeret speciatim in sequentibus heu nimis practicis casibus; nempe si sacerdotes 1º liberalismo inficerentur, atque (uti aiunt) liberales-catholici evaderent (Vide *Casus consc. an. 1894 cas. I*). 2º Si male sentirent de S. Sedis dominio temporali, vel iudicarent quod in praesentibus circumstantiis ad urnas politicas concurrere expediret (vide *Cas. consc. an. 1892 cas. II*). 3º Si essent de illis qui vellent conciliationes impossibiles, v. g. ut S. Sedes cum Gubernio Romae residente plenam pacem concluderet, vel etiam generatim *cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civitate se conciliaret et componeret* (Propositio damn. a Pio IX). 4º Si faciendum censerent ut Ecclesia obsequeretur tempori, et flecteret sese atque accomodaret etiam ad res et doctrinas falsas vel iniquas vel impias; quo in puncto SS. mus D. N. (Encycl. *Libertas*) dicit: « Nullum tempus  
« vacare religione, veritate, iustitia potest; quas res ma-  
« ximas et sanctissimas cum Deus in tutela Ecclesiae esse  
« insserit, nihil est tam alienum quam velle ut ipsa quod  
« falsum est vel iniustum dissimulanter ferat, aut in iis  
« quae sunt religioni noxia conniveat ». Et Apostolus (Hebr. *XIII. 8*) ait: « Iesus Christus heri et hodie: ipse  
« et in saecula ».

Notandum quod sacerdotes his vel similibus pravis principiis facile imbuerentur si cum viris liberalibus familiaritatem inirent, aut diaria liberalismo infecta legerent.

705. *Cur dicitur esse quoque cavendum ne Clerus in novis mediis adhibendis, bonam quidem intentionem habeat, sed non recte procedat?* Casus principales essent sequentes.

Primus est si conciones polemicae, cum periculo ut potius noceant, fierent ubi non sunt necessariae, vel

nimis frequenter, vel a concionatoribus ad hoc non idoneis, vel obiectiones exponendo, et non triumphaliter resolvendo. Rem istam (de qua aliquid dixi supra *n. 122 et 690*) declarat simulque sua auctoritate confirmat S. C. Epp. et RR. inquires: « Quod vero ad illas polemicas  
« collationes attinet, quae religionis ab adversariorum im-  
« pugnationibus defensionem spectant, sunt equidem idem-  
« tadem necessariae, at cuiusvis humeri onus non sunt,  
« sed solummodo robustiorum. Imo ipsi maxime strenui  
« oratores magna debent prudentia uti: huiusmodi enim  
« apologiae in iis tantummodo locis iisque temporibus, at-  
« que iis auditoribus faciendae sunt, qui vere illis egeant,  
« et a quibus aliquod spirituale emolumentum reapse spe-  
« rari possit: cuius rei iudices maxime omnium compe-  
« tentes locorum quorumlibet Episcopos esse manifeste  
« patet. Has vero apologias ea decet ratione fieri, ut earum  
« demonstratio in doctrina sacra potius, quam in humanis  
« seu naturalibus argumentis, solidissime fundetur; tali  
« demum sapientia ac perspicuitate elaborari, ut periculum  
« evitetur ne in quorundam auditorum mentibus altius de-  
« fixi errores inhaereant, quam oppositae veritates, magis-  
« que percellant animos obiecta quam responsa. Praesertim  
« vero cavendum est, ne frequentior quam par est, harum  
« collationum usus aestimationi noceat et desiderio mora-  
« lium concionum, quasi vero istae inferioris ordinis ac  
« minoris momenti sint, quam polemicae, ac proinde prae-  
« dicatorum et auditorum vulgo relinquendae; dum con-  
« tra omnino constat, moralem praedicationem fidelium  
« universitati longe maxime necessariam esse, nec nobili-  
« tate a polemica vinci: ac proinde etiam valentiores et  
« celebriores oratores in auditorum conspectu quantumli-  
« bet electissimo ac frequentissimo, hanc deberent, saltem  
« aliquando, sincero zelo exercere. Quod nisi fiat, frequen-  
« tes isti auditores semper de erroribus disserere audient,  
« qui saepenumero in iis, qui intersunt, nequaquam repe-  
« riuntur; nunquam vero de culpis vitiisque; quae in hisce



« potius auditoribus, quam fortasse in aliis, profecto vulgaribus, abundare solent » (*Decr. 31 Jul. 1894* apud *Acta XXVII. 168*).

706. Alter casus contingit in illis concionatoribus qui ad non displicendum hodiernis naturalistis et rationalistis, summopere cavent ne unquam nominent infernum, vel iudicium divinum, vel miracula. Insuper nunquam citant sacram Scripturam, vel Concilia, vel Sanctos Patres, sed solum auctores profanos, philosophos, atheos etc. Denique nunquam mentionem faciunt fidei, sed quod est de fide vocant opinionem vel convictionem; imo fortasse eo usque procedunt ut, etiam in catholicis, examen dubitativum tamquam licitum tradant, et (contra decretum Concilii *Vat. C. III*) dicunt, ita neminem cogi ad credendum, ut unusquisque possit tunc solum religionem amplecti, quando examine facto illam veram esse deprehenderit. Quantum concionatores huiusmodi fidei et religioni praeiudicent, unusquisque videt.

707. Tertius casus accidit in illis, qui e suggestu dicunt (plus vel minus explicite) ignem inferni non esse materialem sed metaphoricum. Hoc in concionibus ad populum certe dici nequit; ex una parte enim ageretur de doctrina a communi Ecclesiae sensu reiecta, et ex alia fideles scandalizarentur et confunderentur magnumque quoad ipsam fidem detrimentum subirent; idque confirmatur ex responso S. Poenitentiarie (Cf. *Praxim Ed. III. Vol. I. n. 118*). De re ista loquuntur (inter alios) Perrone (*Vol. III. 804*), et Laforet (*I dogmi cattolici Vol. IV. L. XXVI. C. 1*); sed hoc solo sensu intelligi debent.

708. Quartus casus esset si prudentia non adhiberetur dum recentiores progressus sive in scientiis sive in studiis historicis non viderentur compatibles cum antiquis interpretationibus S. Scripturae aut historiis. Cavendum enim non solum a periculo errandi in nova interpretatione (qua in re standum Encyclicae *Providentissimus Deus* SS. mi D. N. Leonis XIII); sed etiam a scandalo populi (ut modo

dicebam), si novitas male audiretur et longe plus malum quam bonum afferret. Loquendo autem in particulari de factis historicis, teneri debent regulae sequentes. Si res quae narrari vellet iam esset certe falsa, tunc, solum aperte declarando quod de apologo agitur, narrari posset. Si tamen res ipsa in antecessum tradita fuisset ut vera, eamque Christifideles tamquam certissimam haberent (prout in miraculo alicuius Imaginis false evulgato contingere posset), tunc a dicta declaratione abstinendum simulque de ea re prorsus silendum esset. Sed ut plurimum res erit non iam certe falsa, sed dubia (hodie enim quidquid miraculosum est nimis facile tamquam falsum reiicitur). Stante autem dubio, narratio fieri poterit dicendo: *Legitur, dicitur, fertur* etc.

709. Ultimus casus contingeret si Clerus non bene procederet quoad obviandi socialismi, et concurrenti ad actionem catholicam. Speciatim autem contingeret 1º in illis qui circa socialismum, operariis ita faverent, ut sarta tectaue minime remanerent iura divitum atque eorum qui operarios ipsos conducunt; et sic de socialismi ipsimet aliquo modo peccarent. 2º In illis qui, longe ab illa unione a qua sola vis fortior efformatur, et quae tantummodo in perfecta obedientia legitimis ducibus consistere potest, semper consilio proprio procedere vellent.

710. *Cur denique dicitur esse adlaborandum ut vocationes ad statum ecclesiasticum promoveantur et custodiantur? Et quomodo parochi pro re ista, et generatim pro bono Cleri, adlaborare poterunt?*

I. Quanta sit in plurimis locis Cleri paucitas, et proinde necessitas promovendi vocationes ad statum ecclesiasticum, iam omnibus notissimum est.

II. In hunc finem maxime valent sequentia: 1º Quae deserviunt ad sanctificandam paroeciam et maxime iuventutem, deserviunt etiam ad promovendas vocationes, quae solum in familiis bonis et in iuvenibus bonis verificari solent. 2º In instructionibus catechisticis oportet ut non desit

instructio circa electionem status, circa consilia evangelica, circa dignitatem status sacerdotalis, circa maiorem facilitatem salutem aeternam in illo assequendi, et denique circa necessitatem in qua versatur Ecclesia habendi bonos sacerdotes. 3<sup>o</sup> De re ista sermo habendus est etiam occasione sacrae missionis, maxime vero in exercitiis spiritualibus pro adolescentulis, atque in collegiis. 3<sup>o</sup> Plurimum iuvant exempla aedificantia, et maxime publicae narrationes laborum et fructuum sacrarum missionum quae in nostris ipsis locis a nostris sacerdotibus peraguntur. 4<sup>o</sup> Denique ruri et in parvis oppidis valde iuvant, imo necessariae sunt scholae privatae, quae pro primis rudimentis a parochis ipsis fiant vel procurentur.

III. Quomodo autem vocationes custodiri debeant, expositum fuit supra (n. 294 et seq). Hic dico solum quod, si forte Clerici pro exercitiis spiritualibus quotannis ad civitatem episcopalem non vocarentur, valde expediret ut parochi meliori modo possibili supplerent.

IV. Loquendo denique de bono Cleri in genere, illud certe a parochis (speciatim in villis et oppidis) quam maxime pendet. Medium autem principalissimum, praeter bonum exemplum, est unio. Sed quomodo parochi (aut archipresbyteri) obtinebunt ut eorundem sacerdotes cum illis sint uniti? Unionem istam obtinebunt sequendo illud ipsum monitum, quod Concilium Trid. (XIII. 1) ad Episcopos dirigit, inquiens: « Se pastores, non percussores esse meminerint, atque ita praeesse suis subditis oportere, ut non eis dominantur, sed illos tamquam filios et fratres diligant ». Sacerdotum nempe non solum iuvenum, sed etiam (imo praecipue) senum, amorem sibi concilient. In hunc finem quae supra dicta fuerunt (n. 689) semper prae oculis habebunt, et si aliqua correctio necessaria videretur, maxime attendere deberent ad aliud eiusdem Concilii monitum: « Si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et

« patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas; plus exhortatio quam comminatio; plus charitas quam potestas ». Dum autem parochi a propriis sacerdotibus amantur, iam ab illis, vel simplici ostensione desiderii, quodcumque bonum obtinere, simulque adversariis agmen compactum opponere poterunt.

## PUNCTUM V.

*De quinto remedio; procurandam esse scilicet meliorationem paroeciae, speciatim quoad viros et excitando zelum christianum.*

711. *Cur dicitur: speciatim quoad viros?* Quia 1<sup>o</sup> Desertio maior accidit in viris, qui longe magis quam foeminae a sectis innumeris quaeruntur et reapse illis adstipulantur. 2<sup>o</sup> Viri in societate habent officia magis momentosa, et proinde multo magis quam mulieres influere possunt in bonum si sint boni, et in malum si sint mali. Experientia autem patet quod, dum bonitas mulierum in pueros influit, postea pravitas virorum illos fere omnes iam inde a prima adolescentia pervertit et in extremam ruinam coniecit. 3<sup>o</sup> Pro re ista adeo necessaria, nisi dicere velimus Clerum valde deficere virosque negligere, certe oportet ut his temporibus de viris sit magis sollicitus, eorumque curam magis magisque adaugeat.

712. *Quo modo parochus curam virorum adaugere poterit?* Media sunt sequentia.

I. In sermonibus ad populum ostendat speciale desiderium eisdem iuvandi, atque adeo saepe et enixe illos roget ut Ecclesiam frequentent, verbum Dei audiant, atque (saltem in maioribus solemnitatibus) ad Sacramenta accedant.

II. Pro confessionibus magnam commoditatem eis praestet; et hac de re recolantur supra dicta (n. 200).

III. Valde iuvant conciones pro solis viris: quae ad modum sermonis familiaris valde clari et non prolixi,

nocturno tempore (nempe post primam noctis horam) fiant. Conciones istae optimo successu peraguntur, quia 1<sup>o</sup> Sic viri maiorem habent commoditatem sedendi. 2<sup>o</sup> Minus subiiciuntur tentationi respectus humani. 3<sup>o</sup> Oculis et mente non evagantur, sed salutariter recollecti remanent et serio considerant. 4<sup>o</sup> Tractantur argumenta eis magis acomodata et necessaria. 5<sup>o</sup> De facto (ut experientia manifestissima patet) cum magno fructu non solum tempore sacrae missionis, sed etiam ad modum praedicationis quadragesimalis, vel exercitiorum spiritualium appropinquante Paschate, peragi solent.

IV. Item iuvant Confraternitates vel Piae Uniones.

V. Hodie adhuc magis ad viros salvandos iuvare possunt Conventus qui italice dicuntur *Circoli* vel *Ritrovi*. Iuvant autem quam maxime capsae rurales. Adde Comitatus parochiales. Sed de his omnibus mox infra sermo redibit.

VI. Denique ad hunc ipsum finem salvandi viros, repeto maximam adesse necessitatem incipiendi a iuventute, et populum contra sectas praemuniendi.

713. *Cur specialis hodie adest necessitas excitandi zelam christianum?* Quia plurimi non amplius Ecclesiam adeunt, et proinde parochi solum ope personarum Ecclesiam ipsam frequentantium (quae ut plurimum sunt mulieres) in illos qui illam non frequentant influere possunt, et quidem ita ut ope earundem gravissima mala impedire et magna bona procurare valeant. Profecto bonae mulieres non raro impedire possunt, v. g. ne in familia mali libri, aut diaria infecta, aut personae periculosae introducantur; ne iuvenes incipiant deserere actus religiosos, vel malos socios aut malos congressus (*club*) frequentent, vel ad malas sive officinas sive scholas mittantur, vel impiis sectis nomen dent: ne aliquis matrimonium mere civile contrahat. E contra ipsae bonae mulieres non raro obtinent ut familia bono diario se associet; ut praeceptis Ecclesiae (v. g. circa Pascha, circa Missam etc.) satisfiat; ut iuvenes ad bona collegia mittantur, aut oratoria frequentent, aut

societatibus catholicis nomen dent; ut qui matrimonium civile tantummodo contraxit, ecclesiasticum quoque contrahat; ut qui in morte sacramenta reliquit, illa recipiat etc.

PUNCTUM VI.

*De sexto medio, ut scilicet, unitis viribus cleri et laicarum consociationum catholicarum, ad procuranda ea quae religioni intersunt, actio (quae dicitur) catholica promoveatur, et debito modo foveatur.*

714. Quid sint consociationes istae: quantum sint utiles et his diebus necessariae: et quaenam cautelae adhiberi debeant ut bene procedant: haec omnia partim sunt notissima et partim declaravi in opusculo cui titulus *De hodierno motu catholico*; unde hic solum per summa capita sequentia superaddo.

715. *Cur actio catholica promoveri debet?*

I. SS.mo D. N. Leoni XIII res ista semper vivissime cordi fuit. « Curare et providere opus est, ut numero, « consensu, efficiendis rebus, floreat lateque amplificentur « societates etc. » (Encycl. ETSI NOS). « Invitandi sunt « ad societates honestas, ne pertrahantur ad turpes » (Encycl. HUMANUM GENUS). « Una omnes mente eademque « disciplina in certamen animose descendant » (Encycl. INIMICA VIS). « Res clamat, vehementer clamat audentibus « animis opus esse viribusque coniunctis » (Encycl. GRAVES DE COMMUNI). Et in Encyclica SPESSE VOLTE dixit: *Allora credemmo giunto il momento di alzar la voce e dicemmo ai cattolici italiani: la religione e la società sono in pericolo: è tempo di spiegare tutte le vostre attività, opponendo al male invadente un argine colla parola, colle opere, colle associazioni, coi comitati, colla stampa, coi congressi, colle istituzioni di carità e di preghiera.... Si ottennero lieti e salutari effetti. Centinaia di associazioni e di comitati sorsero in varie*

*parti d'Italia, e dal loro zelo indefesso ebbero origine casse rurali, cucine economiche e tante altre benefiche istituzioni, che furono salutate dalla riconoscenza e dalle benedizioni del popolo, ed ebbero sovente anche da uomini di altro partito ben meritato elogio.* Adde innumeras rei huius commendationes in aliis epistolis et sermonibus; adde indulgentias; adde praemia honorifica etc.

II. Consociationes catholicae, nempe Circuli catholici, et comitatus (quibus hodie democratia christiana adnectitur) sunt medium efficacissimum 1° ut catholici praeserventur, eorumque numerus crescat; 2° ut ea quae religioni intersunt obtineantur et bene succedant; 3° ut religio ipsa existimetur et ametur; 4° ut adversariis valida oppositio fiat.

Primum patet quia adscripti societatibus catholicis ad sectas non transibunt; insuper de actibus religiosis non verecundantur, sed sine respectu humano impavide illos exercent; praeterea incitamenta ad fervorem, socios et solatia inveniunt; denique habent etiam lucra temporalia; qua in re notari debet quod ad persistendum in bono quoad agricolas maxime valent capsae rurales si bene regulentur, in illis enim socii ex una parte commodissime obtinent pecuniam mutuum solvendo auctarium tenuissimum, qua singulis annis prorsus indigere solent; et ex alia lucrum istud amitterent si ad socialismum diverterent, vel si utcumque, religiosi officii non satisfaciendo, ad capsam ipsam non amplius pertinere possent. Idem dic de operariis catholicis propter mutuam succursum consociatis, maxime si divites non ad accipiendum sed solum ad dandum concurrerent; qua de re SS. mus D. N. (Encycl. *Rerum novarum*) dicit: « Catholici non desunt copiosis divitiis praediti, sed mercenariorum velut consortes voluntarii, qui constituere lateque diffundere grandi pecunia consociationes admittuntur; quibus adinvantibus facile opifici liceat non modo commoda praesentia, sed etiam honestae quietis futurae fiduciam sibi labore quaerere ».

Secundum patet, quia laici felicissimo exitu efficere possunt multa, quae solus Clerus vel nullatenus vel non ita bene et facile complere valeret. Exemplum habes in electionibus municipalibus, in parandis publicis demonstrationibus, vel innumeris subscriptionibus pro recursibus, protestationibus etc. etc.

Tertium patet, quia Circuli et Comitatus catholici 1° palam faciunt quod non sacerdotes tantummodo et mulieres, sed etiam viri saeculares, religioni adhaerent eamque defendere sunt parati; 2° in signum fidei ingentissimum fidelium numerum pro sacris peregrinationibus parant; 3° favorem populi religioni conciliant operibus charitatis et beneficentiae, quandoquidem v. g. pro coquinis oeconomicis, pro dictis capsis ruralibus et societatibus mutui succursus, pro unionibus professionalibus et, uno verbo, pro pauperum et operariorum bono, valde adlaborare solent.

Quartum patet non solum quia omnia praedicta ex sese contra religionis hostes maximam oppositionem efformant; sed etiam quia boni catholici ita consociati omnes et singulos illorum gressus observant, attentissime invigilant et curant ut nedum eorundem machinationes in irritum cadant, sed etiam contrarium sequatur.

716. Dices: Quomodo tot ac talia bona obtineri poterunt si qui associationibus catholicis nomen dant, sunt adeo pauci? Respondeo vim pendere non solum a numero, sed etiam ab ordine (it. *organizzazione*) et operositate. Sic profecto pauci longe plus quam multi dispersi valere possunt, ut ex facto patet. Adde quod si res bene procedant, atque ab illis ad quos spectat debita cura adhibeatur, existimatio subsequetur et numerus adaugebitur. Praeterea, si Comitatus sint in singulis paroeciis, iam ex hoc ipso (in complexu) non pauci sed multi erunt.

717. *Cur dicitur, actionem catholicam esse non solum promovendam, sed etiam debito modo fovendam?* Quia circa comitatus et circa democratiam christianam (quae, ut dixi, iisdem adnectitur) advertentiae speciales

exiguntur; atque insuper quia cavendum est ne Clerus, actioni catholicae nimis attendendo, sibi ipsi aut etiam christifidelibus praeiudicet.

718. *Quid itaque speciatim circa circulos et comitatus catholicos adverti debet?*

I. Curandum de substantia, non vero de sola apparentia; et proinde parochus socios sui comitatus ferventer adhortabitur, ut Ecclesiam frequentando, actus religiosos exercendo etc. prae omnibus aliis vere exemplares sint. In magnis civitatibus autem omnino curandum ut pro societatibus catholicis, appropinquante paschate, exercitia spiritalia nunquam desint. Valde etiam iuvant conferentiae, quae profecto fervorem excitant, animum addunt, instruunt, activitatem adaugent etc. Maxime autem oportet ut omnes consociationum ipsarum scopum prae oculis habeant, de quo SS. mus D. N. (Encycl. *Spesse volte*) dicit: *L'azione dei cattolici mira.... a moralizzare le popolazioni; renderle ossequenti alla Chiesa ed al suo Capo, allontanarle dal pericolo del socialismo, e sollevarne l'indigenza colle opere molteplici della carità cristiana.*

II. Parochus non equidem tolerabit quod socii independenter et contra vetitum suum quidquam agant; sed simul circa eorum defectus (subinde inevitabiles) patientiam adhibebit.

III. Denique (et hoc summi momenti est) oportet ut parochi in sermonibus ad populum utilitatem et necessitatem consociationum catholicarum ostendant, nedum ut fideles praeserventur et Ecclesiam adeo indigentem magis adiuvent, sed etiam ne catholici ignominiae subiiciantur, eo quod societates impiorum adeo floreat, semperque maiori assecularum numero adaugeantur. Curabunt autem specialissimo modo ut iuvenes in Oratoriis (ut supra n. 173) praeservati, assecuta aetate requisita, Comitatus libenti animo adscribantur. Manifeste patet quod haec omnia sunt adeo necessaria, ut, illis neglectis, de Comitatus actum esset. Quum tamen non desint qui dicunt, se quidem bonos

catholicos remansuros sed neque comitatibus neque circulis neque sectionibus (quae dicuntur iuveniles) nomen dare velle, cavebunt parochi ne spiritualem eorundem curam hac de causa negligant: sed potius advertant quod verum fundamentum in oratoriis, in verbi Dei auditione et in aliis actibus stricte religiosis consistit.

719. *Quid speciatim circa democratiam christianam adverti debet?*

I. Scopum habet obviandi socialismo. Illa parochis maxime cordi esse debet. SS. mus D. N. (Encycl. *Graves de communi*) dicit: « Aequè de civitate ac de religione agitur < res >, et ex facto patet quod, socialismo paroeciam invadente et efformatis foederationibus socialisticis, iam in paroecia ipsa quivis religionis usus cessare incipit.

II. Agitur de re ex una parte summopere momentosa et ex alia perdifficili; unde oportet ut omnia procedant sub unica directione suprema, sapientissima, et legitimam auctoritatem habente, cui quotquot democratici catholici esse volunt perfectissime obediant. Omnes autem norunt, directionem istam a SS. mo D. N. Operi (quae dicitur) Congressuum (accedente moderatione Episcoporum) commissam fuisse, ut patet ex encycl. cit. et Instructione S. C. negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositae.

III. Clerus itaque imprimis curet ut dicta obedientia de facto, ex animo et perfecte subsequatur; et proinde ut ducibus intrusis, atque cuilibet zelo indiscreto (it. *fanatismo*) aditus praecludatur. Quoad divites autem, simulque quoad pauperes et operarios sequenti modo se gerat.

IV. Quoad divites, eis commendet 1<sup>o</sup> ut copiam operis operariis suppeditent; dicente SS. D. N. (Encycl. *Rerum novarum*): « Magnopere providendum ut copia operis nullo tempore deficiat opificem ». Commendat 2<sup>o</sup> iustitiam mercedis, et declaret non semper esse iustam illam de qua convenitur; unde idem SS. mus D. N. (*l. c.*) dicit: « Si < necessitate opifex coactus aut mali maioris metu per- > motus, duriozem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit,

« accipienda sit; quod a domino vel a redemptore operum  
 « imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia  
 « reclamatur ». Commendet 3<sup>o</sup> charitatem nedum erga paupe-  
 res stricte dictos, sed etiam erga operarios, ut scilicet (prout  
 supra dicebam *n. 715. II*), iuxta monitum eiusdem SS. D. N.  
 (*l. c.*), constituent se ipsos eorundem socios voluntarios  
 pro capsula mutui succursus, et quidem ita ut « necessitati  
 « singulorum subveniatur non solum in subitis et fortuitis  
 « industriae casibus, sed etiam cum valetudo aut senectus  
 « aut infortunium quemquam oppresserit ».

V. Ipse autem Clerus quoad pauperes et operarios  
 1<sup>o</sup> Caveat ne unquam tali utatur loquendi modo, ut con-  
 tra divites animi aversionem, seu ut aiunt, odium classis,  
 inducere posset. Ab hoc, inquam, caveat, nedum quia  
 christiana charitas et bonum societatis concordiam inter  
 ambas classes omnino postulant; sed etiam quia ad rem  
 componendam prorsus oportet ut divites concurrant et  
 proinde benevoli servantur (*Instruct. cit.* et *Encycl. Re-  
 rum novarum*). 2<sup>o</sup> Gravissimis verbis ius proprietatis tueat-  
 ur. « Caput est (dicit SS. mus D. N. *l. c.*), tutari pri-  
 « vatas possessiones oportere.... » 3<sup>o</sup> Cessationes ab opere  
 voluntarias (vulgo *scioperi*) vehementer dissuadeat; qua  
 de re idem SS. mus D. N. (*l. c.*) dicit: « Genus istud  
 « cessationis non heros dumtaxat atque opifices ipsos af-  
 « ficit damno, sed mercaturis obest rei publicae uti-  
 « litatibus: cumque haud procul esse a vi turbisque  
 « soleat, saepenumero tranquillitatem publicam in discrimen  
 « adducit ». Practice enim aut quod his cessationibus  
 petitur est iniustum, aut cessationes ipsae (propter  
 consequentias et re in complexu considerata) longe magis  
 in malum quam in bonum redundant. 4<sup>o</sup> Ostendat quod  
 in morum corruptione vera et praecipua causa, et in  
 morum emendatione verum et praecipuum remedium re-  
 poni debet; unde idem SS. mus D. N. (*Encycl. Graves  
 de communi*) dicit, praesentem quaestionem sociale, po-  
 tiusquam oeconomica, esse morale, idque sic declarat:

« Esto ut operam locantibus geminetur merces; esto ut  
 « contrahatur operi tempus; etiam annonae sit vilitas:  
 « atqui, si mercenarius eas audiat doctrinas, ut assolet,  
 « eisque utatur exemplis, quae ad exuendam Numinis re-  
 « verentiam alliciant, depravandosque mores, eius etiam  
 « labores ac rem necesse est dilabi. Periclitatione atque  
 « usu perspectum est, opifices plerosque anguste misere-  
 « que vivere, qui, quamvis operam habeant breviorum  
 « spatio et uberiores mercede, corruptis tamen moribus  
 « nullaque religionis disciplina vivunt. Deme animis sen-  
 « sus quos inserit et colit christiana sapientia; deme  
 « providentiam, modestiam, parsimoniam, patientiam cete-  
 « rosque rectos naturae habitus; prosperitatem etsi mul-  
 « tum contendas, frustra persequere ». Vehementer denique  
 adhortetur operarios ut evitent nedum foederationes so-  
 cialistarum (vulgo *leghe di resistenza*), sed etiam alias  
 societates valde suspectas; et potius, iuxta monitum eius-  
 dem SS. mi D. N. (*Encycl. Rerum novarum*) societatibus  
 catholicis nomen dent, inter quas illae, quae ita dicuntur  
*Unioni professionali*, hodie praecipue proponuntur.

720. *Quid de cautela ne Clerus, ex zelo excessivo  
 actionis catholicae, sibi ipsi aut etiam christifidelibus  
 praeiudicet?*

I. Oportet quidem democratiae christianae attendere,  
 atque (ut Summus Pontifex dixit) exire a sacrario et ire  
 ad populum; sed cavendum ne, eundo ad populum, sacer-  
 dotes dignitati et gravitati sui status praeiudicent, maxi-  
 me vero ne, v. g. pro capsula ruralibus, secretariatu populi  
 etc. agendo cum laicis, illorum mores induant aut saltem  
 nimis dissipentur et spiritus ecclesiastici iacturam faciant.  
 Exeant itaque a sacrario, sed sicut Apostoli exierunt a  
 coenaculo pleni Spiritu Sancto, postquam in illo extiterant  
*perseverantes unanimiter in oratione*, atque ad illud stam-  
 tim redire sint solliciti. Apostolus dixit: *Opus fac evangelistae*;  
 sed prius dixerat: *Attende tibi et lectioni*. Et instructio cit.  
 dicit: *Senza dubbio il sale dev'essere me-*

scolato colla massa che deve preservare dalla corruzione; ma nel medesimo tempo, esso stesso deve sottrarsi a questa, per non perdere ogni sapore..... Nella stessa guisa il sacerdote, sale della terra, nel contatto che è obbligato ad avere colla società che lo circonda, deve conservare la modestia, la gravità, la santità del suo contegno, nei suoi atti e nelle sue parole, e non lasciarsi prendere dalla leggerezza, dalla dissipazione, dalla vanità delle persone mondane. Secus enim, ut ait S. Augustinus, esset ad instar candelae quae, dum illuminat alios, destruit seipsam.

II. Dictus excessus posset etiam christifidelibus praedictum inferre. Quid enim si parochi toti essent pro actione catholica, et de caetero paroeciam negligenter? Spiritus paroeciae cura semper primum locum tenere debet; imo sine illa vix quidquam finis sui ipsa actio catholica assequi posset. Hoc etiam declaravit SS. mus D. N. (Encycl. *Rerum novarum*) inquit: « Cum religio malum pellere funditus sola possit, illud reputent universi, imo primis instaurari mores christianos oportere, sine quibus ea ipsa arma, quae maxime putantur idonea, parum sunt ad salutem valitura ». Et notandum quod ad rectam et fructuosam paroeciae curam maxime necessaria est prudentia, cui etiam zelus excessivus actionis catholicae obstare posset, ut puta, si talis vel talis agendi ratio ad illam quidem spectaret, sed attentis circumstantiis particularibus magis obsesset quam prodesset, et proinde adhiberi non deberet.

## PUNCTUM VII.

*De septimo medio; nempe pro concursu ad urnas administrativas, et (ubi a S. Sede permittitur) etiam politicas, valde adlaborandum esse, ut electiones religioni favorabiles evadant.*

721. I. Hoc etiam in puncto ita nos docet SS. mus D. N. (Encycl. *Immortale Dei*) inquit: « Catholicorum

« hominum operam.... ipsam summam rempublicam complecti, generatim. utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia.... potest alicubi accidere ut maximis iustissimisque de causis, rempublicam capessere in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii nihilque operae: eo vel magis quod catholici homines.... ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati: minimum, qui bene ».

II. Ubi autem ad urnas non solum administrativas sed etiam politicas (seu gubernativas) concurrere licet, idem SS. mus D. N. docet concurrendum esse quamvis Gubernium in initio fuisset illegitimum et nunc quoque foret perversissimum; neque ad Gubernii ipsius formam, neque ad factiones, bene vero solum ad meliorandam legislationem esse attendendum. Haec omnia declarat et valde inculcat in Encyclicis AU MELIEU et NOTRE CONSOLATION (Acta XXIV. 519. 641) ad Gallos (an. 1892) missis. Dicit: *Nous avons dit aux catholiques français: Acceptez la Republique; c'est a dire le pouvoir constitué et existant parmi vous; respectez-le; soyez-lui soumis comme représentant le pouvoir voulu de Dieu.... Mais une difficulté se présente: Cette Republique est animée de sentiments antichrétiens, que les hommes honnêtes, et beaucoup les catholiques, ne pourraient consciencieusement l'accepter*. — *On eût évité ces regrettables divergences, si l'on avait su tenir soigneusement compte de la distinction considérable qui il y a entre pouvoirs constitués et législation. La législation diffère à tel point des pouvoirs politiques et de leur forme, que, sous le régime*

dont la forme est la plus excellente, la législation peut être detestable; tandis qu'à l'opposé sous le régime dont la forme est la plus imparfaite, peut se rencontrer une excellente législation. Hoc autem maxime pendet a viris qui per publica suffragia ad condendas leges mittuntur. *En pratique (ait) la qualité des lois dépend plus de la qualité de ces hommes, que de la forme du pouvoir.* Et proinde concludit: *Voilà précisément le terrain sur lequel, tout dissentiment politique mis à part, les gens de bien doivent s'unir comme un seul homme pour combattre, par tous les moyens légaux et honnêtes, ces abus progressifs de la législation.* In re autem tanti momenti a qua totius nationis salus pendet, gravissima certe obligatio adest plene Summo Pontifici obtemperandi et seponendi factiones. *Pour aboutir là (ait ipse Summus Pontifex) una grande union est nécessaire, et si l'on veut y parvenir, il est indispensable de mettre de côté toute préoccupation capable d'en amoindrir la force et l'efficacité.*

III. Quamvis bonum nationis concursus ad urnas politicas expostulet, bonum Ecclesiae universalis (quod certe praevaleret) propter circumstantias prorsus singulares et notissimas (ita etiam decernente Pontifice) illum vetat in Italia. Sed aliud est de concursu ad urnas administrativas. SS. mus D. N. (*Encycl. ai Vescovi, al Clero e al popolo d'Italia*) dicit: *Il concorso dei cattolici alle elezioni amministrative è lodevole e più che mai da promuoversi.* Huius autem obligationis ratio (supposita spe fructus in casibus particularibus) est evidens: sic enim ex una parte impediatur ne eligantur massones aliique scelestissimi, qui, si municipii regimen assequerentur, innumera mala in damnum religionis essent perpetraturi; et ex alia obtinebitur ut (saltem in parte) eligantur catholici, qui statim operam salutarem incipient, Locis Piis bene providendo, scholis aliisque publicis officiis personas honestiores praeficiendo, et uno verbo bona summi momenti Religioni et societati procurando.

IV. Quoad modum, qui practice adhiberi debet a catholicis ut electiones iisdem benevertant, notanda sunt sequentia.

a) Parochi omni nisu curent ut parochiani cognoscant necessitatem quod electiones bene succedant et proinde obligationem ad urnas concurrenti bonosque consiliarios eligendi. Hinc parochi ipsi curabunt etiam ut catholici, qui iuxta legem possunt esse electores, in publico albo inscribantur. Bonus exitus orationibus christifidelium est commendandus. In Gallia (ut omnes norunt) cum maxima solemnitate publicae supplicationes ad hoc fieri solent. Potest etiam expedire imo oportere ut parochi industrias particulares adhibeant, ut numerus eorum qui pro catholicis suffragium sint lataturi, adaugeatur aut magis in tuto ponatur. Notandum, paroecias rurales magnum bonorum electorum numerum apud nos suppeditare: periculum desertionis (repeto) esse in socialismo, et medium illam impediendi maxime in capsis ruralibus esse ponendum.

b) In Dioecibus, ubi iam vigent Comitatus et Circuli catholici qui de electionibus curam habent, parochis (praeter praedicta) spectabit solum ut eorundem Comitatum directionem sequantur et requisitas notitias suppeditent.

c) Ubi haec directio non adesset, et parochi tota rei huius cura relinquatur, ille libellos (vulgo *manualia*), in quibus omnia ad rem explicantur, sibi procurare deberet.

d) Oportet imprimis tempestive conficere elenchum electorum, in quo notandum quinam pro parte catholica sint certi, et quinam sint dubii, et quinam contrarii. Mutationes autem, quae identidem subsequuntur, sedulo adnotentur, ut elenchus ipse, proxime ante electiones, exactus et in plena regula sit.

e) Appropinquantibus diebus electionum, seriem (i. e. *la lista*) eligendorum determinare oportet.

f) Si boni electores tot numero sint ut series a catholicis proposita sine dubio victrix esse debeat, tunc (speciatim in parvis oppidis) in nominibus determinandis qualitates personales tantummodo considerandae erunt, ut scilicet consilarii municipales sint omnes boni catholici, neque desint qui sufficienti dexteritate et instructione officiis principalibus (syndici, assessorum etc.) fungi valeant. In tali enim casu catholici administrationem municipii nedum capessere, sed etiam (ut experientia patet) felici exitu et cum communi satisfactione retinere solent; neque in seria obstacula a parte Gubernii incurrunt; idque quamvis antea viri liberales Municipio ipso potirentur. Dices: Nonne aderit difficultas circa officium Syndici, quod, iuxta hodiernas leges civiles, suscipi nequit sine emissionem iuramenti fidelitatis, et quidem ita ut nulla limitatio, in ipsa illius formula, exprimi possit? Nonne iuramentum hoc modo prolatum ab Ec-



clesia interdicatur? Nonne insuper in Syndici officio exercendo intervenient necessario circumstantiae tales, ut vir catholicus officium simul et conscientiam servare nequeat? Respondeo: Ecclesiae adeo cordi est ut catholici municipia regere atque etiam officium Syndici adimplere valeant, ut (prævia petitione) huius officii acceptationem concedat, simulque doceat quo alio modo limitatio iuramenti exprimi possit, et quomodo Syndicus catholicus in dictis circumstantiis se gerere debeat. Potius difficultates aderunt a parte persecutionum, unde oportet omnino ut consilarii sic electi constanti et impavido animo præditi sint, ut illas (quæ caeteroquin non diu durabunt, quum nihil violentum durabile), sine dimissione officii, superare possint.

g) Si autem electores de quibus sit fidendum non adeo abundant, vel si utcumque consilium municipale mere catholicum componi vel sustineri nequeat (prout in magnis civitatibus facile contingit), tunc proponenda erit series (uti aiunt mixta, in qua scilicet partim sint catholici et partim liberales (exclusis massonibus aut religioni nimis adversis). Talis series dici solet *lista concordata*, nempe efformata prævia conventionem inter utriusque partis ducés, et cum pactis quantum fieri potest (saltem quoad res magis necessarias) religioni favorabilibus. Si denique nequidem series mixta possibilis esset, tunc adnitendum ut saltem pauci catholici sique maxime idonei, in municipium introducantur.

h) Vigilandum tempestive et providendum ne dies pro electionibus designanda futura sit incommoda electoribus ruricolis, prout contingere potest tempore messis.

i) Quoad electores ruricolos, qui ut plurimum ignorantia magna laborant, et facile pro re indifferenti habent sive pro catholicis sive pro massonibus suffragium dent, maxime oportet ut bene edoceantur, et quidem veniendo admodum ad particularia, circa modum practicum, atque etiam illos præmuniendo contra fraudes et dolos quibus subici possent.

k) Providendum ut inter illos, qui schedularum depositioni præesse debent (it. *al seggio*), catholici non desint.

l) Providendum est etiam ut pro electoribus, qui dictis praesidibus futuri sunt incogniti, non desint testes, qui et ipsi sint electores et de personae identitate fidem faciant.

m) Sedulo cavendum ne sive solutione pecuniae (etsi solum titulo compensationis pro expensis itineris, victus etc.), sive promissionibus, sive minis etc. quidquam fiat, quod (iuxta *Art. 102. 103*) electoribus aut electis poenas infligendi occasionem vel praetextum præbere possit.

n) Denique quam maxime advertendum ut catholici electi, in officio eisdem commisso bene se gerant et lucra etiam temporalia, quæ ab eorundem electoribus expectantur, de facto procurent; secus enim pro sequentibus electionibus eorundem favorem essent amissuri.

PUNCTUM VIII.

*De medio octavo; oportet scilicet diariis librisque bonis favere, et malis omni nisu adversari.*

722. SS. mus D. N. (Encycl. *Etsi nos*) dicit: « Per magni refert publicari et longe lateque fluere salubriter scriptis. — Qui capitali odio ab Ecclesia dissident, scri-

« ptis editis decertare, iisque tamquam aptissimis ad nocendum armis uti consueverunt. Hinc teterrima librorum colluvies, hinc turbulenta et iniqua ephemerides, quarum vesanos impetus nec leges frenant, nec verecundia continet! Quidquid est... per seditionem et turbas gestum, iure gestum esse defendunt: dissimulant aut adterant verum. Ecclesiam et Pontificem maximum quotidianis maledictis falsisque criminationibus hostiliter petunt: nec ullae sunt tam absurdae pestiferaeque opiniones, quas non disseminare passim aggrediantur. Huius igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est: nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit. Præterea scripta scriptis opponenda, ut ars quæ potest plurimum ad perniciem, eadem ad hominum salutem et beneficium transferatur, atque inde remedia suppetant, unde mala venena quaeruntur ».

723. Veniendo autem ad particularia, haec, speciatim pro parochis, sunt sequentia.

I. In sermonibus ad populum ostendant quanta perniciēs ex libris et diariis pravis, proveniat, et quanta urgeat in conscientia obligatio ab eorundem lectione abstinendi. E contra de magna bonarum lectionum utilitate verba faciant, easque studiose omnibus commendent.

II. Speciali modo procurent ut fideles bonis diariis dent nomen; non vero pravis, secus enim diaria, quæ bellum religioni inferunt, a catholicis sustentarentur.

III. Valde expediret ut in loco adesset bibliotheca catholica, quæ *circulans* dici solet, ad commodum illorum qui, exiguissimam solvendo pecuniae summam, ius bonos libros toto anno legendi habere velint.

IV. Nedum autem expediret sed oporteret, ut libelli in quibus simplici et perspicuissimo sermone exposita essent motiva credibilitatis Religionis quam maxime diffunderentur et in omnibus domibus, simul cum catechismo, invenirentur. Ad

confirmandos christifideles in Religione nihil melius deservire potest quam considerare illa ipsa media quae Deus adhibuit ad illam credibilem reddendam. *Digitus Dei est hic. Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Hac de causa duo confeci italico idiomate opuscula, quibus titulus: I MIRACOLI LE PROFEZIE.

## PUNCTUM IX.

*De nono medio; curandum scilicet ut facilius inveniri possit pecunia, quae sine dubio exigitur, ut ad Religionis tuitionem praedicta adhiberi valeant.*

724. I. Iam vidimus quod hodie maxima adest necessitas tuendi religionem, speciatim curando ut reddatur amabilis per opera charitatis et beneficentiae erga pauperes et operarios: item habendo curam inventutis per oratoria, recreatoria et alia media praeservationis: item promovendo et adjuvando actionem catholicam: item procurando ut benevertant electiones municipales etc. Sed pro his omnibus non sufficit opera et labor, sed exigitur pecunia et quidem multa. Ubinam inveniatur? Omnes norunt quantum et quam frequenter pro festis, pro ornatu ecclesiarum et pro innumeris devotiunculis pecunia petatur; et hac de causa pro praedictis rebus longe magis necessariis parum remanet, et certe summae quae exigenter non amplius inveniri possunt. Quid itaque? Nunquid sinendum ut religio in ruinam coniciatur ne devotiunculae deficiant? Quid stultius? Permanerentne devotiunculae si religio periret? Equidem multa, etiam pro cultu, sunt necessaria, sed necessitas respicit substantiam, non vero ordinarie modum et gradum. Insuper non raro contingit ut pluribus iam sufficienter fuerit provisum, vel ut uni rei aliquod detrahi debeat ut alteri provideatur. Hinc legimus in historiis quod Sancti vendiderunt etiam vasa sacra ut aliis maioribus necessitatibus subvenirent. Discretio itaque adhibeatur, et rebus, quae iuxta circumstantias sunt magis neces-

sariae, praefereantur. Veniendo autem praecise ad casum nostrum, rem hanc bene perspexit et in Congressu catholico Romae habito (an. 1893) solemnissime declaravit Eminentissimus Card. Parocchi, inquit: *Vorrei meno feste religiose, meno musiche, meno candele sugli altari, ma più fede nel popolo, più educazione cristiana, più forte organizzazione e maggior copia di opere salutari; Invece or qua or là vediamo purtroppo spendersi somme favolose in una festa, in una manifestazione pomposa, che ha forse troppo del mondano e del teatrale, e non rade volte lascia strascichi di malcontento e di debiti; mentre molto si poteva risparmiare per opere di educazione, di restaurazione sociale cristiana, di cui è tanto sentita la necessità* Et in alio sermone (11 Jul. 1901) ad E. mos Cardinales, Episcopos et Praelatos dixit: *Dobbiamo ritenere codesta, come l'opera principe, essendo l'opera della fede. Il Crisostomo, interpretando l'estote prudentes sicut serpentes, osserva che, siccome il serpente, quando è assalito, mette in sicuro la testa, così il cristiano deve assicurare la fede, principio e radice delle altre virtù, salva la quale non è difficile salvare il resto. Tale sia la preservazione della fede verso le opere rimanenti.*

II. Ut autem practice hoc etiam in puncto res bene procedant atque efficaciter finis intentus obtineatur, tria exiguntur. 1º Hodie parce procedatur in petenda pecunia pro rebus ad cultum quidem spectantibus sed non necessariis, maxime vero cavendum ne sine consensu Episcopi quidquam novi petatur. 2º Sicut in aliis rebus, ita etiam in ista, recta instructio christifidelibus detur, illis scilicet significando quaenam opera hodie sint magis necessaria, magisque indigeant ut etiam ope pecuniae cum praefereantia adjuventur. 3º Curandum ut circa pecuniae oblatae administrationem, et rerum sapienter propositarum executionem, omnia ita bene procedant, ut oblatores contenti remaneant, et prout opus erit prosequantur.

*De decimo medio; omni scilicet quo potest modo curandum ut reipsa media praedicta adhibeantur.*

725. Quid profecto iuaret, haec scripta fuisse si de facto ad praxim non deducerentur? Ut autem ad praxim deducantur, maxime deservient sequentia. 1<sup>o</sup> In scholis theologiae moralis et pastoralis haec maxime exponantur et explicentur. 2<sup>o</sup> Parochi eadem legant et considerent, de iisque in suis conferentiis loquantur. 3<sup>o</sup> Diariorum atque ephemeridum scriptores de rebus istis adeo necessariis et fundamentalibus serio et saepius agant. Nihil dico de Episcopis, qui sine dubio muneri suo satisfacturi erunt.

#### CONCLUSIO

726. Manus itaque operi admoveamus. Hodie adhuc superest remedium, et magna ex parte pendet a nobis.

Media supra exposita sunt in manu nostra, sunt necessaria, sunt efficacissima, sunt insuper talia ut satis facile imo cum vera animi delectatione adhiberi possint. Quid enim iucundius quam pauperibus subvenire, omnibus bene facere, religionem reddere amabilem, inventutem salvare etc.?

Certe exigitur etiam labor; sed laboremus magno animo et labori non parcamus, quia necessitas est vere extrema; agitur enim de impedienda generali apostasia a religione et totali ruina societatis.

Laboremus, planeque persuasi simus quod (ut dicit SS. mus D. N.) nihil est medium inter laborem et interitum. Heu quantum laborant inimici nostri! Laboremus ad salutem quantum ipsi laborant ad perditionem.

Laboremus sub directione S. Sedis et Episcoporum nostrorum, atque ita ut hostibus catholici nominis viribus unitis murum aeneum opponamus.

Laboremus constanter, genere, impavide. Pro nihilo habeamus incommoda: impedimentis et persecutionibus (ab operibus Dei inseparabilibus) non terreamur, sed ad prosequendum magis magisque accendamus; nec simus sicut qui in pugna, parvo vulnere accepto et viso sanguine, expalescunt, animo deiciuntur et fugam arripiunt.

Laboremus amore Dei, amore religionis, amore humanitatis, amore salutis aeternae fratrum nostrorum. Sic laborem non sentiemus. *Ubi amatur, non laboratur, et, si labor est, labor amatur.*

Laboremus denique, enixe et ex toto corde rogando Deum, ut labores nostri, quo citius fieri potest, felici exitu et cum triumpho religionis coronentur.

#### CAPUT XXXI.

##### De cautelis hodie apud nos adhibendis propter leges civiles.

727. Expono sequentes articulos ex novo codice poenali, et ex lege vulgo *sulla pubblica sicurezza* extractos; quorum notitia, speciatim ad cavendum a gravibus poenis (quantum salva conscientia possibile erit), parochis (in Italia) utilis esse poterit.

#### EX CODICE POENALI.

##### *Degli abusi dei ministri dei culti nell'esercizio delle proprie funzioni.*

Art. 182. « Il ministro di un culto, che, nell'esercizio delle sue funzioni, pubblicamente biasima o vilipende le istituzioni, le leggi dello Stato, o gli atti dell'Autorità, è punito con la detenzione sino ad un anno e con la multa sino a lire mille.

Art. 183. « Il ministro di un culto, che prevalendosi della sua qualità, eccita al dispregio delle istituzioni, delle leggi e delle disposizioni dell'Autorità, ovvero all'inosseranza delle leggi, delle disposizioni dell'Autorità, o dei doveri inerenti ad un pubblico ufficio, è punito con la detenzione da tre mesi a due anni, con la multa da lire cinquecento a tremila e con l'in-

*De decimo medio; omni scilicet quo potest modo curandum ut reipsa media praedicta adhibeantur.*

725. Quid profecto iuaret, haec scripta fuisse si de facto ad praxim non deducerentur? Ut autem ad praxim deducantur, maxime deservient sequentia. 1<sup>o</sup> In scholis theologiae moralis et pastoralis haec maxime exponantur et explicentur. 2<sup>o</sup> Parochi eadem legant et considerent, de iisque in suis conferentiis loquantur. 3<sup>o</sup> Diariorum atque ephemeridum scriptores de rebus istis adeo necessariis et fundamentalibus serio et saepius agant. Nihil dico de Episcopis, qui sine dubio muneri suo satisfacturi erunt.

#### CONCLUSIO

726. Manus itaque operi admoveamus. Hodie adhuc superest remedium, et magna ex parte pendet a nobis.

Media supra exposita sunt in manu nostra, sunt necessaria, sunt efficacissima, sunt insuper talia ut satis facile imo cum vera animi delectatione adhiberi possint. Quid enim iucundius quam pauperibus subvenire, omnibus bene facere, religionem reddere amabilem, inventutem salvare etc.?

Certe exigitur etiam labor; sed laboremus magno animo et labori non parcamus, quia necessitas est vere extrema; agitur enim de impedienda generali apostasia a religione et totali ruina societatis.

Laboremus, planeque persuasi simus quod (ut dicit SS. mus D. N.) nihil est medium inter laborem et interitum. Heu quantum laborant inimici nostri! Laboremus ad salutem quantum ipsi laborant ad perditionem.

Laboremus sub directione S. Sedis et Episcoporum nostrorum, atque ita ut hostibus catholici nominis viribus unitis murum aeneum opponamus.

Laboremus constanter, genere, impavide. Pro nihilo habeamus incommoda: impedimentis et persecutionibus (ab operibus Dei inseparabilibus) non terreamur, sed ad prosequendum magis magisque accendamus; nec simus sicut qui in pugna, parvo vulnere accepto et viso sanguine, expalescunt, animo deiciuntur et fugam arripiunt.

Laboremus amore Dei, amore religionis, amore humanitatis, amore salutis aeternae fratrum nostrorum. Sic laborem non sentiemus. *Ubi amatur, non laboratur, et, si labor est, labor amatur.*

Laboremus denique, enixe et ex toto corde rogando Deum, ut labores nostri, quo citius fieri potest, felici exitu et cum triumpho religionis coronentur.

#### CAPUT XXXI.

##### De cautelis hodie apud nos adhibendis propter leges civiles.

727. Expono sequentes articulos ex novo codice poenali, et ex lege vulgo *sulla pubblica sicurezza* extractos; quorum notitia, speciatim ad cavendum a gravibus poenis (quantum salva conscientia possibile erit), parochis (in Italia) utilis esse poterit.

#### EX CODICE POENALI.

##### *Degli abusi dei ministri dei culti nell'esercizio delle proprie funzioni.*

Art. 182. « Il ministro di un culto, che, nell'esercizio delle sue funzioni, pubblicamente biasima o vilipende le istituzioni, le leggi dello Stato, o gli atti dell'Autorità, è punito con la detenzione sino ad un anno e con la multa sino a lire mille.

Art. 183. « Il ministro di un culto, che prevalendosi della sua qualità, eccita al dispregio delle istituzioni, delle leggi e delle disposizioni dell'Autorità, ovvero all'inosseranza delle leggi, delle disposizioni dell'Autorità, o dei doveri inerenti ad un pubblico ufficio, è punito con la detenzione da tre mesi a due anni, con la multa da lire cinquecento a tremila e con l'in-

« terdizione perpetua o temporanea dal beneficio ecclesiastico. Se il fatto sia commesso pubblicamente, la detenzione può estendersi sino a tre anni.

« Alle stesse pene soggiace il ministro di un culto, che, prevalendosi della sua qualità, costringe od induce alcuno ad atti o dichiarazioni contrarie alle leggi, od in pregiudizio dei diritti in virtù di esse acquistati.

## EX LEGE

QUAE DICITUR *sulla pubblica sicurezza.**Delle cerimonie religiose fuori dei templi e delle processioni ecclesiastiche e civili.*

Art. 7. « Chi promuove o dirige *cerimonie religiose, o altro atto di culto* fuori dei luoghi a ciò destinati, ovvero *processioni ecclesiastiche* o civili nelle pubbliche vie, deve darne avviso, almeno tre giorni prima, all'autorità locale di pubblica sicurezza.

« Il contravventore è punito coll'ammenda sino a lire cento.

Art. 8. « L'autorità locale di pubblica sicurezza può vietare, per ragioni d'ordine e di sanità pubblica, le processioni e gli altri atti di cui all'articolo precedente, dandone avviso ai promotori almeno ventiquattrore prima.

« Il contravventore al divieto è punito a termini del Codice penale.

Art. 9. « Le disposizioni di questo capo non si applicano agli accompagnamenti del viatico e ai trasporti funebri, *salve le prescrizioni delle leggi e dei regolamenti di sanità pubblica e di polizia locale.*

*Circa i fuochi artificiali, gli spari, i mortaretti e gli areostati.*

Art. 24. « Senza la licenza dell'autorità locale di pubblica sicurezza e la osservanza delle prescrizioni a cui verrà vincolata, non possono spararsi armi da fuoco, mortaretti, nè lanciarsi razzi, accendersi fuochi di artificio, innalzarsi areostati con fiamme, o in generale farsi esplosioni o accensioni pericolose od incommode, negli abitati e nelle loro vicinanze, nè contro o lungo le vie pubbliche.

« Il contravventore è punito a termine del codice penale.

N. B. Una circolare del Ministro dell' Interno determina così le condizioni di questa licenza:

1. « Il permesso per lo sparo dei mortaretti di cui all'articolo 90 della legge di P. S., deve essere dato per iscritto e contenere la indicazione della località nella quale si fa lo sparo e che deve essere riposta ed isolata o tale da permettere che si possano facilmente tenere a sufficiente distanza gli spettatori.

2. « Il permesso non può essere accordato a persona che per età, indole od altre ragioni, non presenti sufficienti garanzie di prudenza e di serietà.

3. « Prima di accordare il permesso, l'autorità locale di P. S. verificherà o farà verificare il buono stato dei mortai, negandolo recisamente per l'uso di strumenti in cattive condizioni e non sicuri.

4. « L'autorità locale di P. S. deve curare sotto la propria responsabilità che allo sparo assistano almeno due agenti della forza pubblica, per tenere gli spettatori ad una distanza sufficiente a togliere ogni pericolo di disgrazia, e, non riuscendovi, per far sospendere senz'altro lo sparo.

*Circa le affissioni di pubblici manifesti.*

Art. 65. « Salvo quanto dispone la legge sulla stampa dei giornali periodici, *nessuno stampato o manoscritto può essere affisso o distribuito in luogo pubblico od aperto al pubblico, senza la licenza dell'autorità locale di pubblica sicurezza.*

« Sono escluse da questa prescrizione gli stampati e manoscritti delle autorità e pubbliche amministrazioni, e quelli relativi a materie elettorali, ad affari commerciali ed a vendite o locazioni.

« Le affissioni devono farsi nei luoghi designati dall'autorità competente.

Art. 66. « Il contravventore è punito a termini del Codice penale.

*Circa i mendicanti e questuanti.*

Art. 84. « L'autorità di pubblica sicurezza del circondario potrà permettere, nel territorio di sua giurisdizione, questue o collette per scopo filantropico, scientifico o di beneficenza, o per sollievo di pubblici infortunii, fissandone le norme e la durata.

« Ogni altra questua o colletta, *comprese le questue religiose fuori dei luoghi destinati al culto*, è punita coll'arresto fino ad un mese.

N. B. Il Ministero dell' Interno con nota 12 Febbraio 1890 N. 14100, 1-108860 ebbe a dichiarare quanto segue:

« L'Articolo 84 della legge di pubblica sicurezza dispone chiaramente quali sono le questue o collette che possono essere permesse dall' Autorità di pubblica sicurezza; e al certo non possono essere comprese in quella disposizione le questue esercitate fin qui dai parroci e dai sagrestani, in determinate epoche dell'anno, i cui proventi andavano a profitto delle chiese o delle persone che vi attendevano: quindi, come le questue religiose fuori dei luoghi destinati al culto, debbono essere vietate ».

## CAPUT XXXII.

*De Parocho quoad Synodum dioecesanam.*

728. I. Synodus dioecesana est conventus Cleri a proprio Episcopo convocati.

II. Advocandi sunt certe canonici, et omnes parochi atque curati quamvis essent regulares. Advocari possunt etiam alii simplices beneficiati aut sacerdotes, si de rebus ad universum Clerum pertinentibus agi deberet. Cf. Ferraris (v. *Synodus dioec. n. 24-31*) et Lucidi (*I. II. 174*).

Vocati autem ab interventu non possent se eximere, nisi haberent impedimentum, quod ab Episcopo ipso tamquam iustum recognosceretur.

III. In Synodo leges fiunt ab Episcopo ipso, et (loquendo de stricta obligatione) a iure exigitur solum ut requisitum fuerit consilium Capituli legitime congregati, et quidem ita ut Episcopus eidem consilio stare non teneatur. Bened. XIV (*De Syn. L. XIII. C. 1*), Lucidi (*l. c. n. 171*) etc.

IV. Quamvis Episcopi ex stricta iuris obligatione ad aliud non teneantur, tamen (ita suadente etiam S. C. C. apud Ferraris *l. c. 19*) solent etiam ab aliis viris prudentia, doctrina et pietate praestantibus consilia exquirere. Ordinarie autem sequenti modo se gerunt. Antequam Synodus coadunetur, 1º praecipunt ut parochi, et speciatim Vicarii Foranei, sincere exponant in scriptis, quibusnam praecipue malis quoad Clerum vel populum, sive circa fidem sive circa mores sive circa ecclesiasticas administrationes, per synodum remedium (et quo modo) apponi posset. 2º Efficiunt ut dicti viri praestantiores, in privatis congressibus (qui dici solent *praesynodales*), perpendant quid, ipsorum sensu, decidendum vel providendum foret. 3º Scriptis autem constitutionibus, alicui viro in sacris canonibus versatissimo (si opus esse crediderint) illas ostendunt. Quum autem sessiones solemnes diversis diebus fiant, solet etiam concedi, non equidem ut in illis locum habeant discussiones vel exquiratur *placet*, sed ut, hac vel illa sessione persoluta, si quis momentosum aliquid observandum haberet, illud (modo a regulis statuto) significet, ut Episcopus in sequentibus sessionibus, si ei videbitur, provideat.

V. Ut Synodus bene procedat et optimos fructus producat, intimantur preces, et populo etiam concurrente publicae fiunt supplicationes.

VI. Plura etiam praecipuntur, ut omnia regulariter et legitime procedant, inter quae notandum est praecipuum ut sacerdotes, non in publicis diversoriis vel in do-

mibus saecularium, sed vel apud aliquem alium sacerdotem, vel in coenobio Regularium, vel in seminario, durante Synodo, habitent.

VII. Synodus non ad vanam gloriam, sed solum ad fines praedictos celebratur, et proinde magna sine dubio est illius utilitas. Cur sane non erit utilissima, si in illa, dum tota dioecesis respicitur, maioresque eiusdem necessitates considerantur, media opportuna ad efficaciter providendum tanto consilio determinantur et per leges tanta solemnitate promulgatas praecipuntur? Dixi *efficaciter*, plura enim esse mala quibus alia ratione efficax remedium minime apponitur, experientia manifestissima patet. Hinc Patres Concilii Provincialis Coloniensis dixerunt: *Salus Ecclesiae, terror hostium eius, et fidei catholicae stabilitamentum sunt Synodi, quas etiam rectissime corporis Ecclesiae nervos dixerimus. Neglectis enim Synodis, non aliter ecclesiasticus ordo diffluit, quam si corpus humanum nervis solvatur.* Hoc patet etiam ex legibus Ecclesiae. Tridentinum (*Sess. XXIV. C. 11*) dixit: *Metropolitani..... quolibet saltem triennio..... non praetermittant Synodum in provincia sua cogere.... Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur.... Quod si in his... negligentes fuerint, poenas, sacris canonibus sancitas, incurrant.* Quid indicandum sit de Synodi in plurimis dioecesibus diuturna omissione, patet ex Benedicto XIV (*De Syn. dioec. L. I. C. VI. n. 5*). Certe Ecclesia omissionem istam semper tamquam noxiam habuit. Alexander VII dixit: *Persuasissimum vobis esse non dubitamus, nihil frequenti animarum recognitione Synodorumque celebratione populorum saluti, ac veteri disciplinae constituendae.... accommodatius esse: quo intermisso, magna in moribus ad omnem improbitatem ac peccandi licentiam facta est immutatio.* Equidem ob locorum ac temporum circumstantias aliaque adiuncta, persaepe sese impediri renuntiant Episcopi, quominus synodalem conventum habere possint; sed teste Lucidi (*Vol. I. C. II. n. 165*) S. Congregatio pro

instituto respondere solet, sese confidere, quod ubi primum ipsis prona sese praebeat occasio, eundem convocare non praetermittant. Enimvero motiva, quae pro Synodorum celebratione urgent, nunquid diebus nostris cessarunt? Nonne potius creverunt? « Haec rationum momenta (rectissime dicit idem auctor) mirum quantum augescunt hoc tempore, quo tanta rei sacrae et civilis conversio facta est, morumque antiquorum in peius commutatio ». Hinc de re ista etiam in Concilio Vaticano agi coeperat, et inter reformationes magis necessarias propositum fuit ut revocarentur in usum Synodus dioecesanæ cum levi temperamento legi Tridentinae, ut scilicet non singulis annis sed singulis trienniis celebrari deberent. Omnes autem norunt quod in plurimis dioecesibus haec Synodus iterum celebrari coepit, et in quibusdam cum illa frequentia, quam Ecclesia, sin minus hodie absolute praecipiat, saltem valde desiderat. Eminentissimus Riboldi, qui Papiæ septem vicibus illam celebravit, de specialissima illius hoc tempore necessitate simulque de fructu testem habemus; paulo enim ante mortem (quae omnes adeo conturbavit), in epistola ad Clerum Ravennatem pro Synodi indictione directam, scripsit: *Se fa sempre di grande utilità che i ministri di Gesù Cristo si radunassero insieme (nel Sinodo).... onde procedere nel ministero sacerdotale con sicura e concorde attività...., ai nostri tempi è questa una grave necessità, dacchè il gregge di Cristo è assalito da ogni parte e con accanimento da molti e fieri nemici, e il ministero sacerdotale incontra tante nuove opposizioni, tanti nuovi pericoli, tante nuove difficoltà.... Non abbiamo veduto in questi ultimi tempi celebrarsi in molte Diocesi.... i Sinodi diocesani, e con essi rifiorire in quelle chiese la disciplina del Clero e la pietà dei fedeli?... A noi poi in modo particolare risuonano ancora in fondo al cuore le parole che ci rivolgeva Leone XIII.... che i Sinodi sono « Salus Ecclesiae, terror hostium ipsius, et fidei catholicae stabilimentum ». Delle quali parole noi*

*stessi, per la grazia di Dio, abbiamo visto e toccato con mano la verità, nell'esperienza non dubbia nè breve dei venticinque anni in cui abbiamo tenuto il governo della Diocesi Pavese.*

VIII. Parochi (et idem dic de aliis ab Episcopo vocatis) ad Synodum intervenire tenentur sub gravi.

Tenentur etiam iuxta conscientiam, cum debita ponderatione, sine ulla adulatione et sine ullo humano respectu, responsa requisita dare.

Nihil dico de rectitudine in dando suffragio pro examinatore synodalibus.

Tenentur insuper ea omnia servare, quae pro bono Synodi ordine praecipuntur.

Tenentur denique canonici, parochi et beneficiati solvere tributum, quod *Cathedraicum* vocatur.

## CAPUT XXXIII.

### De Parocho quoad suam ipsam domum et familiam.

729. *Expediunt ut parochus proprios consanguineos secum habeat?* Si agatur de fratribus et nepotibus, generatim negative. Rationes sunt sequentes.

I. Ipsi ordinarie non Ecclesiae utilitatem sed propriam quaerunt, atque tale rerum omnium dominium sibi arrogare solent ut ipsi revera tamquam domini procedant, et miserrimus parochus (velit nolit) eorum mancipium constituitur; unde ipse neque pro fundis beneficii, neque pro Ecclesia, neque pro paroecia, neque pro pauperibus quidquam sine eorum consensu expendere possit; et sic muneribus suis beneficiati, rectoris Ecclesiae, et pastoris animarum gravissime deficere cogatur; nisi etiam (quod saepe accidit) in miseriam extremam, et in necessitatem plurimo aere alieno se gravandi, coniciatur.

II. Ipsi insuper ordinarie manducare et bibere volunt sine ullo labore, et sic otiosissimam vitam ducunt. Quum autem otium sit pater omnium vitiorum, res tandem eo desinunt, ut paroeciae scandalo sint.

III. Accedit quod malum istud est sine remedio; aut enim parochus non audet eos corrigere, aut ipsi illius correctionum nullum timorem habent. Si autem parochus de iis expellendis cogitaret, tot ac tales difficultates intervenire solent, ut hoc practice quid impossibile evadat.

IV. Insuper parochus, eos recipiendo, ipsorum malum (et quidem gravissimum) procurat, eosque etiam quoad corpus in ruinam coniecit. Eveniente enim morte parochi, quid de illis ipsis vivere assuetis sine arte, sine labore, et solum vitiose?

V. Quid denique si aliquis ex ipsis in ipsa domo parochiali uxorem ducere voluisset, ibique, ad novum infelicissimi parochi gravamen et miseriae sub quovis respectu augmentum, plures filios procreasset?

VI. Optandum ut prohibitiones severissimae hoc in puncto fierent. Alicubi (sicut apud nos) reapse iam factae fuerunt: et tunc (uti patet) non de sola congruentia sed de stricta obligatione ageretur.

730. *Quaenam sunt regulae magis momentosae a parochio observandae quoad suam familiam?* Parochus non solum evitabit recipere fratres et nepotes (ut supra); sed etiam sequentes regulas prae oculis habebit.

I. Redditi parochiales bene cognoscat; et singulis annis expensas iuxta proventus sedulo mensuret.

II. Caveat ne a propria familia scandalum ullum paroeciae praebeatur. Hinc 1° Si consanguineos habeat scandalosos, vel de quibus graviter timere debeat ne in posterum tales futuri sint, illos dimittat vel non recipiat; et in hoc sit firmissimus, etsi de patre proprio ageretur, vel etsi, ad illos non recipiendos, a recipiendis quoque propriis genitoribus abstinere cogeretur. Si autem graviter indigeant, eos alibi manentes, quantum potest, adiuvet.

2° Sorores vel neptes, si custodia indigerent, non recipiat, nisi forte, v. g. ope matris vel aviae, de custodia ipsa efficaciter adhibenda certus esset. Tunc caveat etiam ne juvenes domum parochialem frequentent, et multo magis ne stabiliter in ipsa commorentur. Heu quot parochorum neptes, non obstante custodia matris, vel alterius foeminae gravioris aetatis, v. g. propter consobrinum vel famulum, magna scandala dederunt! Quoad vicarium ipsum (ut alibi innuebam) cautela adhibendae sunt, nec facile tunc recipi deberet sacerdos juvenis, maxime si non magnam gravitatem praeserferret. Quid si neptis in domo parochiali esset sola, et saepe saepius in plena libertate remaneret? Tunc, nisi forte valde seria et pia esset, nequidem de eius aetate proveciori fidendum foret.

III. Nunquam permittat parochus ut familiares se ingerant in rebus beneficii et paroeciae. Haec ingerentia accideret 1° Si fructuum beneficii administrationem ad se revocare vellent. 2° Si expensis v. g. pro sacris missionibus, vel pro decore Ecclesiae, restorationibus, subventionibus etc. se opponerent; aut sacerdotes a parochio in auxilium accitos male tractarent etc. 3° Si malitiose impedirent ne pauperes eleemosynam a parochio petitori ad illum accederent. 4° Si inquirerent quo motivo hic vel ille parochianus venerit, vel ex industria auscultarent sermones parochiani cum parochio secrete loquentis.

IV. Familia parochi non solum debet non dare scandalum; sed positive esse exemplaris; et proinde parochus curabit ut familiares a choreis aliisque periculosis solatiis atque a luxu absterneant, verbum Dei audiant, sacramenta frequentent etc. Ipse autem cum familia sua quovis die Rosarium recitabit.

731. *Quid speciatim notandum circa famulos?*

I. Antequam parochus assumat famulum vel ancillam ad proprium servitium, accuratas informationes de eorum moribus, aliisque qualitatibus iuxta circumstantias necessarias, capiat. Inter has qualitates praecipua est gravitas;



si enim essent leves et criterio inopes, res transversim acciperent, correctiones in malam partem acciperent, omnia foris asportarent, et sic pro domo parochiali ineptissimi forent.

II. Famulo acceptato (et idem dic de ancilla) parochus vigilet; speciatim in initio.

III. Famuli nec otiosi remaneant, nec labore nimis graventur.

IV. Parochus stet semper in gradu suo, et submissionem atque reverentiam a famulis exigit; ita tamen ut dure cum illis non procedat, nec sit quasi leo in domo sua.

V. Fiduciam in illis se collocare ostendat; ita tamen ut de expensis semper rationem exigit.

VI. Si quid reprehensione dignum commiserint, eos statim corrigat; discrete tamen, et pro modo culpae, atque prudenter.

VII. Non permittat ut strictiorem relationem cum parochianis, et maxime cum familiis parcho ipsi contrahant.

VIII. Non permittat ut, quae domi accidunt vel dicuntur, divulgent.

IX. Cum illis avarus non sit, victum convenientem eis praebeat, nec panem eis mensuret. Si infirmetur, quasi pater medelam ipsis tribuat, omnemque curam ipsorum habeat.

X. Debitor erga illos non remaneat, et singulis annis stipendium integrum eis solvat.

XI. Non permittat ut inter famulum et ancillam iurgia interveniant; et, dato casu, severius ancillam quam famulum corrigat. Si autem e contra sympathiam inter famulum et ancillam intercedere deprehenderet, utrumque vel alterutrum eiiciat.

XII. In aliis casibus ad expulsionem difficile procedat. Famuli expulsi de parcho eiusque familia male loqui solent. Si itaque defectus sint tolerabiles, tolerari debent; quandoquidem etiam in novis famulis defectus invenirentur:

et frequentes expulsiones eo tandem desinunt, ut semper peius servitium habeatur.

XIII. Quoad ancillam multa alia notata fuerunt supra (n. 586 et seqq.).

## CAPUT XXXIV.

### De numero parcho.

732. *Nuperus parochus quid animadvertere debet imprimis?* Animadvertere debet, in ipsum tunc praecipue universorum oculos intorqueri, primasque impressiones altius animis infigi et difficile unquam extinguere; multumque proinde interesse, ut tunc specialissimo modo sua dicta et facta ponderet, ut parochiani valde bonum illius conceptum efforment. Hinc, si semper, tunc maxime oportet ut parochus, gravem, modestum, pium, prudentem, comem, benignumque se exhibeat, et sic iam inde ab initio existimationem, venerationem, amoremque omnium sibi conciliet.

733. *Quid de prima concione?* Accuratissime illam elucubrabit. In illa suas obligationes summatim exponat: spondeat se, non obstante quocumque incommodo, illis esse, adiuvante Deo, satisfacturum: dicat, proprium pondus quantumlibet grave suorum ovium docilitate non parum allevatum iri: de parochianorum obligationibus dein verba faciat, ex quarum executione aeternam eorum salutem pendere ostendat: universorum precibus se commendet; seque vicissim pro iis Deum exoraturum polliceatur: denique se una cum parochianis suis Deo Omnipotenti, Deiparae Virgini, Sancto parochiae Patrono, aliisque Sanctis omnibus commendet.

734. *In primis a suo solemni ingressu diebus, quibus de rebus praecipue sollicitus esse debet?* 1º Si in parochia adesset hospitale infirmorum, ad illos ante alios omnes se conferat. 2º Urbanitatis legibus erga optimates (si adsint) aliosque in auctoritate constitutos, maxime vero (ruri) erga vicarium foraneum, satisfaciat. 3º Ma-

gna sollicitudine parochiale archivium examinet; et, si forte aliquid desit, inquisitiones faciat, atque ut omnia ad suas manus perveniant solerter procuret (vide n. 661). 4<sup>o</sup> Statum animarum quamprimum conficiat, eaque occasione personaliter se ad singulas domos conferat, ut sic suis oculis aliquantulum cognoscere incipiat quomodo res se habeant.

735. *Quid notandum circa consilia, quae, sive a parochianis, sive ab aliis, nupero parochi facile dantur; et circa delationes, quae contra hunc vel illum ei facile deferuntur?* Exceptis personis probatissimis et valde prudentibus, relationibus istis non facile credat; et valde pedetentim procedat antequam de aliquo favorabilem aut sinistram opinionem concipiat; et multo magis antequam ad externam determinationem (quae inimicum procurare, vel parochianis displicere possit) procedat.

736. *Quid notandum circa antecessorem, aut circa diversam ab eo agendi rationem ineundam?* 1<sup>o</sup> Quatenus antecessor bene se gesserit, nuperus parochus illum laudet; sed de eius defectibus taceat. 2<sup>o</sup> Quidquid sit de antecessoris agendi ratione, nuperus parochus sua munera substantialia accurate adimpleat; sed ab aliis innovationibus (maxime in principio) tum quoad spiritualia tum quoad temporalia (intellige nisi magna necessitas urgeret) abstinere. Antecessoris vestigiis adhaerere studeat; et, si aliquos leves abusus inveniret, non praepropere, neque zelo inconsulto, sed pedetentim, prudenter et opportune, illos corrigere sataget. Si quaedam innovationes viderentur utiles vel necessariae, animos praedisponat, bonoque semini terram prius paret.

737. *Expeditne ut nuperus parochus inclinet ad rigorem, an vero potius ad benignitatem?* Potius ad benignitatem. Hinc tam in concionibus quam in confessionali non rigidum sed benignum se ostendat; idque eo etiam fine praestabit, ut animae magis indigentes confidenter ad eum accedant.



## PARS II.

### DE IURIBUS PAROCHI

738. *Cur etiam de hac re agere oportet?* 1<sup>o</sup> Ne parochi iuribus suis (limites excedendo) abutantur, prout speciatim in taxis funerariis contingere potest. 2<sup>o</sup> Ut lites non oriantur, et casu subortae citius componantur.

739. *Quotuplicis generis sunt iura parochi?* Duplicis; quaedam enim sunt iura spiritualia, et quaedam temporalia.

740. *Quaenam sunt iura spiritualia?* Sunt quae respiciunt Sacramenta (scilicet baptismum, poenitentiam, eucharistiam, extremam-unctionem et matrimonium), Missam, alias sacras functiones, praedicationem, funera, dispensationes, et electiones coadiutorum.

741. *Quaenam sunt iura temporalia?* Sunt speciatim 1<sup>o</sup> quoad decimas et oblationes; 2<sup>o</sup> quoad administrationem bonorum temporalium paroeciae suae; 3<sup>o</sup> quoad fructus beneficii.

N. B. Iura spiritualia parochorum subeunt modificationes quoad aliquas personas et aliqua loca, v. g., quoad vagos, peregrinos, monasteria, oratoria etc. De modificationibus istis sermo specialis in paragraphis distinctis habebitur. Hic ago prius de iuribus parochi circa administrationem sacramentorum iuxta regulas ordinarias.

#### CAPUT I.

##### Iura parochi quoad Baptismum.

742. *Quid de hoc iure?* Si Ecclesia parochialis sit etiam baptismalis, parochus ius habet administrandi baptismum in forma liturgica parochianis suis; nisi consuetudo sit ut parochiani alibi pro libito se conferre possint.

743. *Ius istud pertinetne ad parochum exclusive?*

Affirmative. Parochus scilicet habens fontem baptismalem ius habet ne (seclusa, ut dixi, consuetudine in contrarium) quisquam alius id praestet sine eius delegatione.

744. *Quid si ageretur de baptizando adulto?* Tunc

quoque ius baptizandi (nisi Episcopus, ad maiorem solemnitatem, per se baptismum ministrare velit) ad parochum, intra cuius paroeciae limites baptizandus habet domicilium; non vero ad parochum Cathedralis spectat. Decisum. Cf. Bouix (*De par. IV. III*).

745. *Quid si baptismus conferri vellet domi?* Pro casu necessitatis et sine forma liturgica, unusquisque baptizare potest (ut notissimum est). Seclusa necessitate, Rituale dicit: « In privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum aut magnorum Principum filii...; dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta ». Tunc autem (nisi Episcopus per se vel per delegatum baptizare velit) ius baptizandi spectat ad parochum, intra cuius paroeciae fines palatium Principis adest, si paroecia sit baptismalis et sacrum fontem habeat. Si vero paroecia non esset baptismalis: tunc ni (fallor) baptismi administratio spectaret ad Archipresbyterum cathedralis vel matricis; non vero ad parochum, qui (ex hypothesi) baptismi administrandi ius (quod ex instituto originario solis matricibus inest) nunquam acquisivisset (Cf. Acta III. 414). Sed quid si alicubi consuetudo esset ut Episcopi filios quoque non principum facultatem domi baptizandi facile concederent? In tali casu ageretur de abusu prudenter et caute eliminando, etsi aqua baptismalis aliaque caeremoniae adhiberentur, ut patet ex Decr. S. R. C. (27 Apr. 1877 n. 3418). A fortiori de abusu ageretur, si (prout alicubi fit) caeremoniae quoque omitterentur (Cf. Frassinetti *Man. n. 290* et Zitelli *Apparatus II. n. a. 1 § 3*). Si tamen absolute obtineri nequiret, ut infans ad Ecclesiam deferretur; tunc Episcopus licentiam concedere posset illum domi baptizandi; sed cum caeremoniis. Hoc in casu si petas ad quem spectet baptismi administratio, si paroecia non sit baptismalis, responderem, Episcopum quidem posse delegare parochum; sed, seclusa hac delegatione speciali vel consuetudine, ius ordinarium ad Archipresbyterum cathedralis seu matricis spectare.

746. *Quid si paroecia non esset baptismalis, et parochus sacrum fontem erigere vellet?* Ad hoc ius non haberet; ex eo enim quod Ecclesia sit parochialis, non sequitur quod baptismalis quoque (ad instar matricis) esse debeat. Episcopus tamen id concedere posset; salvis iuribus matricis et iustis de causis, si nempe parochiani nimis grave incommodum, ob longitudinem vel asperitatem itineris, subire cogerentur. Cf. Acta (*l. c. et 518*).

## CAPUT II.

### De iure parochi quoad Sacramentum Poenitentiae.

747. *Quid de iure isto?*

I. Imprimis vide dicta n. 196.

II. Iurisdictio parochi (etiam quoad parochianos) 1° limitatur ad casus non reservatos; 2° non extenditur ad personam complicem in sexto.

III. Parochus poterit quidem impedire ne talis vel talis sacerdos in Ecclesia sua confessiones audiat; non vero ne parochiani sive sani sive infirmi apud alios pro lubito suo confiteantur. Si tamen parochus iustam haberet rationem credendi, quod parochianus sacrilege et confessione non praemissa ad communionem accederet, peractae confessionis testimonium ab eo exigere posset. Cf. Bouix (*l. c. IV*).

IV. Qui ex vitio occulto collationis parochus quidem communiter crederetur, sed non esset; valide, sed non licite confessiones audiret; error enim communis cum titulo colorato actus validos quidem, sed non licitos reddit.

## CAPUT III.

### De iure parochi quoad SS. Eucharistiae administrationem.

748. *Circa ius istud quid notandum?* Parocho iura competunt 1° circa communionem paschalem; 2° circa communionem infirmorum; 3° circa admissionem ad primam communionem.

749. *Quid de iure parochi circa communionem paschalem?*

I. Omnes norunt quod parochus ius habet ut parochiani intra quindenam paschalem ad communionem accedant in paroecia.

II. Parochus ius habet administrandi Eucharistiam tunc temporis parochianis suis manu propria, vel per suum delegatum; ita ut suo quoque coadiutori titulari (si illum haberet) administrationem istam interdiceret posset (Scavini *III. 244*).

III. Parochus ius habet prudenter concedendi licentiam ut hic vel ille alibi praecepto paschali satisfacere valeat; sed parochianos omnes generaliter ab hac lege dispensare nequit; agitur enim de lege Ecclesiae, a qua ne Episcopus quidem generaliter dispensare potest. Cf. De Angelis (*III. xxix. 5*), Marc (*n. 1571*), et Gousset (*II. 223*).

IV. Si parochianus tempore paschali esset quidem in paroecia, sed legitime impediretur quominus intra quindenam communicare posset (v. g. quia confessarius ei absolutionem procrastinavit); tunc parochus ius habet ut post quindenam in paroecia communicet. Cf. Lehmkuhl (*n. 1206*).

V. Nemo (praeter Episcopum) alicui concedere potest facultatem satisfaciendi praecepto paschali in alia Ecclesia, quae non sit paroecia sua, invito parochus. Attamen ad hanc facultatem concedendam sufficit consensus praesumptus seu interpretativus parochi ipsius (S. Lig. *VI. 300*), vel saltem Episcopi (Gousset *226* et Frassinetti *not. 92*). Ut autem hic consensus praesumi valeat, inspiciendum est an adsit ratio dispensandi. Sedulo notandum quod duplici modo ratio dispensandi in Episcopo vel parochus contingere potest, scilicet 1<sup>o</sup> dummodo licentia a parochus ipso petatur; 2<sup>o</sup> etsi haec licentia ab eo non petatur. Si ratio dispensandi subsisteret solum primo modo (quatenus ex una parte parochianus, etsi non posset commode ad paroeciam se conferre, posset tamen facile a suo parochus licentiam petere, et ex alia credendum esset quod parochus ipse, consideratis circumstantiis omnibus, hanc petitionem rationabiliter exigeret); tunc confessarius facultatem alibi communicandi concedere non posset; ita tamen (*N. B.*) ut, iuxta plures (Cf. Lehmkuhl *n. 1206*), si de una vel altera vice dumtaxat ageretur, poenitens sub mortali et sub denegatione abso-

lutionis ad hoc adigi nequiret. Si autem ratio dispensandi subsisteret secundo modo, tunc confessarius, dictam facultatem absolute concedere posset. Sed subsisteretne in Episcopo vel parochus ratio dispensandi hoc ipso secundo modo, scilicet licentiâ non petitâ, etiam quando (prout hodie speciatim quoad viros in civitatibus solet esse casus valde practicus) poenitens ex motivo insufficienti, imo et cerebroso, tam in paroecia communicare quam licentiam petere recusaret; ita ut proinde confessarius, conspiciendo quod frustra laboraverit vel laboraturus esset ad hoc ei persuadendum, parochi ipsius vel Episcopi voluntatem interpretando, condescendere possit? Frassinetti (*l. c.*) respondet affirmative, et merito. Hodie enim ex una parte praeceptum istud communicandi in paroecia praecise (quum deficientes ut plurimum a parochus et Ecclesia parum vel nihil timendum habeant) multo minoris momenti est quam olim erat; et ex alia multo melius est ut alibi communicent illi qui secus nullibi communicaturi essent, imo probabilissime per totam vitam a sacramentis longe mansuri forent. Neque dicas, legem de communione recipienda in paroecia sic ad nihil redigi; non enim ad nihil redigitur; facultas enim alibi communicandi non daretur omnibus (ita ut unusquisque auctoritate propria a communicando in paroecia se eximere posset); bene vero illis dumtaxat, qui facultatem a confessario obtinuissent, et in bona fide versarentur. Parochi autem consensus facilius praesumeretur, si quindenam iam elapsa fuisset, et multo magis si quis bona fide intra quindenam iam alibi communicasset (Marc *1572* et Frassinetti *l. c.*).

VI. Potestne parochus impedire ne die paschatis Eucharistia distribuatur in aliis Ecclesiis? Stando in puncto iuris, die dominica paschatis Regulares nequirent Eucharistiam distribuere christifidelibus (etsi possent aliis diebus intra quindenam), quamvis ex mera devotione communicarent (Cf. Bened. *XIV De Syn. IX. xvi. 3*). Et hoc vetitum ad alias quoque Ecclesias non paroeciales extendere-tur (Cf. Scavini *IX. 73*). At vero plures dicunt, consue-

tudinem legi huic plus vel minus iam derogasse. Cf. S. Lig. (VI. 250. 5), Gousset (n. 224), Frassinetti (n. 265) et Scavini (III. 245). Ego dicerem 1<sup>o</sup> standum esse consuetudini locali, si inviolabiliter et perfecte servaretur (Romae non solum die paschatis, sed etiam feria V in Coena Domini, Regulares Eucharistiam distribuere non posse auctores passim dicunt). Dicerem 2<sup>o</sup> legem istam diebus nostris facile in destructionem potius quam in aedificationem redundare, propter circumstantias valde mutatas et rationem n. V. praecedenti indicatam; unde, si epicheiae in loco iam fieri incoepissent, nec Episcopus se opponeret, pro SS.mae Eucharistiae distributionis licitate, etiam quoad illos qui praecepto paschali satisfacere intendunt, stari posset.

750. *Quid de iure parochi quoad communionem infirmorum?*

I. Ius deferendi SS.mam Eucharistiam ad modum viatici spectat ad parochum privative (ut notissimum est), excepto casu necessitatis, in quo aliter fieri nequiret.

II. Parochus ius habet sumendi SS.mam Eucharistiam pro moribundo communicando etiam ab Ecclesia Regularium, si adsit intra fines paroeciae suae et necessitas urgeat. Cf. Berengo (n. 102).

III. Ius deferendi SS.mam Eucharistiam parochianis infirmis ad satisfaciendum praecepto paschali, spectat pariter ad parochum privative. Idem dic de Eucharistia iisdem deferenda ex simplici devotione (De Bonis *De Orator. publicis* n. 108). Excipe nisi Eucharistia deferretur ex oratorio privato ad infirmum eiusdem domus et familiae, dummodo in eodem oratorio de licentia Episcopi Eucharistia distribui possit. *Praxis* (Ed. I. n. 772).

751. *Quid de iure parochi quoad admissionem ad primam Communionem?* Ex laudabili consuetudine hodie fere ubique vigente parochi ius exclusivum habent admit- tendi pueros (quibusdam factis exceptionibus, v. g. quoad collegiales, prout de more) ad primam communionem.

Si tamen parochus aliquis ex incuria vel irrationabili cerebro- sitate iuvenem quindecim vel sexdecim annorum ad communionem adhuc non admisisset, tunc confessarius com- municandi licentiam ei tribuere posset. Cf. Frassinetti (*Man. n. 334 et seq.*) et De Angelis (III. xxix. 5).

## CAPUT IV.

### De iure parochi quoad Extremam-Uctionem.

752. *Quid de hoc iure?* Sicut SS. Viatici ita etiam Extremae Uctionis administratio spectat ad parochum privative, ut notissimum est.

## CAPUT V.

### De iure parochi quoad matrimonium.

753. *Quid de hoc iure?*

I. Parochus ius non habet impediendi quod Ordinarius sive per se sive per delegatum alicui matrimonio assistat.

II. Ius non habet licite assistendi matrimoniis secretis vel omissis publicationibus vel utcumque non servatis de iure servandis, nisi prius necessarias facultates obtinuerit. Interdum tamen quoad publicationes dispensatio praesumpta sufficit, iuxta dicta (n. 323).

III. Caeterum omnes norunt quod publicationes ma- trimoniorum; assistentia eorundem; et benedictio nuptialis privative ad parochum spectant.

IV. De advertentiis pro casibus extraordinariis sermo habebitur infra.

## CAPUT VI.

## De iure parochi circa funera pro casibus ordinariis parochianorum in paroecia obeuntium.

754. *Eueniente morte parochiani in paroecia, ad quid parochus ius habet?* Ordinarie ius habet ad quatuor; scilicet 1º ad cadaveris associationem, nempe ad illud levandum e domo atque ad Ecclesiam deferendum; 2º ad funus, nempe ad exequias prout de ritu in Ecclesia peragendas; 3º ad illud sepulturae tradendum; 4º ad emolumenta percipienda.

755. *Constructio publicorum coemeteriorum in civitatibus et oppidis, destructio coemeteriorum particularium, et vetitum sepeliendi quemquam in Ecclesiis, derogantne in nihilo pristinis sive parochialium sive aliarum Ecclesiarum iuribus?* Negative per se. Mutatio ista id unum efficit, ut parochi, et aliarum Ecclesiarum rectores, loco sepeliendi cadavera in propriis coemeteriis vel Ecclesiis, ad publicum coemeterium illa transferant; unde hoc ipsum coemeterium antiquarum sepulturarum vicem tenet. Caetera iura autem (per se loquendo; nisi scilicet renunciatio expresse vel tacite intervenerit) intacta remanent. Patet ex multis S. C. Concilii resolutionibus. Vide Acta (XVIII pag. 455).

756. *Cur dixisti, parochum ad omnia praedicta ius habere ordinarie, et proinde non semper?* Quia contingere potest, quod, quamvis parochianus intra paroeciae limites mortuus fuerit, ius tumuli vel etiam funeris ad aliam Ecclesiam spectet, ut statim explicabitur.

757. *Ius tumuli quomodo distinguitur a iure funeris? Nonne ius tumuli secum fert semper ius quoque funeris?* Quamvis ordinarie ius tumuli secum ferat ius funeris, iuxta aphorismum *Ubi tumulus, ibi funus* (Acta VIII. 541): tamen aliquando contingit quod talis vel talis Eccle-

sia aut absolute solo iure tumuli gaudeat (prout facile contingit in oratoriis iuris patronatus huius vel illius familiae in quibus adsit sepulchrum gentilitium familiae ipsius): aut gaudeat quidem iure funeris, sed ita ut in quibusdam casibus exceptionalibus solum ius tumuli habeat (exemplum habes apud Acta XVIII. 455). Differentiae istae pendent a pactis vel a diversa natura concessionum, quae ab initio interfuerunt; et in praxi standum erit consuetudini. Cf. Vecchiotti (II. v. 58) et Acta (l. c. et V. 569 v.).

758. *Quandonam contingit quod parochianus in paroecia defunctus alibi tumulum vel funus habere debeat?* Hoc contingere potest ratione 1º electionis; 2º consuetudinis; 3º dignitatis; 4º sepulchri gentilitii.

759. *Quandonam hoc accidit ratione electionis?* Quando defunctus ante mortem significaverit qua in Ecclesia tumulum vel funus habere vellet. Iure isto gaudet quilibet (exceptis solum impuberibus et Regularibus professis); unde competit etiam filiis familias (dummodo sint puberes) et mulieribus nuptis; neque obstaret si pater vel maritus contradiceret (Cf. Reiff. III. xxviii. 41). Oportet tamen 1º Ut electio vere a defuncto ipso (ut dixi) facta fuerit; eius enim parentes vel haeredes ad hoc ius non habent (Acta V. 570 vii). 2º Ut de hac electione certe constet. Sufficeret tamen testimonium confessarii, dummodo in suum commodum non testaretur (Acta VI. 473). 3º Ut electio non fuerit revocata (De Luca De Dom. d. XVI. n. 13). 4º Ut electio fuerit rationabilis; non vero maligna, v. g. ex odio contra parochum (Decretal. III. xxviii. 3 C. Fraternalitatem, Reiff. l. c. 40, Schmalzgr. III. iii. xxviii. 16). De patre autem eligente sepulturam pro filio impuberi ante eius mortem, vide Acta (V. 570 viii. et Vecchiotti II. v. 59). 5º Oportet denique ut Ecclesia electa pro funere iure funerandi gaudeat, etsi non obstet quod ius tumulandi solum in publico coemeterio Ecclesia ipsa nunc exercere valeat; unde apud Acta (V. 569) legi-

tur: « In libertate fidelium esse sibi eligere funerum Ecclesiam, ut ante liberum erat sepulturae Ecclesiam sibi eligere ». Posse etiam unumquemque sibi eligere aliam Ecclesiam pro solo tumulo et suam parochialem pro funere, colligi videtur ex *Decr. 2899 S. R. C.*

760. *Quaenam Ecclesiae iure funeris gaudent?* Hoc iure gaudent, etiam quoad extraneos (intellige stante casu electionis), 1<sup>o</sup> Ecclesiae cathedrales et parochiales omnes. 2<sup>o</sup> Ecclesiae collegiatae. 3<sup>o</sup> Ecclesiae Regularium qui vota solemnia habeant (non tamen monialium, saltem ordinarie). Cf. Berengo (*n. 167*) Schmalzgr. (*III. III. xxviii. 17*) et Vecchiotti (*II. v. 58*). 4<sup>o</sup> Ecclesiae quaelibet, quibus haec facultas legitime data fuerit. Episcopus tamen difficile et solum ex consensu Capituli (ageretur enim de re parochis damnosa) facultatem istam dare potest (Cf. Schmalzgr. *l. c. n. 7* et Bouix *De Paroch. IX. x. § 1 not.*). Si autem de solo tumulo ageretur, tunc longe facilius facultatem concedere valeret, quae caeteroquin pro novo construendo sepulchro gentilitio semper exigeretur (Cf. Vecchiotti *l. c.*).

761. *Quid de consuetudine?* Consuetudo contra parociam stare et valere potest; sed oportet ut sit 1<sup>o</sup> vel ad minus quadragenaria cum titulo, vel immemorabilis; 2<sup>o</sup> concludenter probata. Agitur enim de re odiosa, et strictae interpretationis; unde in dubio semper favendum est parocho. (Cf. Acta (*VIII. 460. 462 IV. v.*)).

762. *Quandonam accidit ut parochianus alibi funus habere debeat ratione dignitatis?* Casus practicus contingit in canonicis, qui in cathedrali vel collegiata funus habere debent; et idem dic de aliis beneficium residentiale perpetuum habentibus, qui ad Ecclesiam proprii tituli deferendi sunt. Excipe nisi consuetudo in contrarium adesset; eo quod, v. g. usus sepeliendi canonicos in collegiata nunquam adfuisse. Cf. Vecchiotti (*II. V. 59*).

763. *Quandonam parochianus in alia Ecclesia tumulum vel funus habere debet ratione sepulturae gentilitiae?* Praenotandum quod sepulturae gentilitiae, seu maiorum, in sensu iuris canonici, non iam sunt arcae quae in modernis publicis coemeteriis acquirantur, aut quae sine decreto Episcopi a

parochis concessae fuissent; bene vero sunt sepulturae in Ecclesiis vel oratoriis constitutae, in quibus haec vel illa familia defunctos suos exclusive tumulandi verum et legitimum ius canonice acquisivit. Exinde autem dictae Ecclesiae ut plurimum gaudent etiam iure funeris; sed interdum (ut supra dicebam *n. 757*) solum ius tumuli habent.

Hodie, quoad has sepulturas gentilitias, res valde mutatae sunt, et praxis solet esse sequens:

I. Aliquae iam a longo tempore prorsus derelictae sunt, et non solum eorum domini de illis non curant, sed etiam parochi, nullam prorsus illarum rationem habent, et in parochiali Ecclesia funera peragunt atque ex toto emolumenta percipiunt, quin reclamatio ulla unquam facta fuerit. Cf. Berengo (*n. 167*).

II. Aliae autem remanserunt in statu quo praecise.

III. Aliae denique in quibusdam Dioecesibus, quamvis ad cadaverum tumulationem non amplius adhibeantur, tamen quoad funera et emolumenta considerantur ut prius. Cf. Acta (*XVIII. 455*).

His praenotatis, pro ultimis duobus casibus, servandae sunt regulae, quae circa sepulturas gentilitias a canonistis traduntur. Ex his regulis recollendae sunt speciatim sequentes: 1. Filius non semper sepeliri debet in sepulchro patris; sed solum si pater aut sepultus fuisset ipse quoque in sepulchro maiorum (in linea recta), aut elegisset sepulturam expresse non solum pro se sed etiam pro posteris suis (Reiff. *III. xxxiii. 11*). 2. Uxor sepelienda est in sepulchro gentilitio familiae suae (*III. De sepult. in VI*). Praeter sepulchrum gentilitium adest etiam sepulchrum haereditarium. Primum valet solum pro familia; unde, extincta familia, ius ad illud non transit ad haeredes. Secundum autem tam pro consanguineis quam pro aliis haeredibus valet. D'Annibale *I. 112*).

764. *Quid si aliqua ex iis familiis, quae sepulturam gentilitiam in Ecclesia habent, etsi sepulturam et Ecclesiam istam a multis annis nullo modo usa fuerit, nunc vellet ut funera in Ecclesia ipsa, sicut olim, peragerentur?* Dicerem quod decisio pendet a praescriptione. Sed hac de re iudicent sapientiores.

765. *Quid si quis titulo sepulchri haereditarii in uno loco, gentilitii in alio, dignitatis in alio, et electionis in alio sepeliri deberet? Quid, uno verbo, de praecedentia, si diversi tituli simul concurrerent?* Ordo est sequens: 1<sup>o</sup> Primo loco venit sepultura necessitatis, si nempe defunctus alibi quidem sepeliri deberet, sed illuc commode deferri nequiret. 2<sup>o</sup> Sepultura monasterii; si nempe defunctus esset Regularis professus; ille enim sepulchrum alibi eligere sibi non posset, nisi moreretur in loco a proprio monasterio ita dissito, ut ad illud commode deferri non posset (Barbosa *De Par. III. xxvi. 30*). 3<sup>o</sup> Sepultura electa (Vecchiotti *l. c. § 59*). 4<sup>o</sup> Sepultura dignitatis. 5<sup>o</sup> Sepultura mariti, si agatur de vidua (Acta *X. 604 ex C. III. de sepult. in VI*). 6<sup>o</sup> Sepultura gentilitia. 7<sup>o</sup> Sepultura haereditaria (D'Annibale *I. 112*). 8<sup>o</sup> Sepultura parochialis.

766. *Quid iuris habet parochus quoad sacerdotes ad funus invitandos?* Si haeredes designaverint sacerdotes ad funus advocandos, eorum voluntati standum erit. S. R. C. (*Decr. 313*). Imo in rigore, dummodo parochum invitent, ipsi possent etiam excludere omnes sacerdotes saeculares et solos Regulares invitare, et uno verbo hac in re pro lubito suo disponere eis integrum esset, ut patet ex decisione S. C. C. apud Vecchiotti (*II. v. § 62*); quod tamen intelligendum videtur, dummodo rationabiliter procedant. Si autem haeredes numerum dumtaxat, sed non personas designaverint; tunc sacerdotes parochiani praeferrī debent (S. C. Epp. 23 Apr. 1649); ita tamen ut qui mains servitium Ecclesiae praestant (quamvis forte parochiani non essent) praeferrī possint.

767. *Quid iuris habet parochus circa taxam emolumentorum, et ceram?* R. Si hoc in puncto iam omnia determinata fuissent a legibus dioecesanis, nec differentiae abusivae introductae fuissent, nec lamenta audirentur; tunc iam nulla adesset difficultas. Sed apud nos (et forsā etiam alibi) non est ita.

768. Inter vicariatū et vicariatum, imo saepe etiam inter unam et alteram eiusdem Vicariatus parocciam, in taxis funerariis exigendis non exiguae solent esse differentiae. Hae ut plurimum adsunt quia antiquitas etiam aderant, et unusquisque Parochus morem suorum antecessorum sequitur; aliquando autem oriuntur ex eo quod hic vel ille Parochus taxas prius existentes auget vel minuit, et uno verbo facit prout vult.

Differentiae huiusmodi valde malos pariunt effectus: in illis enim parocciis ubi taxa maior exigitur, quaerimoniae et lamenta indesinenter fiunt; occasione cuiuslibet funeris, parochiani semper in eo sunt ut cum parochō litigent; de illo obmurmurant, et non raro (maxime si differentia sit magna admodum) gravissime scandalizantur; quasi scilicet parochus ad veram iniustitiam procedat, et inique prorsus pecuniam extorqueat. Nec iniustitia huiusmodi semper est

solum in eorundem opinione, sed interdum verissime existit, idque certe accideret si parochus, morem antecedentem minime respiciendo, taxam auget, et pro lubito suo magis magisque exigeret. Adde, hoc saepe esse in causa cur familiae Missarum numerum imminuere, et proprium defunctum aegerrimo animo suffragiis privare cogantur. Denique in civitatibus et oppidis aliud longe maioris momenti incommodum provenire potest, quod scilicet, propter taxas nimis elevatas, posthabito funere ecclesiastico, funera mere civilia frequentiora evadant.

Sed quid de illis qui taxas non augent sed minuunt? Hi certe optime se gerent si hoc modo taxas, quae prius in parocciā exorbitantes fuissent, ad aequitatem reducerent; non vero si taxas moderatas et iustas imminuerent, sic enim ex una parte incommoda supra exposita indirecte causarent, et ex alia successoribus damnum inferrent.

His attentis rationibus, quam maxime interest, ut hac in re uniformitas procuretur, ut scilicet quatenam sint taxae iustae determinetur, simulque ab omnibus esse servandas auctoritative atque efficaciter praecipiat.

769. In hunc finem praenotandum quod taxae funerariae sunt sequentes.

Prima est *paternaticum* consistens in quadam pecuniae summa, quae olim solum in funere patris vel matris vel personae sui iuris solvebatur (qua de re pro dioecesi nostra vide Synodum secundam Rossetti pag. 6, et Syn. Cantoni pag. 75-76); nunc vero solvitur etiam in funere cuiuslibet personae, et communiter appellatur *la levata del cadavere*. Solvitur autem parochō in recognitionem eiusdem officii, atque ad illum aequaliter compensandum pro laboribus quos in vita et in morte parochiani sui tolerare debuit.

Secunda taxa consistit in *iuribus cerae*, quatenus scilicet parochō in toto vel in parte cedi debet residuum cereorum vel intortiorum, quae tum circa feretrum in associatione cadaveris et in Ecclesia, tum etiam in alta-



ribus, accensa fuerint. (Vide Synod. Cantoni pag. 117). Nihil autem refert sive in natura sive in aequivalenti cera tradatur.

Tertia est quae dicitur *la doppia*, quatenus scilicet, quoad Missam, parochi eleemosyna non simplex sed duplicata debetur.

Quarta est quae respicit utensilia et usum organi.

Hae sunt taxae magis communes relate ad parochum. Dixi *magis communes*; alicubi enim parochi exigunt aliquid aliud, v. g. pro iuribus (ut aiunt) campanae, et (ultra stipendium celebrantis et ministrorum) pro Missa cantata.

Relate autem ad alios sacerdotes, praeter eleemosynam pro Missa, pro associatione cadaveris, pro exequiis etc. usuvenit etiam aliquod emolumentum pro assistentia ad Sacristiam.

Nihil dico de expensis pro invitatione et refectione sacerdotum.

770. His praemissis, differentiae, quae lamentis et mururationibus occasionem dare solent, sunt speciatim circa paternaticum et ceram; dum enim alicubi parochi pro paternatico, v. g. quinque libellas, et pro cera nihil aut fere nihil recipiunt, alibi tam pro illo quam pro ista summam et quantitatem valde maiorem exigunt.

771. Sed differentiae istae suntne omnes eliminandae? Respondeo negative; aliquae enim sunt iustae et sustinendae; aliae vero sunt iniquae et abolendae. Finge, v. g. in una paroecia omnes aut fere omnes esse pauperes, et in alia multos esse locupletiores vel absolute divites. Utique tunc paternatici differentia iustissima generatim esse poterit. Finge praeterea in una paroecia parochianos deferre multam ceram in festo Purificationis B. M. V. et in alia usum istum minime adesse. Utique tunc iustum esse poterit ut pro cera in illa nihil aut fere nihil, et in ista plus exigatur. Sed finge e contra quod circumstantiae sint aequales, et quod proinde non appareat ratio cur illic mi-

nus et hic plus exigatur; utique tunc differentiae iniquae et scandalosae erunt, atque adeo eliminari debebunt.

772. Sed quo modo? Imprimis quoad pauperes et miserabiles fere nihil aut etiam nihil omnino exigi poterit. Dicit Rituale: « Pauperes, quibus mortuis nihil, aut ita parum superest, ut propriis expensis humari non possint, gratis omnino sepeliantur: ac debita lumina suis expensis, si opus fuerit, adhibeant sacerdotes ad quos defuncti cura pertinet ». Consonat nostra Synodus Cantoni (pag. 117) inquit: « Ai poveri *gratis*, con obbligo dei lumi, e di un Sacerdote o chierico che risponda ai salmi ». Et subdit idipsum servari debere « anche quando vi fosse difficoltà sopra la detta povertà; salvo il posteriore ricorso ecc. ».

773. Quoad alios, loquendo de paternatico, prima regula indicatur ab eadem Synodo nostra, quae distinguit: 1° inter personas nobiles simulque divites: 2° personas mediae conditionis et commode viventes (vulgo *benestanti*): 3° personas ordinarias, v. g. artifices etc. Statuit autem pro primo casu duo scutata (viginti iulios), pro secundo duodecim iulios, et pro tertio sex iulios. Sed, praeterquam quod, propter mutatum et diminutum pecuniae valorem, hae taxae antiquae adaugeri deberent, haec regula in praxi multis subicitur difficultatibus; adsunt enim personae nobiles et non divites, et viceversa personae divites (imo ditissimae) et non nobiles. Saepe insuper vix distinguitur, an qui talem vel talem artem aut professionem exercet, inter personas mediae vel ordinariae conditionis constitui debeat. Sunt etiam familiae divites, quae funus cum nulla pompa, et e contra familiae mediae vel ordinariae conditionis quae funera valde solemnia facere volunt. Quum denique ruri omnes aut fere omnes sint ordinariae conditionis, in paroeciis ruralibus inter casum et casum nulla differentia fieri posset, quod profecto est absonum valde et contra praxim omnium.

774. Alii itaque censent differentiam a diversitate funeris sumi debere, varias scilicet esse statuendas funerum classes; ita ut qui funus cum tali vel tali pompa facere eligit, talem vel talem summam pro paternatico parochus solvere debeat. Haec regula melius ad praxim deservit, atque etiam parocciis ruralibus accommodatur. Quum tamen pompa non ab unica re sed a pluribus rebus et circumstantiis constituatur, et facile contingere possit quod familia defuncti alicui rei vel circumstantiae (fortasse exiguae) renuntiet, ut funus elevatioris classis non amplius sit; ideo optimum factu mihi videretur si a solo numero sacerdotum qui ad associationem cadaveris vel ad exequias invitantur, taxa constitueretur; ita scilicet ut parochus ratione paternatici, v. g. unum iulium pro quolibet sacerdote invitato (etsi forte non omnes advenissent) exigat. Sic profecto res simplicissima evaderet. Notari potest quod haec regula in substantia concordat cum prima; ordinarie enim maior vel minor numerus sacerdotum qui invitantur, a maiori vel minori familiae commoditate pendet.

Caeterum taxa quae viget pro parochianis, adaugeri pro exteris minime posset. Cf. Barbosa (XXVI. 83).

775. Ratione autem cerae, optima est distinctio supra indicata, ut scilicet nihil aut fere nihil in illis parocciis exigatur, ubi parochiani ceram in festo Purificat. B. M. V. offerre solent; in aliis autem exigantur candelae quae iuxta ritum sunt stricte necessariae, ita tamen ut earundem pondus arbitrio familiae relinquatur. Si vero familia, ad pompam maiorem, candelarum vel intorticiorum numerum circa feretrum apponere vellet, tunc apud nos consuetudo est ut speciales conventiones cum defuncti familia fiant, statuendo v. g. ut quaedam proportionalis (v. g. decima) horum superabundantium cereorum pars, sive in se sive in aequivalenti, parochus cedatur.

Certe autem contra consuetudinem exigi nequiret ut cera in cadaveris associatione adhibita, non adhiberentur etiam pro funere (Cf. Ferraris v. *Quarta* n. 12).

776. Haec valent quoad adultos. Quoad parvulos autem Synodus nostra statuit medietatem; dum enim pro nobilibus adultis duo scutata, pro parvulis unum scutatatum designat. Hinc (iuxta hanc regulam medietatis), si quoad adultos paternaticum statueretur in uno iulio pro quolibet sacerdote vel clerico invitato, quoad parvulos in medio iulio statuendum esset. Ruri tamen, quum solus parochus pro parvulis invitari soleat, non a numero Sacerdotum, sed a conditione familiae regula sumi deberet; ita scilicet ut v. g. pro familiis praestantioribus sex, et pro aliis tres libellae statuatur.

777. Ut autem regula ita efficax sit ut ad praxim vere deducatur atque uniformiter servetur, certe verba mea non sufficient, sed exigitur lex, quae in Synodo, aut saltem auditis Vicariis foraneis, promulgetur.

778. *Potestne parochus impedire ne cera abundantior detur sacerdotibus Regularibus ad funus invitatis, quam saecularibus?* S. C. Epp. et Reg. (16 Dec. 1661) respondit: « Distributionem candelarum, quoad differentiam qualitatis, pendere ab arbitrio haeredum » (apud Ferraris v. *Quarta* n. 29).

779. *Quid iuris circa crucis delationem?* De hoc vide dicta n. 525.

780. *Quid iuris circa delationem stolae, aspersionem cadaveris et praecedentiam, si interveniat Capitulum?* Delatio stolae, et aspersione cadaveris dum levatur e domo (quamvis ageretur de Canonico), spectat ad parochum; sed per viam praecedentia debetur Capitulo, utpote digniori (S. R. C. *Decr. generale* 3854 et 2685).

781. *Si ad associandum cadaver, non parochus solus cum suo clero, sed alii quoque interveniant collegialiter, quo in loco coadunari debent?* De hoc vide dicta n. 526.

782. *Quaenam iura habet parochus, quando parochianus in parocchia defunctus ad aliam Ecclesiam deportari debeat?*

Si ad illam deportari debeat pro funere, tunc parochus ius non habet deferendi cadaver prius ad propriam Ecclesiam. Excipe 1° nisi consuetudo in contrarium adesset; 2° nisi defunctus ipse ante mortem statuisset vel eius haeredes sponte vellent ut ad parochialem prius deferretur (Vecchiotti § 60). Praescindendo autem ab his casibus, parochus ius haberet solum 1° ad associationem cadaveris usque ad ianuam Ecclesiae funerantis; 2° ad quartam funebrem. Dixi *solum*; et proinde, intuitu funeris alibi perficiendi, taxam consuetam pro associatione adaugere non poterit (Cf. Decretum Clementis X apud Ferraris v. *Quarta* n. 27 et S. R. C. *Decr.* 1539 ad 5). Si tamen Ecclesia funerans ex una parte esset intra limites paroeciae suae, et ex aliâ Regularium minime esset; tunc parochus ius haberet etiam peragendi funus in ea ipsa Ecclesia. Emolumenta tamen funeris ipsius (dempta quarta) spectarent ad eiusdem Ecclesiae rectorem. Si autem Ecclesia rectorem non haberet, sed sub immediata parochi dependentia foret, tunc emolumenta ipsa totaliter parochi deberentur (De his omnibus Cf. Vecchiotti *l. c.*). Consuetudines quoque et leges synodales observari deberent.

Si vero cadaver ad aliam Ecclesiam vel oratorium deportari deberet solum pro tumulo; tunc parochus, funere in parochiali peracto, ius haberet comitandi illud usque ad eandem Ecclesiam vel oratorium. Si haec Ecclesia esset exempta, vel (extra paroeciae limites) rectorem proprium haberet, vel sub alterius parochi dependentia esset; tunc ius parochi cadaver comitantis ad ianuam illius cessaret. Imo ille eidem Ecclesiae solvere deberet etiam quartam funebrem. Si denique tumulus esset in oratorio iuris patronatus familiae defuncti, tunc familia ipsa committere posset parochi comitanti ut corpus prout de ritu sepulturae traderet; ita tamen ut iura, si quae sint, parochi loci, salva remaneant.

783. *Supponendo quod defunctus ad aliam Ecclesiam deferri debeat pro funere, quid notandum circa associationem, ad quam (ut dixi) parochus ius habet?* Praeter praedicta (n. 782), notanda sunt sequentia. Parochus 1° non solum ius habet sed etiam obligationem per se vel per alium id praestandi (*Decr. gen.* 3854). 2° Potest impedire ne rector Ecclesiae tumultantis defunctum aqua benedicta aspergat, seu (ut vulgo dicitur) cadaver elevet; supponendo tamen quod ipse operam suam praestet; si enim invitatus accedere recusaret, tunc idem rector cadaver elevare posset (S. R. C. *Decr.* 1539 ad 5). 3° Si defunctus deferendus esset ad Ecclesiam Regularium, ipsi associationi intervenire quidem poterunt, sed ad hoc cogi nequirent (S. R. C. *Decr. cit.* 1539 ad 4). 4° Regulariter associatio cadaveris fieri debet a parochi usque ad ianuam ecclesiae tumultantis (S. R. C. *Decr. cit.* 3854); non vero solum usque ad tales vel tales limites, v. g. usque ad portam civitatis, vel usque ad limites paroeciae in cuius Ecclesia funus peragi debet. Utique consuetudines diversae hoc in puncto facile adesse et valere possunt; sed oportet ut sint rationabiles et deformitatem non involvant. Sic, v. g. sustineretur consuetudo, ut, interveniente associationi parochi defuncti simul cum parochi in cuius Ecclesia funus celebrari debet, hic ultimus stolam assumat atque ad manum dexteram transeat statim ac paroeciae suae limites ingreditur; dum antea alter parochus stolam tenebat etc. (Lambertini *Inst.* CV. 54). Item sustineretur consuetudo, qua duo parochi sibi invicem cum respectivo clero processionaliter obviam irent; non vero ut processio tali vel tali loco sistere deberet, si forte altera tardaret; quod enim turba presbyterorum cum superpelliceo, sive cum feretro sive sine illo, in medio publicae viae sistat, magna deformitas est; quae etiam ex Decreto S. R. Congreg. (n. 2623) tolerari non potest; et consuetudo, quamvis immemorabilis, hoc in puncto nullam vim haberet (S. R. C. *Decr.* 1440 ad 3). 5° Denique parochus ius habet decla-

randi qua via cadaver exportandum sit (S. R. C. eodem *Decr. 1440 ad 5*).

784. *Quid est quarta funebris?* Est pars (ordinarie quarta) emolumentorum, quae ab Ecclesia funeranti sive Ecclesiae parochiali, sive Ecclesiae tumulanti, cedi debet.

785. *Qua de causa debetur parochi quarta?* Ratione Sacramentorum, quae parochianus dum vivebat in paroecia sua recepit, dicente Leone III. (*Decretal. III. xxviii. Cap. 1*): « Illi Ecclesiae dari (portionem canonicam) censum semus in qua coelesti pabulo refici consuevit ».

786. *Ad determinandam hanc quartam, quatenus emolumenta computari debent? Et suntne aliqui exempti a solutione quartae?* De iure communi scripto (scilicet praescindendo a consuetudinibus legi derogantibus) aliud dici debet de Italia et insulis adiacentibus; aliud vero de aliis locis.

787. *Quid de iure scripto quoad loca extra Italiam?* Imprimis Innocentius III. (*Decretal. III. xxviii. De Sepult. C. X. In nostra*) dixit: « Parochialis Ecclesia de oblationibus et aliis, quae defunctus in ultima dispositione reliquit.... recipiat quartam partem ». Gregorius IX (*Decretal. III. xxxi. De testam. Cap. XV. De his*) limitationem adiecit, iniquis: « De his, quae in ornamentis, vel pro cereis, seu fabrica, luminaribus, anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum legata (fuerunt) Ecclesiis vel reliquis piis locis, canonica portio.... deduci non debet ». E contra postea Clemens V (*Clementin. III. vii. Cap. 2 Dudum*) extensionem fecit et statuit, quartam sumendam esse etiam ex quibuslibet legatis Ecclesiae funeranti a defuncto factis; imponendo onus solvendi parochis quartam « de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscumque et quomodocumque relictis distincte vel indistincte ad quoscumque certos et determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive canonica portio, dari sive exigi non consuevit vel non debet de iure, necnon de datis vel qualitercumque donatis in morte ». Haec tamen extensio, contraria praedicto statuto Gregorii IX (iuxta Reiff. III. xxviii. 53) respiciebat solum Fratres Praedicatorum et Minoriticorum, de quibus dumtaxat Clemens V loquebatur, et proinde alias Ecclesias non gravabat. Venerunt deinde privilegia, quibus aliqui Romani Pontifices plures Ordines religiosos a solutione quartae prorsus exemerunt. Privilegia ista maxima ex parte intacta relictis fuerunt a Conc. Tridentino; unde, non obstante decreto *Sess. XXV. C. III.*, post ipsum adhuc perdurarunt. Silentio tamen non est praetereundum quod Pius V Const. *Etsi mendicantium* restrinxit quartam ad sola funeralia, scilicet ad sola emolumenta obvenerunt Ecclesiae funeranti die funeris; dixit enim: « Id tantum cerae, et aliorum quae in aliquibus partibus deferri contigerit tempore quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu legatis vel aliis, Fratribus ipsis seu Monialibus huiusmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis, solvi debet; sicque intelligi Concilii Tridentini decretum, quoad quartam huius-

« modi solvendam, debere decernimus ». An autem haec Pii V dispositio vim habeat, non obstante quod Gregorius XIII (Const. *In tanta*) eius Bullam et declarationes in ipsa factas abrogaverit, mihi (contra Reiff. l. c. 58) valde dubitari posse videtur. Concludendum est itaque quod, inspecto (ut dixi) solo iure scripto (nisi scilicet consuetudines in contrarium efformatae fuerint) extra Italiam 1. Privilegia Regularium, circa exemptionem a solvenda quarta, magna ex parte adhuc perdurant. Si autem iam a tempore immemorabili illam exigere solerent, iam ex hoc ipso de eorum iure praesumendum esset. Vecchiotti (*II. v. n. 64*). 2. An vero, ad quartam determinandam, ultra emolumenta die funeris percepta, alia quoque computari debeant, dubium videtur.

788. *Quid de Italia et insulis adiacentibus?* Benedictus XIII (Const. *Romanus*) sequentia statuit: « Omnia privilegia quoad quartam funeralem... ad viam iuris reducimus, et, quatenus opus sit, etiam revocamus et abrogamus, neque cuiquam deinceps suffragari posse vel debere decernimus... Mandamus ut... parochis defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumulabuntur, persolvatur et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortiorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intortiorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. A praedicta tamen quarta funerali exceptae intelligantur et sint candelae, quas sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum sodalitatum confratres, funus associantes manualiter per viam accensas deferent.... Sub praedicta quarta funerali comprehendi non intendimus, imo expresse ab ea excipimus, legata missarum et anniversariorum, hisque similia pia relictis, ad favorem Ecclesiae tumulantis vel exponentis a defuncto disposita ». Sic itaque in Italia privilegia Regularium hoc in puncto sublata sunt totaliter et aliunde quarta ad sola emolumenta cerae die funeris percepta, restricta fuit.

789. *Valentne consuetudines in hac materia?* Utique, dummodo sint legitimae; dummodo scilicet ab immemorabili servatae fuerint, vel saltem tempus de iure sufficiens ad praescriptionem inducendam elapsum fuerit.

Valent itaque I. ad quartam augendam; unde idem Bened. XIII (*Const. cit.*) dixit: « Ubi vero consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae, vel statuta, vigerent, quae praefatis parochis magis faverent, illis quae pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent; ea, in iis in quibus vigent locis, inconcusse ab omnibus observari... iubemus ». Quod longe prius statutum fuit a Clemente III (*Decretal. III. xxviii. De sepult. IX*) dicente: « Unaquaeque provinciae in sensu suo abundet; secundum rationabilem consuetudinem regionis, illa iustitia circa medietatem vel tertiam aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur ».

Valent II. ad quartam imminuendam, vel etiam ut nihil solvatur, ut communiter notant Canonistae.

Attamen dicit Ferraris (v. *Quarta n. 3*): « Portio canonica usque ad quartam exclusive (dum scilicet prius erat maior) potest praescribi spatio decem annorum absque titulo; ad hoc autem ut praescribatur infra quartam, vel ut nihil solvatur, requiritur consuetudo quadraginta annorum cum titulo, aut immemorabilis ». Vide etiam Barbosa (*De par. XXV. 16*), et Vecchiotti (*II. n. § 61*).

790. *Quaenam sunt consuetudines magis communes in hac materia?*

I. « Consuetudo passim introducta et recepta (*intellege etiam extra Italiam*) habetur quod non nisi de iis, quae occasione funeris (non item quae per dispositionem aliquam ultimam), et quidem in solo die depositionis aut sepulturae, Ecclesiae alienae obveniunt, solvatur ». Ita Reiffenst. (*III. xxviii. 52*); et idem dicit Vecchiotti (*II. v. n. 61*).

II. Consuetudo (saltem in Italia) communis est ut computetur sola cera, quae circa feretrum et in altaribus a familia defuncti accendi vult. Patet 1º ex verbis Benedicti XIII supra citatis (*n. 788*); 2º ex statutis Cleri Ro-

mani (apud de Angelis *III. xxviii. 4*); 3º ex Synodis dioecesanis, inter quas videri potest Synodus nostra (*pag. 118*). Patet etiam 4º quia secus Ecclesia funerans, ad quartam determinandam, computare deberet etiam emolumentum, quod parochus ipse pro associatione percipit; quod absonum et contra praxim est. Ea itaque quae dantur, v. g. propter cadaveris associationem vel Missam cantatam etc., computanda esse non videntur. Si tamen pro cera pecunia daretur, tunc quarta ex hac pecunia taxari deberet.

III. Consuetudo communissima est ut quarta vere a quarta parte constituatur, ut ex nomine ipso aperte colligitur.

IV. Nihil dico de privilegiis, quae eo usque procedere possunt, ut aliquae Ecclesiae quartam imo et medietatem (etiam a non assuetis) exigere valeant; et ipsae e contra nihil dare teneantur; prout Romae (relate ad alias dioeceses) contingere dicunt.

791. *Quid si in aliqua Dioecesi praxis circa quartam esset varia et confusa?* Tunc a iure communi regula sumi deberet. Barbosa (*XVV. 2*).

792. *Quid si Ecclesia parochialis iuxta consuetudinem suae Dioecesis exigeret quartam in tali vel tali mensura, et Ecclesia funerans alterius Dioecesis iuxta consuetudinem illius vigentem solvere vellet minus vel nihil?* Secluso privilegio, standum esset pro iure Ecclesiae parochialis: ipsa enim habet titulum onerosum, qui alteri solum lucrativo praevalere deberet. Barbosa (*l. c.*).

793. *Quid si funus non die tumulationis celebraretur, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus, procrastinaretur?* « Parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortitorum et candelarum, quae ipsamet peracti funeris die in Ecclesia ubi defunctus humatus fuit, circa coenotaphium seu tumulum honorarium, atque etiam in altaribus eiusdem Ecclesiae, accensa fuerint ». Ita Benedictus XIII (*Const. cit.*).

794. *Quid si funus levis momenti die tumulationis, et alia die officium solemne et proportionatum factum fuisset?* De hoc casu habemus decisionem S. C. Epp. et Reg. (*Die 3 Aug. 1624*) quae sic prostat: « Utrum si parochus in die funeris data sit sola candelarum et facularum quarta; et deinde sequenti die solemni pompa, magno scilicet adhibito religiosorum, confraternitatum et presbyterorum numero in alia Ecclesia, ubi mortuus sepulturae mandatus fuerat, pro eius anima solemnis Missa cantetur, cum distributione candelarum et intortitorum in maiori quantitate quam praecedentis, debeatur ex his quoque parochus quarta? In qua controversia S. C. .... nemine discrepante censuit: deberi quartam parochus ex funeralibus secundo loco factis » (Apud Acta V. 604. Idque iure optimo; ne secus fraus legi et parochis fiat; ut bene notat cl. D'Annibale (*III. 530 not. 22*)).

795. *Quid si alicubi consuetudo esset persolvendi iusta funebria eodem apparatu eodemque funeris sumptu, non solum die depositionis, sed etiam duobus diebus sequentibus?* S. C. C. (In Firmana 18 Jul. 1744) censuit, dandam esse quartam etiam quoad duos dies subsequentes. Apud Acta (l. c.).

796. *Quid si cadaver ad modum depositi vel precariae expositionis relictum fuisset in aliqua Ecclesia cum intorticiis accensis antequam ad parochialem vel ad aliam Ecclesiam deferretur?* Si e depositi loco ad Ecclesiam parochialem deferatur, tunc illa intorticia parochi debentur; quarta vero eorundem ei deberetur, si ad aliam Ecclesiam deferretur. Ita fuisse decisum a S. C. C. dicit Vecchiotti (II. v. § 62).

797. *Quarta (si parochianus in paroecia mortuus fuerit) debeturne parochi solum in casu sepulturae alibi electae, an vero etiam in aliis casibus in quibus extra parochialem funus celebretur?* Debetur etiam in aliis casibus, Benedictus XIII (Const. cit.) dixit: « Haec porro omnia locum « habent... quotiescumque defunctus extra suam parochialem Ecclesiam tu- « muletur vel exponatur; sive quia in Ecclesia tumulante vel exponente bene- « ficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulchrum habuerit gentilitium, sive « tandem quia in ipsa sepulturam elegerit ».

798. *Qui sepeliri deberet in sepulchro gentilitio, si alibi sepulturam elegisset, quarta funebri essetne solvenda Ecclesiae sepulchri gentilitii, an vero parochiali?* Solvenda esset parochiali, dicente Bonifacio VIII (VI. Decretal. III. De sepult. Cap. 8): « Cum quis, cuius maiores sunt soliti ab « antiquo in aliqua Ecclesia sepeliri, eam dimissa, eligit alibi sepulturam: cano- « nica portio dimissae non debetur Ecclesiae, sed illi dumtaxat, in qua ille « officia consueverit audire divina et ecclesiastica recipere sacramenta ».

799. *Pro exactione quartae parochus habetne actionem contra haereditatem seu familiam defuncti?* Negative; sed solum contra rectorem illius Ecclesiae, in qua funus celebratum fuit. Ita S. C. Epp. et Reg. (14 Apr. 1615) apud Ferraris (v. Quarta n. 35).

800. *Quid de quarta, si funus perageretur in parochiali, sed pro tumulo ad aliam Ecclesiam sive Regularium sive utcumque rectorem habentem, defunctus deferri deberet?* Tunc (ut innui supra n. 782) parochus Ecclesiae tumulanti quartam solvere teneretur; idque verum esset sive propter sepulchrum gentilitium sive propter defuncti ipsius voluntatem humatio ibidem facienda foret. S. R. C. (Decr. 2899).

801. *Quid si haereditatem defuncti in exequiis pompam extraordinariam non sine magno parochi incommodo exigent?* De Luca (XII. III. De par. XXVIII. 6) dicit, taxam consuetam respicere funera consuetam, neque parochum teneri huiusmodi functiones facere in forma pomposa cum extraordinario ac magno incommodo et labore; et in

casu maiorem recognitionem (taxandam iuxta consuetudinem) exigere posse.

802. *Quid de parochi exigente taxam ad praestandum locum pro sepultura, non equidem consueta sed honoratiori, sive in coemeterio parochiali sive in Ecclesia? Scilicet 1º Estne hoc licitum? 2º Exigiturne licentia Episcopi?*

Ad primum sic respondet Reiffenstuel (III. xxviii. 68): « Probabile est posse etiam per modum pretii et contra- « ctus aliquid peti et accipi pro honoratiori situ et loco « sepulturae, v. g. ut quis sepeliatur in Ecclesia, capella « etc.... Ratio est quia in tali casu non attenditur ipsa « sepultura, sed honor et praeeminentia, quae ut quid « profanum pretio aestimabile est... Accedit praxis quoti- « diana doctissimorum et timoratissimorum virorum ex « utroque tam saeculari quam regulari clero pro sepultura « in Ecclesiis vel aliis similibus honoratioribus locis sine « omni scrupulo paciscentium et pretium accipientium, « scientibus et tolerantibus RR. Ordinariis, imo idipsum « per suos practicantibus, qui omnes sane continuae si- « moniacae pravitate argui absque temeritate vix possunt ». Idque confirmat exemplo sedilium in Ecclesia inquit: « Sicut a pari contingit, si pro pretio Ecclesia laico con- « cedit honoratorem locum, seu sedem seu banchum in « Ecclesia, quod fieri posse etiam adversarii concedunt ».

Ad secundum sic respondet Barbosa (De par. III. xxvi. 11): « Tribus modis locus sepulturae dari potest: « 1º ut is cui datur fiat dominus eius; 2º ut habeat ius « sepeliendi in eo mortuos suos, et impediendi ne alii « sepeliantur; 3º ut possit sepelire aliquem in ea... Primo « modo nulli potest dari locus sepulturae, etiam cum au- « ctoritate Episcopi, quia rei sacrae dominium nullus ha- « bere potest. Secundo modo non potest dari sine aucto- « ritate Episcopi, nec cum illa sine iusta causa.... Tertio « modo potest dari a quolibet habente... ius admittendi ad « sepulturam in sua Ecclesia... sine auctoritate speciali

« Episcopi, per auctoritatem quam habet a iure communi ». Hoc tamen tertio modo sepultura gentilitia, quae praebeat iura supra indicata, nunquam constitueretur. Hodie autem leges civiles attendendae essent, ut per se patet.

## CAPUT VII.

**De iurisdictione parochorum  
circa sacramenta et sepulturam in pluribus casibus  
speciali animadversione indigentibus.**

803. *Quid de iurisdictione parochi circa simplices sacerdotes?* Hi subiiciuntur iurisdictioni parochi sicut caeteri parochiani; et solum excipitur communicatio paschalis, dummodo Missam celebrent.

804. *Quid de iurisdictione parochi circa canonicos?* Hi quoque subiiciuntur iurisdictioni parochi. Attamen, praeter communionem paschalem, excipitur etiam sepultura, quae ad Cathedralis vel Collegiatam pertinet, remanente in parochi iure ad associationem (iuxta dicta n. 780) et ad quartam funebrem (S. R. C. *Decr.* 2441 ad 11). Viatici et Extremae Unctionis administratio de iure communi spectat ad parochum. Si tamen adesset consuetudo legitime praescripta ut canonici (sive titulares sive solum honorarii) haberentur tamquam prorsus exempti a iurisdictione parochi (prout in Gallia); tunc iura omnia ad Capitulum spectarent (Cf. Acta III. 127).

805. *Quid de administratione Sacramentorum Episcopo aegrotanti?* Haec administratio non ad parochum, sed ad primam dignitatem Capituli spectat (*Caerem. Epp.*); et in hoc consuetudinem in contrarium valere non posse, dicit Bouix (*De Par. IV. III in fin.*).

806. *Quinam a iurisdictione parochi sunt exempti?* Qui auctoritate sive Pontificis sive Episcopi ab eadem subtracti fuerint, ut contingit speciatim in Regularibus.

807. *Quid de iuribus parochi circa peregrinos, circa illos scilicet qui in illius paroecia nec domicilium nec quasi-domicilium habent, sed alibi illud retinent, et proinde vagi non sunt?* Imprimis pro quaestione ista, et maxime pro sequentibus, expedit ut recolantur notiones, quae supra (n. 425-449) expositae fuerunt. Quoad peregrinos autem, en quomodo iurisdictione parochi se habet.

I. Parochus ius non habet ut ipsi pro communione paschali ad illius paroeciam accedant; quum enim non sint eiusdem parochiani, praeepto paschali satisfacere debent vel in paroecia propria, si possint, vel ubi volunt. S. Lig. (*VI n. 240. 9 et n. 300. 2*).

II. Quoad sacramenta poenitentiae et matrimonii, omnia sunt clara ex dictis suo loco.

III. Quoad Viaticum, et Extremam Unctionem; administratio horum sacramentorum, si proprius peregrini parochus non adsit, aut commode accersiri nequeat, spectat exclusive ad parochum loci. Ratio est quia tunc ille fit parochus necessitatis et in suo territorio quoad Sacramentorum administrationem et curam animarum ius habet exclusivum, iis dumtaxat exceptis, quae, sive ex privilegio sive ex consuetudine, ab aliis sacerdotibus, eo quoque irrequisito, fieri possunt (quod in casu non verificatur). Patet 1° ex C. Ecclesias (*Decreti II. XIII. 1*) ubi dicitur: « Nullus alterius paroeciae terminos aut ius invadat ». Patet 2° ex C. In Ecclesiis (*Decretal. III. xxxviii*), ubi dicitur: « In Ecclesiis, ubi monachi habitent, populus per monachum non regatur, sed capellanus etc. ». Patet 3° quia ad Viaticum administrandum ut plurimum oportet processionaliter et cum cruce procedere, quod (exceptis casibus consuetis) aliis non licet, et parochi soli in sua paroecia exclusive competit, nisi Episcopus aliter determinet (Cf. Lambertini *Inst. CV. 49. 52*).

808. Idque verum esset quamvis moribundus esset in monasterio Regularium, ut patet ex Decreto S. C. C. (*19 Sept. 1637 apud Ferraris v. Sepultura n. 26*) se-

quentis tenoris: Quidam miles occasione infirmitatis diver-  
 « tit in monasterium Regularium, ibique ab iisdem Sacra-  
 « mentum Eucharistiae pro Viatico et Extremam Unctio-  
 « nem recepit, et exinde obiit; paroco, intra cuius paroe-  
 « ciae fines Monasterium extitit, reluctant. Quaeritur:  
 « An administratio huiusmodi Regularibus esset permissa?  
 « S. C. respondit: Non esse permissam ». Vide etiam eun-  
 « dem Ferraris (*l. c. n. 72*).

809. Si autem proprius peregrini parochus adesset aut  
 commode accersiri posset; tunc de iure communi horum  
 Sacramentorum administratio ad illum spectaret, unde  
 apud Acta (*XIV n. 353*) legitur: « Parochi officium et  
 « iurisdictionem haud esse territorio, sed parochianorum  
 « personis affixam; ex quo fit ut parochus, dum omne  
 « ius habet in parochianum suum, quocumque ierit, nullum  
 « vero ius habeat in propria paroecia super alienum paro-  
 « chianum ». Caeterum hoc valet, inspecto iure communi.  
 In praxi enim inspicere debet consuetudo localis. Sic, v. g.  
 apud nos parochi in paroecia sua administrare solent Sa-  
 cramenta omnia moribundis alienae paroeciae, quamvis  
 eorum parochus vicinus esset. Haec consuetudo, quae valde  
 diffusa esse videtur, est bona et legitima; quandoquidem  
 ex ea, propter magis promptam et expeditam Sacramento-  
 rum administrationem, salus animarum non detrimentum  
 sed lucrum habet. Haec autem melius patebunt ex dicen-  
 dis infra.

IV. Quoad sepulturam, videndum an cadaver peregrini  
 defuncti possit necne ad propriam parochialem deferri  
 commode. Si possit, tunc ad illam deferri debet; sin mi-  
 nus, ubi mors accidit, sepeliendum erit. Patet ex Cap. *Is*  
*qui De Sepulturis in VI*, dicente: « Is qui habet domi-  
 « cilium in civitate vel castro, quando ad villam ruralem  
 « se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exercent  
 « in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non  
 « in Ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali (vel in ea  
 « potius in quo maiorum ipsius ab antiquo sepultura ex-

« titit) sepeliri debet; dummodo absque periculo ad ipsam  
 « valeat deportari ». Aliqui dicunt peregrinos sepeliendos  
 esse in Cathedrali, et fundantur in quadam resolutione S.  
 C. Epp. et Reg. sequentis tenoris: « Etiam circumscripta  
 « consuetudine, advenas et pertranseuntes in Cathedrali-  
 « bus; et reliquos in parochia intra cuius fines obierint,  
 « si per aliquod tempus habitaverunt, esse sepeliendos »  
 (apud Ferraris v. *Sepultura n. 22*). Sed, nisi loci con-  
 suetudo ita ferat, hoc attendi non debere videtur. Cano-  
 nistae enim passim vel dicunt absolute, peregrinos se-  
 peliendos esse in parochiali ubi decedunt (Cf. Reiffenst.  
*III. xxviii. 27, Vecchiotti II. § 61, Zitelli I. V. iv § 4*  
*etc.*); vel dicunt standum esse consuetudini (Cf. Ferraris  
*l. c. Schmalzgr. III. iii. xxviii. 41 etc.*); et novissime  
 apud Acta (*XVII. 482 in not.*) legitur: « Ex nullo ca-  
 « pite iuris competere Capitulis Cathedralium funera pe-  
 « ragere pro peregrinis et advenis; ideoque solam con-  
 « suetudinem, ubi invaluit, effecisse ut peregrinorum et  
 « advenarum funera a Cathedralis paroco expleri vale-  
 « rent praelative ad alios civitatis parochos ». Cf. etiam  
 eadem Acta (*Vol. III pag. 42*).

810. Sed quandonam iudicandum erit quod cadaver  
*sine periculo ad propriam parochialem (vel ad sepultu-  
 ram electam aut maiorum etc.) deportari nequeat?*

I. Si familia defuncti mediis extraordinariis (v. g. via  
 ferrea) uti vellet ad cadaver illuc deferendum, parochus  
 loci id impedire nequiret; tunc enim, ut dicitur apud Acta  
 (*XI. 498 in not.*), « distantia obstaculum non affert ut  
 « cadavera ad propriam deferantur sepulturam ».

II. Praescindendo ab hoc casu, standum est legibus syn-  
 nodalibus vel episcopalibus, si adsint (Cf. D' Annibale  
*I. 112 not. 17*).

III. Deficientibus autem legibus synodalibus, ordinarie  
 standum erit sententiae magis receptae, quae dicit, peri-  
 culum adesse non censi si per iter unius diei, aut vi-  
 ginti miliariorum translatio fieri possit. Acta (*XI. pag.*



497). Circumstantiae tamen tales esse possent ut iudicium viro prudenti relinqui debeat (Cf. Ferraris v. *Sepultura* n. 41 et De Angelis III. xxviii. 40).

811. *Si parochus cadaver peregrini in sua Ecclesia sepulturae mandasset, tenereturne ad aliquid erga verum defuncti parochum?* Videndum an illegitime, an vero legitime ita se gessisset. Si illegitime, tunc omnia funeris emolumenta eidem restituere teneretur. Si vero legitime, tunc (nisi de contraria consuetudine constet) quartam funebrem eidem rependere debet.

812. Iure scripto de quarta in hoc casu solvenda (quod sciam) nihil habetur. Quod tamen generali iure consuetudinario rependi debeat, patet 1. ex Statuto Cleri Romani (apud De Angelis III. xxviii. 40), ubi dicitur: « Pro funere illius qui ab Urbe profectus, quin domicilium amiserit, alibi decesserit, parochum Urbis, cui suberat defunctus, quartam funeris repeteret a parocho loci, ubi decessit... Parochos Urbis integra sua facere emolumenta pro funere cuiusque hospitis; etsi in Urbe defunctus ad aliam regionem sepeliendus transferatur, quin alteri quarta funeris debeatur iuxta vetustissimum Urbis privilegium ». Patet 2. ex Canonistis, qui passim dicunt quartam in hoc quoque casu esse solvendam. Cf. Ferraris (v. *Quarta* n. 7), Schmalzgr. (III. m. xxviii. *De sepult.* 84), Barbosa (*De par.* III. xxv. 26), Vecchiotti (II. § 61), De Angelis (l. c.) etc. Patet 3. quia ratio quae viget in aliis casibus, de quadam scilicet compensatione danda illi Ecclesiae in qua defunctus dum vivebat coelesti pabulo refecti consuevit (*Decretal.* III. xxviii. *Cap. I.* in isto quoque viget. Alicubi tamen certe consuetudo est ut nihil solvatur. Vide Lambertini (*Inst. C. V. n. 44.*

813. *Si peregrini cadaver ad suam parochialem vel ad aliam Ecclesiam pro funere, vel ad coemeterium sine funere, deferri deberet, tunc quid iuris esset parochi, in cuius paroecia mors evenit?*

I. Quamvis forte ipse extrema Sacramenta defuncto administrasset, non exinde ius acquireret ad quartam funebrem, quae non iam pro accidentali assistentia in morte praestita; bene vero (ut mox supra dicebam) pro coelesti pabulo in vita subministrato de iure debetur.

II. Quoad cadaveris autem associationem ad Ecclesiam tumultantem vel ad coemeterium, haec de iure communi ad proprium defuncti parochum (non vero ad parochum loci) ex integro spectat. Patet apertissime ex resolutione S. C. C. (14 Maii 1881 Bononien. apud Acta XIV. 346) et ex Lambertino (*Inst. CV. 46*), Scarfant. (*ad Ceccop.*

*Addit. 48 n. 56*) etc. Ratio est quia ex una parte parochus proprius iurisdictionem in parochianum etiam extra paroeciam peregrinantem, habere non cessat; et ex alia ingressus ad paroeciam alienam pro cadavere associando (etiam cum clero et cruce elevata) neque iure neque consuetudine communi interdicitur, atque delatio stolae et elevatio crucis in aliena paroecia tunc est signum iurisdictionis non quoad paroeciam sed quoad parochianum. Excipe 1° Si alicubi privilegia vel consuetudines legitimae in contrarium essent, et parochus loci sive totaliter sive in parte faverent. Excipe 2° Si defuncti parochus ius suum (v. g. propter distantiam) amisisset, aut de illo non curaret; tunc enim associatio ad parochum loci (ubi mors accidit) spectaret. Patet ex resolutione S. C. C. (22 Dec. 1866) Acta (III. 45). Excipe 3° Si privatim, et sine ulla sacerdotum associatione, cadaver ad domum propriam deferri vellet.

814. *Quid de iure parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad vagos?*

I. Quoad sacramenta, parochus nullum ius habet ut vagi, excepto casu infirmitatis, ad illum recurrant; parochiani enim minime sunt. Iis tamen petentibus sacramenta administrare potest, comprehenso matrimonio et habita fide status liberi a Curia Episcopali. Vide supra (n. 438).

II. Dixi, *excepto casu infirmitatis*, si enim vagus infirmus decumberet; tunc administratio Viatici et Extremae Unctionis ad parochum, intra cuius paroeciae fines casus accidit, spectaret exclusive.

III. Sepultura (nisi consuetudo Cathedrali faveret) spectat pariter ad parochum. Si autem vagus sepulturam sibi alibi elegisset, tunc eidem parochi ius ad quartam remaneret. Vecchiotti (II. § 61).

815. *Quid de iure parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad illos, qui in duabus paroeciis duo veri nominis domicilia habent?*

I. In vita isti possunt satisfacere praecepto paschali, atque etiam contrahere matrimonium sive in una sive in alia paroecia pro libitu; et solum de convenientia erit ut paroeciam, ubi actu degunt, eligant. Cf. De Angelis (IV. III. 4<sup>o</sup>) et Gousset (n. 223).

II. In morte autem, sacramentorum administratio ad parochum paroeciae, ubi infirmi sunt, spectat.

III. Sepultura pariter spectaret ad parochum in cuius paroecia mors accideret. Ferraris (v. *Sepultura* n. 25).

IV. Si defunctus alibi sibi elegisset sepulturam, tunc quarta funebris inter duos parochos esset dividenda. Patet ex Cap. *Cum quis Sepult.* in VI. dicente: « Cum ab eo qui duo habet domicilia, se collocans aequaliter in utroque, in loco tertio eligitur sepultura: domiciliorum Ecclesiae habebunt inter se dividere portionem canonicam ». Idem dic pro casibus sepulturae gentilitiae, dignitatis, necessitatis etc.

816. *Quid de iure parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad illos, qui in una paroecia domicilium et in alia quasi-domicilium habent?*

I. Quum habens domicilium verum in una paroecia et quasi-domicilium in alia, sit parochianus in utraque; plane sequitur quod *regulariter* in utraque praecepto paschali satisfacere, et matrimonium contrahere possit.

II. Dicit autem Reiffenst. (IV. III. 63-65) quod, sicut parochus domicilii, ita quoque parochus quasi-domicilii, etiam extra suae paroeciae territorium, matrimonio valide, et subinde etiam licite (si nempe privatim sine benedictione nuptiali, aut de consensu parochi loci celebretur) assistere posset.

III. Viatici et Extremae Unctionis administratio spectat ad parochum quasi-domicilii, si ibidem infirmus decumbat.

IV. Denique sepultura *regulariter* spectat ad parochum, in cuius paroecia mors accidit. Ferraris (v. *Sepultura* n. 23).

V. Dixi *regulariter*; quandoquidem imprimis, quoad matrimonium (loquendo de licito) et sepulturam, exceptio dari potest casu quo persona habeat verum domicilium *in eadem civitate*, ubi quasi-domicilium habet. Famula, v. g. habet quasi-domicilium apud herum in paroecia A, dum habet quoque suum verum domicilium paternum vel maternum vel fraternum in paroecia B eiusdem civitatis. Qui casus etiam in collegiali, educanda etc. facile contingere potest.

817. De casu isto Bened. XIV. dum esset Archiepiscopus Bononiensis. (*Inst. XXIII, et LXXXVIII*) statuit, matrimonium et sepulturam ad parochum domicilii veri spectare. Fundamentum autem habetur in Statuto Cleri Romani (C. III. § 21), ubi decernitur, « familiares et famulos Cardinalium seu aliorum Principum et Praelatorum nec non aliorum quorumcumque, qui habent domum et familiam in alia parochia (Urbis), ad illam pertinere ». Et in additionibus, ad ipsum statutum (C. III. § 9) sequentia decernuntur:

« Si scholastici sint exteri, vel nullum habeant in Urbe domicilium, ad parochiam intra cuius fines situm est collegium, non solum quoad funerals, sed etiam quoad matrimonia, pertinere statuimus.

« Si vero domicilium in Urbe non habentes, et amicorum vel coniatorum aedes, ratione infirmitatis, aliave quacumque de causa, non derelicto tamen collegio, se transtulerint, ibique decesserint, ad parochiam collegii pertinere declaramus ».

« Hoc idem servandum erit in puellis et aliis, quae educationis vel familiarum aedes, aliave quacumque de causa accidentali, in monasteriis aut conservatoriis degunt; quarum cadavera tumulanda esse mandamus in sepulchra maiorum, si habeant, vel in Ecclesia parochiali, intra cuius limites unaquaeque proprium habet domicilium, quatenus absque electione sepulturae decesserit ».

« Si vero sint exterae, vel non habeant in Urbe domicilium, servetur quod de scholasticis supra dictum est, tam in funeralibus quam in contrahendo matrimonio, prout etiam declaratum fuit in Congregatione particulari sub die 19 Ian. 1705 ».

Consonat S. C. C., quae interrogata ab Episcopo Eugubino « An matrimonii famularum assistere debeat parochus domicilii paterni, seu potius alter, in cuius paroecia puellae famulatum praestant? Sub die 24 Maii 1788 respondit: Episcopus per decretum iubeat, ut matrimoniis puellarum, quae famulatum Eugubii praestant, assistat parochus domicilii paterni, materni, fraterni eiusdem puellae, quatenus illud habeant in eadem civitate; si non habeant, assistat parochus domicilii in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant » (apud Vecchiotti III. § 106 v. *Quaeritur*).

Sed haec dispositio (quatenus excludit parochum quasi-domicilii, si persona in eadem civitate verum domicilium habeat) 1. respicitne revera (quoad matrimonium) solum licitum? 2. estne lex particularis, an vero universalis? Ad primum, recte respondent Vecchiotti (l. c.) et Berengo (n. 126 v. *Patet*) respicere solum licitum. Ad secundum, communiter censent quod agatur de lege universali, quatenus scilicet consuetudo Urbis (sub oculis Pontificis) expressa in statuto Cleri Romani efformat interpretationem authenticam, quae pro regula in toto orbe deservire debet. Vide Pallottini (v. *Matrim.* § XV. n. 278).

818. Exceptiones etiam dari possunt quoad satisfactionem praecepti paschalis et administrationem Viatici et Extremae Unctionis, si forte persona sit in loco a iurisdictione parochi exempto, vel sub clausura etc.

Sed haec omnia, veniendo magis ad particularia, maiori explicatione indigent.

819. *Quid itaque de iuribus parochi quoad sacramenta et sepulturam relate ad infirmos in nosocomiis:*

*famulos; collegiales; seminaristas; orphanos degentes in orphanotrophiis; puellas expositas; infantes apud nutrices; milites, carcere detentos; Regulares cum votis solemnibus; educandas sub clausura; alias personas degentes apud Regulares vel Moniales; personas adscriptas piis congregationibus et collegialiter viventes sine votis solemnibus; et denique relate ad cadavera, quae deferuntur ad stationem ferroviariam, ut sepeliantur in coemeterio civitatis?* Ad clare et accurate respondendum, singula seorsim considerari debent.

820. *Quid de iurisdictione parochi relate ad infirmos aliosque degentes in nosocomiis?*

I. Si nosocomium non esset exemptum, scilicet sacerdotem (vulgo *capellanum*) quasi-parochi munere fungentem non haberet (prout speciatim in parvis oppidis contingere solet), tunc nosocomium ipsum cuilibet domui privatae equiparatur. Solum notandum esset quod infirmi in illo recepti (utpote qui ordinarie nec perpetuo nec pro maiori anni parte haberent intentionem ibi permanendi) ordinarie tamquam peregrini considerari debent. Hinc, de iure communi et praescindendo a contraria consuetudine, atque etiam praescindendo a casu necessitatis, quoad illos Sacramenta et sepultura spectarent ad proprium uniuscuiusque infirmi parochum. Bene scripsit Scarfantionius (*Addit. XLVIII n. 15*). « Qui erant parochi eorum ante infirmitatem, cuius causa delati fuerunt ad hospitale, adhuc remanent parochi proprii eorundem infirmorum; ideoque de iure, cessante exemptione hospitalis, tenerentur singulis suis parochianis infirmis in eodem hospitali administrare Sacramenta, eosque sepelire ». Sane iurisdictione parochorum quoad suos parochianos est personalis, eosque sequitur ubicumque degant. Caeterum parochus loci (in cuius scilicet paroecia adsit hospitale non exemptum) iurisdictionem haberet 1º quoad Sacramenta et sepulturam si ageretur de chronicis et inservientibus, ratione scilicet domicilii aut quasi domicilii; 2º quoad Viaticum et Extre-

nam Unctionem, si parochus proprius advocari nequiret, tunc enim parochus loci evaderet parochus necessitatis; 3º quoad sepulturam si paroecia defuncti nimis distaret, soluta quarta parochi proprio; 4º quoad dicta Sacramenta Viatici et Extremae Unctionis, si, contra ius commune, in Dioecesi adesset consuetudo ut peregrinis moribundis semper parochus loci illa ministraret, quo casu solet etiam adesse consuetudo ut parochus sive solus sive simul cum proprio defuncti parochi cadaver associet.

II. Sed ut plurimum (et maxime in magnis civitatibus) nosocomia provisum sunt propriis capellanis simulque sunt exempta a iurisdictione cuiuslibet parochi; unde nemo, invito capellano, se ingerere posset. Haec provisio et exemptio tunc est prorsus necessaria, et proinde (ut ait De Luca *De Par. D. XXIII n. 11*) merito inducta fuit « ob magnam confusionem alias resultantem circa sacramentorum administrationem quam frequentius ex improviso et quacumque hora, etiam de nocte, facere oportet, si pro singulis infirmis diversarum parochiarum, etiam distantium, convocare oporteret parochos proprios, quod esset impracticabile », nimis scilicet, tum quoad nosocomia tum quoad parochos ipsos, res incommoda foret et in damnum animarum redundaret. Minor esset difficultas si accurrere deberet parochus loci; sed, attendita multitudine infirmorum et frequentia casuum urgentissimorum, maxime expedit ut sacerdos in hospitali ipso die noctuque residens, atque ab aliis curis solutus, semper in promptu sit. Haec autem exemptio non ubique aequali modo se habet; sed ex tenore decreti vel ex consuetudine patebit ad quaenam extendatur. Ordinarie extenditur solum ad Sacramenta Eucharistiae et Extremae Unctionis atque ad commendationem animae; sed alicubi extenditur etiam ad celebrationem matrimonii pro casibus urgentibus, vel etiam ad sepulturam sive cum funere in ipsa nosocomii Ecclesia celebrando (et solvendo quartam, prout de iure), sive cum associatione cadaveris ad publicum coemeterium. Vide Be-

rengo (*Enchirid. n. 37*) et Leurenium (*For. benef. Sect. III, C. II. q. CCCCLII n. 6*). Si autem exemptio non extendatur ad sepulturam, tunc (quoad illam) standum esset regulis iuris communis quae parochis propriis defunctorum favent (Cf. Decretum S. C. C. *14 Maii 1881* apud Acta *XIV p. 346*), idque nedum relate ad funus sed etiam relate ad associationem cadaveris, nisi circa hanc ultimam adesset consuetudo quae parochi loci faveret. Et notandum, adesse nosocomia exempta quoad sepulturam, sed solum ita ut habeant ius funeris, non vero ius associationis cadaveris sive ad coemeterium <sup>(1)</sup>, sive ad Ecclesiam a defuncto ipso pro funere electam, et tunc consuetudini sive iuxta sive contra ius commune, standum erit.

III. Hodie solent adesse loca specialia, quae vulgo dicuntur *domus salutis*, in quibus infirmi non iam sunt pauperes qui recipiantur *gratis*, bene vero sunt civilis conditionis qui pensionem et stipendia solvunt. Non levis autem exorta est quaestio et dubitatur an exemptiones, quae nosocomio concessae fuerunt, extendantur ad domum salutis, quae (ut suppono) in illo reperiatur. Mihi videtur affirmandum, quia pro exclusione ratio valida non subsistit. Enimvero 1<sup>o</sup> domus salutis, ex hoc ipso quod est intra nosocomium, eiusdem partem efformat; privilegium autem concessum toto, intelligitur concessum etiam parti sive praesenti sive futurae; et a fortiori quia haec pars est longe minor, et adagium dicit: *maior pars trahit ad se minorem*. 2<sup>o</sup> Etiam antequam domus salutis constitueretur, in nosocomiis recipi solebant, personae honestioris conditionis quae pensionem solvebant; et certe ad illas

(1) Antiquitus haec hospitalia (sicut parociae etc.) habebant proprium coemeterium adnexum et proinde associatione faciendae extra illa non indigebant, quae necessaria postea evasit propter distantiam publici coemeterii. Haec tamen circumstantia regulariter nihil immutavit, atque adeo nullum ius in favorem parochorum induxit, qua de re vide Acta (vol. I. pag. 85 et 124). Dixi *regulariter*; practice enim, quoad associationes ad coemeterium, alicubi efformatae fuerunt consuetudines, quae etiam contra ius commune vim legis habent. Vide etiam Leurenium (*Sect. III. C. II. q. CCCCLIII. n. 3*).

quoque exemptiones omnes extendebantur. Si autem hoc novum nomen (*domus salutis*) inventum non fuisset, et nihilominus eadem personae reciperentur, etsi cum frequentia paulo maiori, nulla soborta fuisset quaestio; sed nunquid quia cellae, in quibus iidem infirmi recipiuntur, huiusmodi novo nomine appellantur, hoc sufficere poterit, ut nosocomium quoad illos exemptiones amittere debeat? Minime profecto. 3<sup>o</sup> Relate ad Sacramenta, rationes in favorem exemptionis et inspecto bono animarum, remanent sicut antea, atque insuper ex facto patet quod res sicut antea procedunt. Relate autem ad sepulturam, ex una parte iactura in damnum parochorum non est magna tum quia infirmus sepulturam pro libitu suo iam eligere posset et ordinarie electurus esset suam parociam; tum quia quarta funebris parociae ipsi semper salva remaneret; et ex alia parte exurgeret scandalum si parochi solum pro sepultura et solum pro divitibus (nempe solum pro lucro, non autem pro labore) sollicitudinem ostenderent. Adde quod certe laederentur iura nosocomii quoad illas civilis conditionis personas quae solvendo pensionem eodem modo receptae et defunctae fuissent in illo, etsi domus salutis (prout nunc est et nunc appellatur) non adfuisset, et quae practice distingui nequeunt ab aliis, quae, si eadem domus minime extitisset, ad nosocomium delatae non fuissent.

821. Caeterum in hoc et in similibus aliis casibus posset adesse necessitas controversias auctoritative componendi; et solum notandum quod ad constituendas exemptiones circa Sacramenta (atque etiam circa matrimonium quoad subditos) sufficit auctoritas Episcopi; sed, circa alia quae iura acquisita laedere possent, beneplacitum apostolicum exigeretur, nec sufficerent conventiones quae absque illo successores ligare nequeunt. Cf. Leurenium (*q. CDLIX*).

822. *Quid de iurisdictione parochi quoad famulos et famulas?*

I. Imprimis canonistae passim absque ulla distinctione dicunt, ab his contrahi quasi-domicilium in paroecia intra cuius fines adest domus heri. Quum tamen aliquando ad experiendum dumtaxat, vel precarie, vel utcumque exclusa intentione remanendi per maiorem anni partem, se collocent; stando in principiis distinguendum esset. Distinguunt reapse plures canonistae primi subsellii inter quos Schmalzgr. (IV. II. III. 150) ad quaesitum: « An sufficiat habitatio quidem per tempus notabile... ut solent qui *famulatus*, « vel negotiationis causa, ad talem locum se recipiunt? » Respondet: « Qui ex huiusmodi causis versantur in aliquo loco, modo ibi versentur animo habitandi ibidem per maiorem anni partem, coram paroco illius loci matrimonium valide inire possunt ». Similiter Reiffenst. (IV. III. 61) dixit: « Famulos mercenarios, et alios, qui per maiorem anni partem alicubi morari intendunt, primo statim die fieri parochianos etc. ».

II. Hinc famuli ordinarie habent quasi-domicilium in domo heri; simulque (non tamen semper) conservant domicilium verum in domo paterna vel materna etc., quae in eadem civitate vel alibi esse potest. Interdum autem possent esse in paroecia, quin quasi-domicilium contraxerint; et tunc tamquam peregrinantes aut vagi considerandi erunt, secundum quod domicilium verum alibi habeant vel non habeant. Dixi *famulos non semper conservare verum domicilium alibi*; aliquando enim, mortuis genitoribus, propriam familiam amplius non habent; aut, si habent, illam ita deseruerunt ut intentionem ad eandem redeundi prorsus deposuerint.

III. Iuxta hos diversos casus, quid de parochi iurisdictione circa famulos vel famulas (quoad Sacramenta et sepulturam) dicendum sit, ex principiis generalibus supra expositis et declaratis facile conici poterit.

IV. De famulis autem Regularium sermo habebitur infra.

823. *Quid de iurisdictione parochi circa collegiales, seminaristas, et orphanos in orphanotrophiis degentes?*

I. Hi collegiales, seminaristae et orphani ex una parte paternum vel maternum vel fraternum domicilium (sive in eadem civitate sive alibi) conservare solent; et ex alia quasi-domicilium in collegio vel seminario vel orphanotrophio contrahunt; unde, dum ibi morantur, de iure communi, etiam paroco loci subiiciuntur.

II. Alicubi collegia, et speciatim seminaria, ex decreto Episcopi vel consuetudine, sunt exempta; et tunc alumni proprio Directori (qui ipsorum quasi-parochus esset), quoad satisfactionem praecepti paschalis et sacramenta in extremis, subiiciuntur. Funeralia autem, iuxta distinctiones supra (n. 816 V) expositas, modo ad parochum loci, modo ad parochum domicilii paterni spectabunt.

III. Notandum tamen, speciatim circa orphanas contingere posse quod nullum aliud domicilium habeant; quod scilicet aliqua puella propriam familiam reliquerit cum intentione nunquam ad illam redeundi, et manendi in hospitio usque ad matrimonium, ibi contrahendum, etsi identidem ad breve tempus ad suos invisendos se conferre intenderit. In hoc casu parochus familiae ipsius nullo, uti patet, iure, nullaque auctoritate sive quoad matrimonium sive quoad sepulturam circa puellam huiusmodi potiri possit. Bened. XIV (Inst. XXXIII. 14).

824. *Quid de iurisdictione parochi quoad puellas, quae vulgo expositae de domo Dei dicuntur?*

I. Loquendo de illis quae sunt in brephotrophio, advertendum est imprimis quod de iure communi, quoad iurisdictionem parochialem, paroco loci, ubi situm est brephotrophium, subiiciuntur. Ex decreto Episcopi tamen vel consuetudine, plus vel minus exemptae esse possent; nec desunt casus, in quibus ex privilegio specialissimo iurdictio, non excepto matrimonio, ad earundem capellanum spectat. Cf. Pallottini (v. *Matrimonium XV. 184*).

II. Quae autem ad brephotrophium quidem spectant, sed aliis (v. g. tamquam famulae) traditae sunt, domicilium ubi degunt habere solent. Attamen quoad matrimonium vide supra dicta (n. 440. III. 7).

825. *Quid de infantibus nutricibus traditis?* Attento defectu intentionis in his infantibus et brevitate temporis quo apud nutrices relinqui solent, quasi-domicilium apud illas contrahere non censentur. Tempus quippe quod sufficeret pro aliis, ex animi et voluntatis defectu, pro illis non sufficit; et proinde, si in aliena paroecia apud nutricem moriantur, regulae quae de peregrinis expositae sunt, in rigore servari deberent. Ita decernitur in Statuto Cleri Romani apud Giraldi (*I. Sect. CCCCLXXXVIII*). Si tamen consuetudo in contrarium adesset, servari posset. Notandum est etiam quod, ut plurimum, emolumenta exinde provenientia adeo exigua sunt, ut credi possit quod parochus proprius de iisdem nihil praetendat.

826. *Quid de iurisdictione parochi quoad milites?*

I. Videndum imprimis an milites habeant proprios cappellanos, et quali auctoritate isti polleant; contingere enim potest (maxime si exercitus Episcopum castrensem aut capellanum maiorem haberet) quod capellani ipsi quoad milites (imo et eorum familias, si diu noctuque in castris militaribus degerent) iurisdictione quasi parochiali (non tamen semper exclusive) gaudeant. Cf. Schmalzgr. (*IV. II. II. 165-168*), Berengo (n. 41), Vecchiotti (*III. 106*) etc.

II. Seclusa autem capellanorum castrensi auctoritate, canonistae communiter distinguunt et dicunt: Si milites sint in praesidiis, tunc parochus loci subiiciuntur; si vero sint in expeditione, aut (alii addunt) in hybernis, tunc tamquam vagi considerantur. Sed haec omnia cum mica salis intelligenda esse videntur. Imprimis quod milites tamquam vagi haberi debeant, admitti non potest, si (prout hodie communiter accidit) domicilium in patria conservent, ad quod (militiae tempore expleto) redire intendant; qua de re vide Lambertini (*Inst. LXXXVIII. n. 9*)

et Reiff. (*II. I. 45*). Quod autem, dum sunt in praesidiis, tamquam quasi-domicilium habentes semper considerari debeant, hoc etiam non semper verum esse crediderim; contingere enim potest quod etiam in praesidiis ad tempus nimis breve destinentur, aut nimis facile quovis momento ab uno ad alium locum transferri possint. Hoc perpendit etiam Schmalzgr. (*IV. II. III. 165*), qui dixit, « milites » non habere quasi-domicilium non solum quando in expeditionibus et castris sub papilionibus degunt, sed etiam » quando sunt in hybernis, imo et in praesidiis; modo » his non stabiliter aut per maiorem anni partem addicti » sint, sed a nutu Ducis, eos ad exercitum, expeditionem, » vel aliud praesidium evocantis, pendeant ». Et profecto aut a principiis recedendum, aut sic distinguendum est.

827. *Quid de iurisdictione parochi quoad carcere detentos?* Communiter sic distinguunt: Aut carcere detentus ibi detinetur custodiae causa (dum scilicet processus conficitur); aut ad poenam (lata iam sententia) luendam. Domicilium (dicunt) non in primo casu; bene vero in secundo contrahitur. Cf. Lambertini (*Inst. XXXIII. 12*), Vecchiotti (*III. § 106*), et Pallottini (v. *Matrimonium n. 230-233*). Sed quid si poena solum ad paucos dies, vel certe non ad maiorem anni partem, extenderetur? Etsi canonistae hoc in puncto non distinguant, tamen Zitelli (*Appar. ff. II. VII. De imp. cland. 3*) distinguendum esse censet, et dicit valere matrimonium coram parochus carceris, « si perpetuo aut ad notabile tempus (e carcere detentus) ibi luat poenam ». Noto hic etiam quod, si principiis stare velimus, haec distinctio necessaria est.

828. *Potestne parochus ullum ius habere quoad sacramenta et sepulturam relate ad Regulares vel Moniales vota solemnia habentes?*

I. Si Regularis in loco dissito a coenobio sui Ordinis infirmetur, consideratur tamquam peregrinus, et sacramentorum administratio spectat ad parochum loci, qui tunc fit parochus necessitatis.

II. Eveniente morte, videndum an defunctus commode deferri possit ad monasterium; quod si fieri nequeat, ius sepulturae devolvitur ad parochum; ita tamen ut tunc Regularis ante mortem sepulturam sibi eligere potuisset. Cf. Ferraris (v. *Sepulturam* n. 39).

III. Praescindendo a dicto casu necessitatis atque etiam a casu absolutae dispersionis, parochus nullum ius habet circa Regulares, neque 1<sup>o</sup> quoad Sacramenta, si forte extra monasterium infirmentur; neque 2<sup>o</sup> quoad sepulturam, si forte defunctus ab alia domo ad monasterium, vel a monasterio ad publicum coemeterium deferri debeat; dummodo sine pompa id fiat. Primum patet quia « Regularis dicitur esse in monasterio, ubicumque reperiatur » de licentia aut iussu sui Superioris » (*Panormitana* apud Acta IX. pag. 109). Secundum patet ex pluribus decisionibus; quandoquidem S. C. C. (2 Jul. 1620) decrevit: « Regulares extra claustra degentes posse ad eorum » Ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis »; et (24 Febr. 1846) interrogata utrum, expleto officio exequiali, vocari debeat parochus pro delatione defuncti ad publicum coemeterium, respondit: « Negative in omnibus, dummodo » cadaver deferatur absque solempni pompa, recto tramite » ad coemeterium a familia regulari proprii conventus » tantum ». (Apud Acta VII. pag. 171-173). Idemque quoad sepulturam Monialium (quod scilicet associatio cadaveris ad confessarium spectat, dummodo sine pompa peragatur) resolutum fuit ab eadem S. C. C. (24 Febr. 1872) apud Acta (l. c. pag. 167). Extensores autem eiusdem ephemeridis bene explicant quomodo intelligenda sit expressio *sine pompa*, et dicunt (l. c. pag. 173) prout sequitur.

« Verba *sine pompa* vel *sine solempni pompa* idem » significare, ita ut per haec verba excludatur tantum » pomposa delatio funebris, quae fieri solet convocato numero clero saeculari et regulari, convocatis confratratibus loci etc.; quae sine parochi localis interventu

« et emolumento fieri non possent (Adde quod haec voto » paupertatis parum congruerent). Non censi autem » pomposam funebrem delationem, si Regularis defunctus » associetur a solis eiusdem conventus Regularibus (etsi » plurimi essent); ideoque neque pomposam censi fune- » brem delationem defunctae monialis si fiat per paucos » numero presbyteros vel clericos; maxime si aliquo modo » vel titulo ad monasterium referantur ».

IV. Religiosi civilibus perturbationibus a propriis coenobiis eieci, si essent prorsus dispersi, iurisdictioni parochorum non solum quoad Sacramenta sed etiam quoad sepulturam subiicerentur, sicut caeteri parochiani. Ita decisum fuit a S. C. Epp. et Reg. (26 Febr. 1864) apud Acta (I. pag. 168).

V. Religiosi a coenobiis eieci non semper sunt absolute dispersi, sed facile adhuc pertinent ad religiosam familiam proprii ordinis; idque contingit si eadem familia saltem ex tribus constet, quorum saltem unus sit sacerdos. Huiusmodi religiosae familiae etsi in privata domo degant, quibusdam servatis conditionibus, oratorio cum iure quoque asservandi SS. Sacramentum gaudere possunt. (Cf. Scavini I. n. 671). Quatenus autem familia religiosa cum proprio legitimo superiore subsistat, tunc Religiosi, a parochorum iurisdictione exempti sunt; idque verificaretur etiam quoad illos, qui in aliis domibus commorarentur, dummodo sub dicti superioris obedientia viverent (iuxta supra dicta n. III). Hinc Regulares huiusmodi quoad satisfactionem praeccepti paschalis (si sint laici) non a parochis, sed a Superiore proprio dependere debent; et, si infirmentur, Sacramentorum administratio ad eundem Superiorem spectabit; qui tamen, quoad Viatici administrationem modo a sacris ritibus praescripto peragendam, ordinarie indigebit concursu parochi, qui (prout in casu peregrini in eius parochia moribundi) recusare non poterit. Quomodo autem quoad sepulturam res se habeant, facile intelligitur ex supradictis (n. III).

829. *Quid de iurisdictione parochi quoad famulos Regularium?* Hi sunt exempti; sed nec omnes nec quoad omnia. Non omnes; ex Tridentino enim (XXIV. xi) oportet ut *actu serviant, et inter eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivant*; unde si servirent quidem, sed extra claustrum degerent, exemptione ista non gauderent. Hinc S. C. C. (21 Ian. 1713) ad dubium: « An hebdomadarius, clericus, pistor, olitor, et spenditrix habitantes in cortile Monasterii... habeant requisita Concilii in casu? » Rescripsit: *Negative*. (Apud Vecchiotti I. § 93). Idem dic de famulis Monialium; quandoquidem ad dubium: « An famuli et famulae Monialium saeculares degentes in mansionibus sitis in atriis monasteriorum muro circumvallatis et quae sunt contigua monasteriis, et habent portam quae clauditur, teneantur recipere Sacramentum Eucharistiae tempore paschali a parochis, in quorum parochiis monasteria et mansiones sitae sunt? » Die 19 Sept. 1722 eadem S. C. respondit: *Affirmative et amplius*. Dixi quod exemptio non extenditur ad omnia. Extenditur siquidem ad praeceptum paschale, Sacramenta in extremis, et sepulturam; non vero ad matrimonium. Patet ex Decreto S. C. C. 25 Ian. 1738 apud Giraldi (I. vol. II. Sect. dcccxc. tit. xxxiii).

830. *Quid de iurisdictione parochi quoad Sacramenta relate ad puellas, vulgo educandas, quae scilicet apud moniales vota solemnia habentes, educationis causa sub clausura morantur?* Hae puellae in vita atque etiam in extrema infirmitate subiiciuntur iurisdictioni confessarii seu capellani monialium, et quidem privative, ut notissimum est. Excipitur tamen matrimonium et sepultura.

831. *Quid itaque pro casu matrimonii?* Educanda pro matrimonio contrahendo (ut iam innui n. 440) ad parentum suorum domum mitti debet. Patet ex Bened. XIV, qui (Inst. XXXIII. n. 15) refert Decret. S. C. Epp. et Reg. sequentis tenoris: « Eminentissimi Cardinales, iuxta decreta generalia, aliaque super hac re per Sacram Congregationem edita... Eminentiae Vestrae has literas scribendas iusserunt, ut virgines omnes, quae futuras nuptias data fide promiserint, iussu Eminentiae Vestrae, interposita etiam Sacrae Congregationis auctoritate, ex monasteriis abeant, licet Ordinario minime subiectis, et ad parentum domos revertantur ».

Sed essetne validum matrimonium contractum ad monasterii crates coram confessario monialium, aut coram paroco loci ubi monasterium ipsum situm est? Quoad confessarium, negative: quoad parochum loci, affirmative. Bened. XIV (Inst. LXXXVIII, n. 10) scripsit: « Equidem Passerinus docuit coram Monialium confessario id esse peragendum. Sed quis hanc sententiam aeque animo probare queat? Cum praesertim certissimum sit ex Sacris Congregationibus, puellarum eiusmodi matrimonia, nisi impedimentum aliquod interveniat, celebrari oportere (intellige si ad parentum domum mitti nequirent) coram paroco, sub cuius ditione monasterium includitur. *Matrimonium* (inquit Monacellus) *contractum a puella, quae existit in monasterio ad crates monasterii coram testibus et paroco Ecclesiae parochialis, intra cuius limites situm est monasterium, validum reputatur*. Ibiq; sententias quodaeque a Sacris Congregationibus evulgatas exponit. *Validum est matrimonium* (inquit Braschius) *contractum ab educanda ad crates monasterii coram paroco loci, ubi monasterium situm est*. Ursaya pariter istarum rerum peritissimus et celeberrimus canonum interpres scriptum reliquit, iurisperitos convenisse, ut propositam causam diligentius expenderent, eoque coetu tutissimam unanimi consensu habitam fuisse opinionem, quam nuper exposuimus ». Ratio cur excluditur confessarius, est quia ab Episcopo delegatus quidem fuit quoad alia Sacramenta, sed non quoad matrimonium. Ratio autem cur parochus loci de iure quoad matrimonium huiusmodi auctoritatem habet, est quia est parochus quasi-domicilii.

A fortiori autem validum esset matrimonium Educandae, si coram paroco eiusdem veri domicilii (scilicet domicilii paterni) ad monasterii crates celebraretur.

832. *Quid de sepultura Educandae, quae forte in monasterio moriatur?* Pellizari (X. III. 233) cum aliis dicit, iura funeralia spectare ad confessarium monasterii; sed haec doctrina neque vera neque probabilis est. Obstant enim sequentia. 1º Confessarius delegatus fuit pro Sacramentis, non vero pro sepultura. 2º Nulla necessitas aut convenientia adest, ut exemptio a iurisdictione parochiali extendatur etiam ad sepulturam. 3º Plura decreta vetant ne in Ecclesia monialium (secluso speciali privilegio) sepeliantur personae saeculares (Cf. Scarfant. *Addit. XLVIII. n. 55*). 4º S. C. C. (11 Apr. 1742) apud Ferraris (v. *Moniales I. 62*) decrevit quod Educandae decedentes non sibi electa sepultura, sepeliendae sint in parochia sub qua est monasterium, si non habeant sepulchrum maiorum. Caeterum, si Educanda domicilium paternum in eadem civitate haberet, ad parochum domicilii ipsius funus spectaret iuxta supra dicta (n. 816. V).

833. *Quid de iurisdictione parochi relate ad alias personas, quae alio titulo apud Regulares vel Moniales vivant?*



R. Praescindendo a *novitiis*, qui tamquam religiosi considerantur (De Alexandris XI. iv. q. 17), alii degentes apud Regulares subiiciuntur iurisdictioni parochi. Scripsit Girdaldi (*I. c.*): « Si autem agatur de hospitibus, qui vere « non sint familiares (scilicet famuli), quamvis continuo « degant intra septa monasterii; ibique infirmentur et « moriantur, nullatenus dicta Sacramenta (Viatici et Extremae Uctionis), irrequisito parochi, ministrare possunt (Regulares), eosque in propriis Ecclesiis sepelire, ut « declaravit eadem S. C. in *Astensi*, in qua refertur quod « Comes Eustachius Palio, mortua uxore, se contulerit ad « conventum Fratrum Eremitarum Ordinis S. Augustini « civitatis Astensis, ibique, solutis conventui alimentis, « habitu saeculari indutus, diu vitam duxerit; et postremo « correptus lethali morbo obierit; iidem Patres, absque « parochi praesentia et interventu, Viaticum et Oleum « Infirmorum ei ministraverint, ipsiusque cadaver sepulturae mandaverint; ortum fuit dubium an licite potuerint, irrequisito parochi, Sacramenta ministrare et corpus « tumulare? » S. C. die 27 Nov. 1717 respondit: *Negative* (Apud Girdaldi *I. c.*). Si autem ageretur de muliere, quae intra monasterium clausurae subiectum cum Monialibus degeret; tunc in vita et in extrema infirmitate Confessarii iurisdictioni subiiceretur; sed eiusdem sepultura (ut patet etiam ex Statuto Cleri Romani apud eundem Girdaldi *CCCCLXXXVIII*) ad parochum loci ubi situm est monasterium, spectaret.

834. *Quid si quis clausuram monialium ingressus, inopinato casu corriperetur morbo lethali, neque extra clausuram deferri posset? Administratio Viatici et Extremae Uctionis eiusmodi moribundo ad quemnam spectaret?* In casu extremae necessitatis qui primus occurrit Sacramenta administrare poterit; sed, si res moram pateretur, ad parochum eiusdem, non vero ad confessarium (qui pro tali casu delegationem nunquam habuit), talis administratio spectaret. Ita Pellizari (*X. iii. 232*). Si autem

parochus proprius eiusdem moribundi advocari nequiret, tunc ad parochum loci iurisdictione devolveretur; imo idem die in quovis casu, si consuetudo esset, ut parochus loci, cuilibet moribundo peregrino Sacramenta semper administrare posset. Clausura autem id unum efficeret ut licentia Superioris petenda esset, si commode peti posset.

835. *Quid de Religiosis, vel Monialibus sine votis solemnibus, seu de piis viris vel foeminis collegialiter quidem viventibus, sed non in religione quae tamquam verus ordo religiosus cum tribus votis solemnibus et perpetuis a S. Sede fuerit approbata?*

I. Personae istae (et a fortiori puellae educandae apud huiusmodi Moniales conviventes) de iure communi subiiciuntur iurisdictioni parochiali. Patet ex plurimis S. C. Epp. et Reg. nec non S. C. C. declarationibus, ut videre est apud Lucidi (*II. v. § 8. 459*) et apud Acta (*I. 98. viii. 532. 533 etc.*).

II. Attamen plus vel minus (vel etiam totaliter) a tali iurisdictione eximi possunt, sive ex privilegio apostolico, sive ab Episcopo. Quod autem Episcopus confessarium particularem huiusmodi piis mulieribus assignaverit, hoc non sufficit ut exemptae existantur; sed formale exemptionis decretum, aut consuetudo exigitur (Cf. Berengo *n. 39*). Ut tamen Episcopus valide ad decretum istud procedere possit, graves exiguntur rationes, quae exemptionis gradui proportionatae sint; aliud enim est si piae mulieres quoad solam communionem paschalem, et aliud si quoad Viaticum et Extremam Uctionem; maxime vero aliud si etiam quoad sepulturam a parochiali iurisdictione eximantur. Item facilius si de numerosa, et difficilius si de parva communitate ageretur, ad exemptiones Episcopus devenire posset. Insuper in quovis fere casu aliquod onus in recognitionem parochialis auctoritatis relinqui deberet (Cf. Acta *VIII. 644*). Videtur denique, quod Ordinarius solum tamquam Apostolicae Sedis delegatus (et proinde solum occasione Sacrae Visitationis) ad huiusce generis decretum

(sine speciali indulto apostolico) devenire valeat; legitur enim apud Acta (XII. 353): « Iura parochialia ex iure communi promanant, contra quod nil possunt locorum Ordinarii ». Vide etiam Acta (VIII. pag. 540).

836. *Quid de cadavere per viam ferream ad stationem civitatis, ubi sepeliri debet, delato?* Perinde est ac si quis a loco dissito veniens in illa statione casu mortuus fuisset. Videndum an domicilium vel quasi domicilium in civitate (aut paroecia vicina) habeat, an vero tamquam peregrinus considerari debeat. Videndum insuper an in loco quoad funera a iure communi, an vero quoad associationem cadaveris a particulari consuetudine parochi stationis favente, regula sumenda sit. Videndum denique an cadaver ad aliquam Ecclesiam vel ad Cathedrali, pro funere, an vero directe ad coemeterium deferri debeat. Iuxta hos diversos casus ex supradictis facile erit decidere quomodo procedendum sit.

### CAPUT VIII.

**De iure parochi exigendi  
ut parochiani a se ipso exclusive sacramenta recipiant  
vel ad paroeciam se conferant.**

837. *Quid hoc in puncto circa Sacramenta et alias functiones?* Vide quoad baptismum n. 178; quoad communionem paschalem n. 749; quoad primam puerorum communionem n. 751; et quoad Viaticum et Extremam Unctionem n. 750, 752.

Quoad alias functiones (exceptis exequiis, ut supra) parochi adhortari quidem poterunt (et subinde debebunt) parochianos ut ad parochialem Ecclesiam se conferant; sed ius strictum id exigendi non habent. De Missa parochiali scripsit Bened. XIV (*De Syn. XI. xiv. 10*): « In tegrum hodie omnibus esse in qualibet Ecclesia, modo

« non sit capella seu oratorium privatum, sacris mysteriis interesse, quia contraria consuetudine in toto christiano orbe recepta, derogatum est praecepto audiendi « missam parochialem ». Hinc sequitur, de explicatione Evangelii (quae intra eandem Missam fieri debet) idem esse dicendum; unde idem Bened. XIV (*l. c. n. 13*): « Obligationem, si quae unquam fuit, auscultandi proprium parochum verba facientem ad suum populum, ablatam « nunc esse per contrariam consuetudinem, cum passim « viri pii et docti alio se conferant ad sacros audiendos « oratores ».

838. *Habetne saltem parochus ius ut parochiani mittant ad ipsum pueros suos pro doctrina christiana?* Nequidem circa rem hanc parochus verum ius habet. In collectione resolutionum S. C. C. Pallottinii (v. *Doctrina Christiana n. 5*) legitur: « Pueri cogi non possunt ut ad « doctrinam christianam discendam petant Ecclesiam parochialem; quandoquidem S. Congregatio declaravit, non « posse compelli pueros, ut accedant ad Ecclesiam parochialem ad doctrinam christianam ediscendam. *In dub. ad C. IV. Sess. xxiv. de reform. Posit. 77* ». Obligatio itaque absoluta parochianorum est ut filii in christiana doctrina instruantur. Quod autem ad paroeciam praecise in hunc finem eos mittant, hoc est solum de consilio, dummodo aliis mediis ipsorum instructionem procurent. Si tamen consuetudo esset ut pueri vel puellae unius paroeciae non ad propriam sed ad aliam paroeciam se conferrent; ita ut parochus vel neminem haberet cui catechismum traderet, vel soli pueri, aut solae puellae ad illum se conferrent, tunc parochus ipse, ad huiusmodi non tolerabilem consuetudinem abolendam, ad Episcopum recurrere deberet. Cf. Bened. XIV (*Inst. IX. 1-10*).

## CAPUT IX.

## De iuribus parochi circa sacras functiones.

Agendum est 1. De distinctione inter functiones sacerdotales et parochiales. 2. De iuribus parochi quoad functiones in paroecia sua. 3. De iuribus parochi quoad functiones in aliis Ecclesiis vel oratoriis intra limites paroeciae suae sitis.

## ARTICULUS I.

*De distinctione inter functiones sacerdotales et parochiales.*

839. I. Functiones sacerdotales a quolibet sacerdote indeterminatim, habita tantummodo licentia Rectoris Ecclesiae, peragi possunt, prout sunt, v. g. celebratio Missae, Benedictio cum SS.mo Sacramento etc.

Functiones autem parochiales sunt quae ita semper aut generatim exerceri possunt a parochis ut solum vel fere solum ad illos restringantur.

II. Hoc sensu functiones parochiales sunt speciatim sequentes. 1<sup>o</sup> Administratio Sacramentorum Matrimonii, Viatici, et Extremae Unctionis. 2<sup>o</sup> Administratio Baptismi et benedictio fontis baptismalis, si paroecia illum habeat. 3<sup>o</sup> Benedictio domorum in Paschate. 4<sup>o</sup> Missa in feria V. Maioris hebdomadae: atque aliae functiones hebdomadae eiusdem. 5<sup>o</sup> Processiones etiam extra ambitum Ecclesiae cum cruce et stola. 6<sup>o</sup> Solemnes benedictiones camporum etc. 7<sup>o</sup> Funera.

III. Caeterum, ad iudicandum quanam aliae functiones sint sacerdotales, an vero parochiales; item quomodo aliquae functiones parochiales non omnibus parochis competant vel interdum ab aliis quoque fieri possint, regula principalis a legitima consuetudine, maxime vero a legibus synodalibus, potius quam a iure communi, sumi debet.

IV. De iure communi benedictio mulieris post partum non est mere parochialis (S. R. C. *Decr.* 3813); et idem dic de benedictionibus et distributionibus candelarum, palmarum, cinerum, nec non de benedictionibus rerum comestibilium etc. Sed alicubi ad parochos, sine minus prorsus saltem quasi exclusive, spectant. Cf. Lambertini (*Inst. C. V. § VII*).

## ARTICULUS II.

*De iuribus parochi quoad ea quae relate ad sacras functiones sive libere sive accedente speciali consensu Episcopi, in paroecia sua, sive intra sive extra Ecclesiam, facere vel exigere potest.*

840. *Quid de iure parochi circa functiones et festivitates intra Ecclesiam?* Ius istud limitatur ad functiones et festivitates consuetas (Bouvier *De Ord. de obl. praedic. in fin.*), ita ut sine speciali consensu Episcopi, nec antiquas praetermittere nec novas introducere possit. Recolantur supra dicta (*n.* 687. XI. XII).

In particulari notari possunt sequentia.

I. Benedictiones cum SS.mo Sacramento in eadem Ecclesia impertiri possunt etiam pluries in die (evitata tamen nimia frequentia) de licentia Episcopi (*Decr.* 3438 et 3448); quae licentia pro benedictionibus, quae sint de more, iam semper adesset.

II. Expositiones extraordinariae SS. Sacramenti non licent nisi ex causa publica atque ab Episcopo expresse approbanda. Aliud est de consuetis, et maxime de illis quae, pyxide a tabernaculo non extracta, pro causa privata peraguntur (Cf. *Decr.* 806 et 3448 ad V).

III. De obligatione recurrendi ad Episcopum pro facultate peragendi sacram Missionem iam egi supra

IV. Denique ius parochi circa functiones semper cedere debet praecipis Episcopi, qui praecipere potest ut aliquid sive fiat sive omittatur.

841. *Quid de iure parochi pro servitio Ecclesiae aliquid a sacerdotibus vel clericis exigendi?*

I. Imprimis regulariter ius non habet parochus exigendi ut sacerdotes suae parociae sive pro doctrina christiana, sive pro sacris functionibus, sive pro Missa celebranda se praestent. Ad haec enim ne Episcopus quidem regulariter eos adigere potest; unde legitur apud Acta (XV. 326): « Episcopos, generaliter loquendo, adigere non posse sacerdotes, animarum curae minime addictos, ad christianam doctrinam docendam: posse tamen clericis denegare ascensum ad ordines maiores, et sacerdotibus beneficia, si parochis operam suam commodare neglexerint in tradenda doctrina christiana ». Dixi *regulariter*; aliud enim esset (speciatim quoad Missae celebrationem die festo) si populi necessitas id exigeret; unde scripsit Pasqualigus (*De Sac. Missae q. 844. n. 11*): « Si in aliquo oppido sit unus tantum sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, et adsint alii simplices sacerdotes, poterit Episcopus eis praecipere ad celebrandum diebus festis. Ratio est quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam ». Apud Acta (II. pag. 300). In casu itaque necessitatis parochus Episcopum commonefacere deberet. Et sane hoc patet etiam a pluribus S. C. C. decisionibus, ut videre est in *Praxi* (Ed. III. v. III. n. 443).

Plebani tamen habentes fontem baptismalem ius habent ut parochi proprii plebanatus in sabbato sancto ad eius Ecclesiam conveniant, non obstante distantia. S. R. C. (10 Jul. 1638. n. 645).

II. Parochus exigere potest ut nemo sine sua licentia (saltem praesumpta) in Ecclesia sua confessiones audiatur, aut functionem aliquam peragat. Item ut sacerdotes rubricas servant, et scandalum non praebeant. De iure exigendi litteras testimoniales pro Missa celebranda a sacerdotibus sibi minime notis egi supra (n. 687. V).

III. Stricto rigore, Parochi non tenentur subministrare gratis utensilia sacerdotibus in sua Ecclesia celebrantibus, nec ad id possunt per Episcopum cogi; sed tantum hortari; et hoc, non obstante solito. Cf. Ferraris (v. *Parochus III. 11*). Dixi *stricto rigore*; si enim nihil solvendi consuetudo esset, unusquisque videt consequentias, quae ex huiusmodi exigentia securae essent. S. R. C. (31 Martii 1703. n. 2107) Cf. Monit. Ecel. (V. II. 147).

842. *Quid de iure parochi relate ad functiones extra Ecclesiam peragendas?*

I. Sine consensu Episcopi processionem extraordinariam peragere non posset, quamvis de aliqua universae suae parociae necessitate ageretur. S. C. Epp. et RR. Jul. 1636 apud Berengo (n. 164).

II. Parocho privative competit ius benedicendi domos in Paschate. Consuetudo autem ut postea vice-parochus eandem repetat benedictionem, esset abusus omnino eliminandus, idque quamvis parochiani illam exposcerent. S. R. Congr. (*Decr. n. 2270*).

III. Benedictio camporum et maledictio contra noxia animalia est privative de iuribus parochi si sit in forma solenni (*Decr. 1297 ad IV*); minime vero si sit in forma privata. Attamen, speciatim quoad maledictionem contra noxia animalia, parochus (in casu abusus) recurrere posset ad Episcopum, quia est reservata.

843. *Quid si in Ecclesia parochiali aliqua confraternitas acceptata fuisset; vel adesset Capellae iuris patronatus? Si in Ecclesia parochiali adesset pia confraternitas, iura parochi intacta remanent; ita tamen ut conventionibus, quae in erectione confraternitatis factae fuissent, stare deberet.*

Si in parochiali Ecclesia (scilicet intra ipsam) adesset capellae iurispatronatus, De Bonis (n. 72) dicit: « Capellani iurispatronatus celebrare debent in horis commodis Ecclesiae, et patroni nequeunt penes se tenere claves suarum capellarum, ex sententia Congregationis Episcoporum (apud Pitonium n. 90 ex Nicol. in Januensi 1578 18 Martii). Certe ita sapienter cautum, ne Capellanorum celebratio publicas interturbaret functiones, quae in Ecclesia eadem sunt, aliaque non levia prodirent incommoda si capellanis fieret in quacumque hora celebrandi potestas in capellis iurispatronatus intra Ecclesiam constitutis ». Quod tamen hic auctor dicit de celebratione facienda in horis commodis Ecclesiae, discreto modo intelligendum esse videtur (nisi a fundatore horae statutae fuissent, aut nisi absoluta populi necessitas aliquid exigeret). Aliud est enim si Missae celebratio veram turbationem affer-

ret (ut puta, si populum ab explicatione Evangelii audienda distraheret aut averteret), et aliud si maiorem aliquam commoditatem non afferret. Scripsit Pignatelli (IX. Consult. CXI, 14): « Fateor equidem Episcopum pro illis diebus, quibus libere celebrantur Missae iuxta mentem fundatoris, posse statuere tale tempus, talem horam, ut per celebrationem huiusmodi non impediatur aut perturbetur Ecclesiae servitium... Tunc enim agit Ecclesia de damno evitando, quod sibi afferri non potuit per institutionem celebrationis Missarum... At nego posse Episcopum suis ordinationibus augere ipsius Ecclesiae commoditatem in praeiudicium dictae libertatis iure competentis rectori (beneficii). Nam Ecclesia hoc casu ageret de lucro captando maioris sui commodi, quod fieri non debet cum aliena iactura ».

844. *Quid si parochus in Ecclesia aliena (v. g. cathedrali vel collegiata vel Regularium) ad parochialia officia exercenda receptus fuisset?* Tunc ius haberet ad functiones quae a parochiali officio stricte exiguntur; non vero ad illas quae iam spectant ad Capitulum, et nequidem ad illas quae a maiori zelo suggeri possent, nisi iuxta conventiones legitime initas, aut de consensu principalis Rectoris Ecclesiae peragerentur. Custodia tamen SS. Sacramenti ad parochum spectaret (S. R. C. Decr. 3505).

845. *Quid si adesset consuetudo ut doctrina christiana non a parochis, sed a Canonicis vel Regularibus traderetur?* Consuetudo huiusmodi, ad parochi exclusionem sustineri nequiret, sed tamquam abusus intolerabilis eliminari deberet. Aliud esset si Canonici vel Regulares doctrinam quidem edocerent, sed sub parochi directione. Vide Lucidi (I. m. § 10 n. 338) et Acta (XV. pag. 326).

846. *Potestne parochus confraternitatem aut aliquam piam unionem erigere?* Auctoritate propria et sine consensu Episcopi, negative. De simplicibus piis unionibus seu congregationibus scripsit Ursaya (apud Acta VIII. 275): « Congregationes vero sunt privatae quaedam hominum adunantiae, qui privatim, de licentia tamen Ordinarii, congregantur in aliquo loco, qui non sit Ecclesia publica, ibique certis temporibus sua peccata confiteri, et Eucharistiae Sacramento refici solent, nec non audire exhortationes et admonitiones alicuius patris spiritualis...; nunquam vero hi figuram faciunt in processionibus publicis, nec sacris seu specialibus indumentis utuntur ».

## ARTICULUS III.

*De iure parochi circa functiones in aliis Ecclesiis vel oratoriis publicis intra limites parociae suae sitis.*

847. I. Ecclesiae istae possunt esse dependentes, vel independentes. Dependentes sunt non solum subsidiariae sed etiam aliae quae proprium rectorem (nisi forte a parochis ipso delegatum) non habeant. Independentes autem sunt si sint Regularium, vel iuris patronatus, vel spectent ad aliquam Confraternitatem, vel utcumque rectorem a parochis independentem habeant.

II. Si sint dependentes, tunc parochus pro sacris functionibus de illis, quasi de Ecclesia propria ageretur, valde disponere potest. Attamen SS. Sacramentum (excepto casu subsidiariae, vel specialis indulti apostolici) in illis retinere nequiret. Aliae etiam possent adesse limitationes, si nempe ex decreto Episcopi, vel conventionibus legitimis, vel consuetudine, iura parochi fuissent restricta ad aliqua; v. g. (quoad subsidiarias) ad functiones solemnes personaliter exercendas solum in praecipuis solemnitatibus; ad assistendum matrimoniis; ad funera peragenda; ad habendam clavem oblationum; ad rationum revisionem etc.

III. Aliud est si Ecclesiae sint independentes. Attamen circa illas quoque per accidens aliquid iuris parochis remanere potest, et casus principales sunt sequentes.

1º Si (ut dixi supra n. 779) necessarium esset sumere Eucharistiam ad Viaticum administrandum.

Decretum S. R. C. (quod extenditur etiam ad Regulares) sic prostat: « An data distantia Ecclesiae parochialis ab infirmo SS. Viatico reficiendo, et proximitate Ecclesiae Regularium, quae sita est intra limites parochiae, parochis vel illius coadiutori urbane petenti SS. Eucharistiam extrahere ab Ecclesia regulari praedicta, ut opportune consulat saluti spirituali infirmorum, liceat Regularibus ipsis, cuiuscumque sint ordinis, instituti vel societatis, illam denegare sub motivo exemptioris et privilegiorum? S. C. respondendum censuit: Non licere nec Regularibus, nec Presbyteris saecularibus etiam exemptis, in casibus necessitatis denegare ». Die 22 Aug. 1705 (n. 2159).

2º) Si celebrari deberet in Ecclesia vel publico oratorio confraternitatis officium funebre praesente cadavere et defunctus esset parochianus; tunc enim officii ipsius celebratio ad parochum spectaret. Patet ex decretis S. R. C. n. 2123 ad 20, et 3423. Sed hoc non extenditur ad casum in quo idem officium fieri deberet in Ecclesiis Regularium. *Decr. 448. 731.*

3º) Si in Dioecesi adesset consuetudo ut Missae *cantatae* sive pro vivis sive pro defunctis in iisdem Ecclesiis vel oratoriis ad parochum vel eiusdem substitutum spectarent. Cf. Lambertini (*Instit. CV. n. 117.*)

4º) Speciatim ruri, oratoria in causa esse solent ut ruricolae, pro Missa diebus festis audienda, ad illa divertant, et sic Evangelii explicationem non audiant. Equidem parochi (excepto casu in quo ex praecedente lege synodali aut decreto episcopali res iam fuisset determinata) ex sese remedium apponere nequirent; sed possent et facile deberent recurrere ad Episcopum, qui de iure providere potest aliquo ex sequentibus modis. Potest enim exigere ut sacerdotes illuc Missam celebraturi Evangelium explicent, catechismum faciant, vel saltem res magis necessarias in memoriam revocent et festa atque vigiliis annuntient. Si autem oratorium esset nimis vicinum Ecclesiae parochiali, posset Episcopus prohibere ne in illo Missa celebretur ante parochialem (quae tamen hora convenienti locum habeat): imo posset etiam exigere ut diebus festis sacerdos potius quam in oratorio celebret in parochiali: denique (si hoc satis esse existimaret) posset praecipere ut in principalibus solemnitatibus in oratoriis Missae non celebrentur. In magnis autem civitatibus, quoad horas celebrandi Missas in Ecclesiis secundariis intuitu Missae parochialis in paroeciis, vix quidquam exigi poterit. De his omnibus vide Pallottini (v. *Missae § VIII. n. 22 et seqq.*), Decreta S. R. C. (n. 484 et n. 2893), maxime verò Benedictum XIV Encycl. *Etsi minime et Instit. XLIV.*

5º) Idem dic si populus ad alias Ecclesias advocaretur

tempore quo parochus explicat catechismum; imo hoc in casu Episcopus, tamquam delegatus Sedis Apostolicae, etiam contra Regulares (et quamvis solemne aliquod festum peragerent) procedere posset, ut patet ex citata Benedicti XIV Encyclica *Etsi minime.*

6º) Ius non habet parochus prohibendi ne in aliis Ecclesiis sive a Regularibus sive a sacerdotibus saecularibus, permittente Episcopo, edoceantur pueri in doctrina christiana; sed ius habet ne hoc fiat eadem hora qua fit in paroecia. S. C. C. apud Lucidi (*I. III. 336-337.*)

7º) Quoad Missas (quae forte diebus festis ultra parochialem essent celebrandae) et quoad alias functiones, parochus ius habet ne populi concursus alii ei adimant; quod maxime accideret si, propter coincidentiam aut malam distributionem horarum, plures sine Missa essent remansuri, vel ad functiones longe minus fructuosas forent diversuri. In tali casu, si per leges dioecesanarum provisum non fuisset, ad Episcopum pro remedio recurrere oporteret.

8º) Denique parochus ius habet ne Regulares aut Confraternitates faciant processiones extra ambitum et non prope muros suarum Ecclesiarum, seclusa licentia Episcopi aut consuetudine formiter probata. Patet ex S. R. C. *Decr. 2123 ad 22* aliisque pluribus (Cf. Indicem gen. v. *Processio quoad Regulares et Confraternitates.*)

## CAPUT X.

De iure parochi circa sedilia in ecclesia,  
contra prospectus qui forte in illa invenirentur,  
circa sonitum campanarum, et circa scandala impedienda. ®

848. *Circa sedilia (vulgo BANCHI) in Ecclesia potest ne parochus exigere vel 1º ut auferantur nisi tali vel tali modo reformentur; vel 2º ut a volentibus illa retinere aut de novo introducere maior vel minor, iuxta diversam loci dignitatem et commoditatem, taxa solvatur;*

vel 3<sup>o</sup> ut iisdem locus mutetur? De hoc argumento agunt speciatim Ferraris (v. *Ecclesia a. V*), Scavini (*I. n. 624*), et *Avvisatore ecclesiastico* (an. *IV*); sed verae conclusiones desumi debent ex principio tradito a S. R. C. 22 Nov. 1642 (*Decr. 817*) dicente: « Laicis non adquiri ius in sedilibus et scamnis, quae in Ecclesiis tenere consueverunt, quominus Episcopo liceat ex causa super his disponere ».

Profecto 1<sup>o</sup> Praescindendo a casu fundatoris et patroni Ecclesiae qui pro se vel aliis hac in re iura sibi legitime reservaverint, nemo potest sedile in Ecclesia apponere sine consensu Rectoris, vel Episcopi (et notandum quod pro saecularibus, quamvis de magistratibus ageretur, sedes in presbyterio, seclusa speciali indulto Apostolico, adesse nequeunt. S. R. C. *Decr. n. 96. 959. 960. 2007. 3263*). Habito autem Rectoris vel Episcopi consensu, non iam dominium situs, et nequidem ius perpetuum transmissibile etiam ad alios, atque inconditatum tenendi sedile ipsum acquireretur. 2<sup>o</sup> Attamen concessio esset revocabilis solum ex iusta causa, et pariter mutationes (maxime si de fabricandis omnibus sedilibus novis loco veterum ageretur) solum ex causa iusta exigi possent. 3<sup>o</sup> Concesso situ honoratiori, vel utcumque meliori, ad locum inferiorem sedile (invito eiusdem domini) transferri non posset. 4<sup>o</sup> Episcopi autem consensus expressus exigeretur in duobus casibus, nempe si controversia interveniret, vel si non iam modica taxa annuatim solvenda Rectori *pro tempore*, sed summa notabilis, de cuius erogatione Episcopo ipsi ratio foret reddenda, exigi vellet.

849. *Quid de iure parochi quoad prospectus seu fenestras cancellatas* (it. *GELOSIE*) *quibus a contigua domo privata prospici possit in Ecclesiam?* Certe nec parochi aliive Ecclesiarum rectores et nequidem Episcopi (quamvis de ducibus vel marchionibus ageretur) earundem constructionem permittere possent, ut patet ex Decretis S. Sedis apud Ferraris (v. *Ecclesia a. V in princ.*). Si tamen iam

adessent, et non sine gravi familiarum maerore et magna difficultate claudi possent, tunc, extante dubio de privilegio Apostolico, possent tolerari. S. R. C. (*Decr. n. 3978*).

850. *Quid de iure parochi quoad sonitum campanarum?* Sonitus campanarum debet esse moderatus, speciatim 1<sup>o</sup> ingruente procella (propter periculum fulmen attrahendi. 2<sup>o</sup> Tempore nocturno. Expediret etiam ut ab ipsa ecclesiastica auctoritate numerus sive minorum sive ictuum pro variis casibus determinaretur; qua de re vide rationes et exempla apud Rivarolo (*Il governo della parrocchia P. I. Tit. II. C. IV. et Documenti Alleg. B.*)

851. *Quid de iure parochi quoad scandala, etiam per recursum ad auctoritatem civilem, e medio tollenda?* Hoc in puncto sufficiunt supra dicta n. 555 et seq.

## CAPUT XI.

### De parochi binante, scilicet bis in die Missam celebrante.

852. Ut parochus binare possit, quatuor exiguntur, nempe 1<sup>o</sup> ut agatur de casu necessitatis; 2<sup>o</sup> ut licentiam ab Episcopo obtinerit; 3<sup>o</sup> ut sit ieiunus; 4<sup>o</sup> ut eleemosynam non recipiat.

853. *Quid de prima conditione; quid scilicet exigitur ut casus necessitatis vere constituatur?* Ecclesia hoc in puncto rigidissima est; et merito, ne scilicet populus (prout certe contingeret) valde scandalizetur, credendo aut suspicando quod parochus duas Missas celebret ex avaritia, ut nempe eleemosynam alii sacerdoti celebraturo tribuere non cogatur. Hinc, ut binandi licentia concedi possit, exigitur 1<sup>o</sup> necessitas stricta et manifesta a parte populi; 2<sup>o</sup> impotentia (ut ita dicam) absoluta inveniendi alium sacerdotem.

854. *Quandonam aderit dicta necessitas a parte populi?* Casus practici sunt duo, scilicet 1<sup>o</sup> si (intellige

semper die festo, ut populus praecepto audiendi Missam satisfacere possit) necessaria sit Missa in duabus Ecclesiis, attentis distantis vel fluminibus dividendis etc. (prout facilius contingere potest si parochus duas paroecias regendas habeat). 2º Si in una eademque Ecclesia (attenta vastitate paroeciae vel templi angustia vel aliarum Ecclesiarum distantia) oporteat ut secunda Missa celebretur. Praeter hos duos casus, apud nos vix aut ne vix quidem alius casus datur; et certe sola ratio habendi, v. g. tertiam Missam pro festo Titularis vel simili non sufficeret. Cf. Const. *Declarasti nobis* Benedicti XIV.

855. *Ad constituendam strictam necessitatem, sufficitne si v. g. quindecim aut viginti personae sine Missa remanere cogentur? Et quid si possent quidem absolute loquendo ad aliquam Ecclesiam se conferre, sed solum cum incommodo excessivo?* Decisio remittitur prudentiae Episcopi; qui maxime distinguere debet non solum an multi an vero pauci, sed etiam an semper vel frequenter, an vero solum identidem sine Missa remanere cogentur. Quod autem sufficere possit impossibilitas moralis, certum est.

856. *Censereturne adesse necessitas binandi, si solum pro casu accidentali pars populi sine Missa remanere cogetur, prout contingere posset, v. g. si nocte ipsa diei festi parochus, aut sacerdos qui secundam Missam celebrare deberet, infirmaretur, nec adesset modus providendi nisi binaretur; et idem die si in montibus, propter magnam nivem, multi remanerent sine Missa, nisi parochus post aliquas horas iterum celebraret etc. In his (inquam) et similibus casibus possetne permitti binatio?* Negative, meo sensu et apud nos; nunquam enim auditum est quod pro casibus huiusmodi accidentalibus et raro contingentibus licentia binandi petita vel obtenta fuerit; quod si fieret, magna in populo admiratio provocaretur; idque satis indicat contra praesentem Ecclesiae disciplinam rem huiusmodi esse.

857. *Necessitas, de qua loquimur, restringiturne ad sola festa de praecepto?* Affirmative. Si tamen inter haec festa (in quibus binari soleat) contingeret etiam festum merae sed magnae devotionis; tunc indultum Apostolicum pro illa quoque obtineri poterit.

858. *Quid de impotentia inveniendi ullum alium sacerdotem?* Intelligi debet quod nequeat inveniri aliquis sacerdos qui ad Missam illam celebrandam praesto sit, vel ad hoc possit cogi ab Episcopo. Potest autem Episcopus ad hoc cogere 1º Sacerdotes liberos ab aliis obligationibus. 2º Illos divites qui habent privilegium oratorii privati, ut scilicet (saltem pro turno) Ecclesiae publicae sacerdotem cedant. 3º Ecclesias minores, nisi illae quoque Missam valde indigerent.

859. *Quid si sacerdotes adessent quidem, sed, eo quod parochus (propter inopiam) eleemosynam eis dare nequiret, perinde foret ac si non adessent?* Haec excusatio valere non potest; in casu enim talis ac tantae inopiae a parte parochi, populus, imo ipse Episcopus, supplere deberet.

860. *Quid si adesset consuetudo binandi, etsi alius sacerdos inveniri posset?* Consuetudo ista tamquam abusus intolerabilis consideranda esset.

861. *Quid si parochus duas paroecias haberet, et sola ratione explicationis Evangelii crederet se posse in utraque Missam celebrare?* Haec quoque ratio nihil valeret; misso enim sacerdote ad celebrandum, aut ille ipse aut parochus (illuc se conferens) Evangelium explicare deberet.

862. *Quid de secunda conditione, scilicet de necessitate obtinendi prius licentiam?* Haec licentia ita exigitur ut non sufficeret evidentia necessitatis; de qua iudicare non ad sacerdotes sed ad Episcopum spectat.

863. *Quid si casus urgeret, et non adesset tempus vel modus recurrendi pro licentia?* In locis, ubi binatio non est in usu et admirationem produceret, ab illa absti-



nendum esset. Secus, necessitas simul et casus urgentia efficeret ut licentia praesumpta sufficeret. Bouix (*De Par. IV. vi. pr. vi*).

864. *Episcopi possuntne concedere hanc facultatem iure proprio ordinario; an vero ad S. Sedem recurrere tenentur?* Ex cit. Bulla Benedicti XIV habent hanc facultatem iure ordinario in duobus casibus supra indicatis, scilicet parochi habitantis sive duas paroecias sive paroeciam adeo vastam ut secunda Missa necessaria esset. Secus si ageretur de aliis casibus (etsi aequivalentibus), ut puta, si non duae sed tres Missae exigerentur, vel si necessitas certa et evidens minime esset; tunc enim ad S. Sedem recurrere oporteret. Sed praxis est ut semper ad S. Sedem recurratur. Cf. Lucidi (*Vol. I. Cap. iii. 380*).

865. *Quid de tertia conditione, scilicet de necessitate ieiunii?* Sacerdos etiam pro secunda Missa debet esse ieiunus, et proinde in prima, ne purificationem et ablutionem sumat, sedulo cavebit. Si tamen ex inadvertentia ablutionem sumpsisset, etsi theologi rigidissime loquantur, considerandae essent circumstantiae, et videndum quid praeponderaret.

866. *Quid de quarta conditione, scilicet de elemosyna non recipienda?* Receptio elemosynae pro secunda Missa adeo rigore vetatur, ut sacerdos ab illa acceptanda non excusetur ratione paupertatis, aut consuetudinis, et nequidem si primam pro populo celebrasset et sic pro illa elemosynam non recepisset. Item non excusaretur si elemosynam non pro applicatione sed pro sola celebratione reciperet; aut si pro prima Missa stipendium magis pingue intuitu secundae, ei daretur.

Duo dumtaxat excusarent, scilicet 1° indultum apostolicum, quod praecise receptionem etiam elemosynae (v. g. tradendae seminario vel alteri causae piae) ei concederet. 2° Incommodum extrinsecum, v. g. itineris, horae tardioris etc.; sed (in hoc secundo casu) cum speciali approbatione et licentia Episcopi.

867. *Potestne saltem parochus alicui piae congregationi adscriptus applicare secundam Missam ad satisfaciendum obligationi congregationis ipsius, eo quod confratres pro confratre defuncto Missam applicare teneantur?* Hoc conceditur. Cf. *Praxis* (*Edit. III. Vol. III. n. 442*).

868. *Quid de ritu a sacerdote binante servando?* Hac de re vide *Praxim* (*l. c. n. 442*).

## CAPUT XII.

### De iure parochi quoad dispensationes.

869. *Habentne parochi facultatem dispensandi?* Quamvis parochi ordinarie solum declarent quod talis vel talis obligatio adsit vel non adsit; tamen interdum veras dispensationes (quae tamen potius licentiae dici deberent) concedere possunt.

870. *Quaenam est differentia inter simplicem declarationem et veram dispensationem aut licentiam?* Quando causa, quae alicuius legis observantiae obstat, est adeo gravis, ut manifeste per se sufficiat ad excusandum, tunc simplex declaratio (ad modum magistri auctoritativi) intervenit. Si vero causa non sit tam gravis aut tam clara, tunc dispensatio aut licentia locum habet. Suarez (*De Rel. II. xxxiii. 3*).

871. *Potestne parochus exigere ut parochiani licentiam petant, etiam quando ex manifesta causae gravitate per se excusarentur?* Affirmative; sed solum si ex una parte de facto publico seu notorio ageretur, et ex alia scandali aut nimiae libertatis periculum in paroecia secuturum foret, nisi sciretur quod parochi licentia prius obtenta fuerit. Suarez (*l. c.*).

872. *Quo titulo parochi veras dispensationes seu licentias concedendi facultatem habere possunt?* Ex tacito consensu Ecclesiae, quae in quibusdam casibus con-

suetudinem dispensandi, et in quibusdam aliis probatorum Theologorum sententias talem facultatem admittentes, cognoscit et tacet. Quod autem dicta consuetudo interdum vere adsit, patet ex communissimo parochorum et christifidelium sensu, atque insuper ex Theologis, qui passim et citra omnem dubitationem, illam recognoscunt. S. Lig. (III. 1032. 3) rotunde scripsit: « Parochi dispensare in ieiuniis iure consuetudinis certe possunt ».

873. *Quibus in casibus et circumstantiis parochi dispensare valent?* Supposito semper quod agatur de subditis, et quidem solum in particulari (non vero de tota paroecia), et quod causa iusta (ut infra explicabitur) subsistat, parochi dispensare possunt in quibusdam casibus praesente Episcopo; et in quibusdam aliis solum quando, urgente necessitate, Episcopus adiri nequeat.

874. *Quinam sunt casus practici, in quibus parochi dispensare valent, etsi Episcopus commode adiri posset?* Respondet S. Lig. (III. 288): « Etiam praesente Episcopo, parochi ex consuetudine possunt dispensare in minutis et frequentibus necessitatibus; in iis tamen rebus tantum, in quibus ex consuetudine introductum est ipsos dispensare ». Veniendo autem ad particularia 1° Concedere possunt, ut in alia Ecclesia aliqui praecepto paschali satisfaciant. 2° Dispensare valent personas particulares quoad ieiunium, nedum pro uno vel altero die, sed etiam absolute (S. Lig. III. 1032. 3). 3° Quoad abstinentiam a carnibus aliisque cibis vetitis; sed hoc (nisi ageretur de declaratione pro personis iam omnino excusatis) solum pro aliquo die vel ad tempus, seu ad modum simplicis licentiae (Gury cas. consc. I. 109). 4° Quoad opera servilia diebus festis; sed solum petita licentia in singulis casibus (S. Lig. III. 288. et Suarez De Rel. II. xxxiii. 2). 5° Quoad auditionem Missae in iisdem festis diebus, pariter pro aliqua vice vel ad tempus.

875. *Possuntne parochi in praedictis dispensare cum omnibus et toties quoties de dispensatione vel licen-*

*tia rogantur?* Negative. Enimvero 1° Dispensare possunt solum cum suis subditis; 2° oportet ut iusta causa subsistat. Ad iudicandum autem an causa adducta sit sufficiens ad dispensandum, praxim aliorum eiusdem Dioecesis vel loci parochorum considerare oportet. Si in tali vel tali casu dispensatio omnino denegari soleret, tunc concedenda non esset; parochus enim salutarium legum custos est, et nimia facilitas dispensandi leges ipsas enervaret et paulatim evanescere faceret. Si autem ex communi praxi casus resolvi nequiret, aut si circumstantiae prorsus particulares intercederent: tunc, si ageretur de re valde momentosa, parochus Episcopum consulere deberet; sin minus, de consilio aliorum aut etiam propria prudentia se decidere posset; sed ita ut semper reminiscatur quod Ecclesia dispensandi facultatem ei tribuere non intendit, nisi quando seria de causa, et sine praeponderante legis detrimento, omnibus perpensis, dispensatio concedenda esse videatur. Notandum tamen quod durities cordis quoque, ne peiora mala sequantur, interdum pro causa ad dispensandum satis iusta haberi potest (Scavini I. 372).

876. *Habentne revera parochi facultatem dispensandi etiam in rebus gravioribus et rarioribus, si Episcopus adiri nequeat et casus urgeat?* Affirmative. Scribit D' Annibale (I. 208): « Parochi ex receptis moribus, adeoque iure suo, ac proinde etsi Episcopus facile adiri possit, dispensant in ieiuniis et observatione festorum, sed singulariter tantum; immo (nota) et in gravioribus in quibus licet Episcopo dispensare, quoties Episcopus adiri nequit et periculum est in mora ».

877. *Quinam sunt casus practici, in quibus, etsi agatur de rebus gravioribus, parochi dispensare valent, datâ urgentiâ, si Episcopus adiri nequeat?* Casus huiusmodi contingere possunt praecipue 1° Si urgeret necessitas matrimonium hic et nunc sine mora celebrandi omissis denunciationibus (iuxta dicta n. 323). 2° Si eo ipso mane quo matrimonium, omnibus iam paratis, celebrari debet,

impedimentum dirimens occultum et ortum ex causa probrosa detegeretur (iuxta dicta *n.* 404). De casu autem urgentissimo, etsi publico, vide *De Occas.* (*n.* 132. 136). Plures tamen censent quod in his casibus parochus non proprie dispensaret, sed solum declararet quod lex sive impediens sive dirimens matrimonium in iis circumstantiis epicheam subiret et per se cessaret. Cf. S. Lig. (*VI.* 613 et 1007), Sanchez (*III.* x. 27), Salmant. (*IX.* viii. 83) etc.

### CAPUT XIII.

#### De iure delegandi, et de facultate vicarium eligendi.

878. *Habetne parochus ius propriam iurisdictionem alteri delegandi?* Quum iurisdictionem ordinariam habeat, illam certe alteri delegare potest; idque non solum pro casibus particularibus; sed etiam quoad omnia, seu (ut dicunt) *ad universitatem causarum*. Hoc tamen non absolute intelligi debet, bene vero solum per quantum leges non obstant et exceptiones non ponant.

879. *Quaenam sunt exceptiones istae?* Praecipuae sunt sequentes:

I. Delegare nequit sacerdotes, ab Episcopo non approbatos, ad confessiones audiendas. Et nequidem ad praedicationem, iuxta dicta (*n.* 145).

II. Delegare nequit *ad universitatem causarum* (ita ut, v. g. a paroecia abessendo, alium in officio suo prorsus substituatur) nisi 1° ex causa rationabili; 2° vel ad tempus valde modicum vel de licentia Episcopi, iuxta dicta (*n.* 22) Cf. D' Annibale (*I.* 68 not. 16).

III. Licite delegare nequit ad officia sibi prorsus personalia, nisi sit impeditus et necessitas urgeat; qua de re vide indicationes *supra* (*n.* 573) expositas.

880. *Quodnam ius competit parochis quoad electionem vicarii, aut curati?* 1° Vicarius, qui (prout ordi-

narie contingit) in adiutorium assumatur (sive in Ecclesia parochiali sive in subsidiaria), eligi potest a paroco; sed approbati debet ab Episcopo. Alicubi tamen (v. g. in Gallia) electio quoque ad Episcopum spectat (*Bouix de Par. App. I. § IV. et V.*). 2° Idem die de vicario, quem parochus, abessendo, sibi substituatur (*Bouix l. c. § III.*). 3° Si tamen parochus brevissimo tempore (apud nos non ultra triduum) adesset, tunc approbatio Episcopi pro sacerdote substituto (caeteroquin idoneo) necessaria non foret (*Bouix l. c.*). 4° Vicarius ad supplendam totalem et habitalem parochi impotentiam, eligi debet non a paroco sed ab Episcopo (*Acta XVIII. 157.*). 5° Coadiutor seu Vicarius perpetuus cum iure successionis litteris Apostolicis constituitur (*Zitelli Appar. I. v. iv. App.*). 6° Vicarius curatus, in paroecia quae habeat parochum habitalem (v. g. capitulum vel monasterium) debet nominari ab eodem paroco habituali, et approbati ab Episcopo, qui, antequam novus curatus praesentetur, Oeconomum paroeciae vacanti praeficere debet. Curatus autem potest esse perpetuus; aut amovibilis, sive simpliciter, sive ad nutum Cf. D' Annibale (*III.* 79).

881. *Quid si, stante vicarii aut plurium vicariorum necessitate, parochus, sive ex negligentia, sive ex avaritia, sive ex reddituum tenuitate, illum aut illos sibi non adscisceret?* In casu tenuitatis reddituum, de iure recurrendum esset ad populum; sin minus, Episcopus ipse meliori modo possibili providere deberet.

Si autem parochus vicarium aut vicarios idoneos sibi non adiungeret ex avaritia, quia scilicet congruum stipendium ei dare nollet, tunc Episcopus stipendium ipsum determinare, simulque, ad illud tribuendum, parochum cogere posset atque deberet (*Innoc. XIII. Const. Apostolici muneris* apud *Bouix l. c. § IV.*). Iudicium autem de necessitate vicarii aut plurium vicariorum ad Episcopum spectat (*Bouix l. c.*).

Denique ipsa designatio personae ad Episcopum ipsum spectaret, si parochus, ex negligentia vel qualibet alia de causa, praesentationem nimis differret. Patet ex Innoc. XIII (Const. cit.) dicente: « Quod si parochi ab Episcopo mo-  
« niti, congruo iisdem termino praefixo, coadiutores sive  
« vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere ne-  
« glexerint, poterunt ipsi Episcopi eos, quos huic muneri  
« idoneos censuerint, auctoritate propria deputare, cum  
« assignatione antedictae portionis fructuum ».

882. *Quid de iure removendi vicarium?* Videndum cuiusnam generis vicaria sit.

I. Vicarius perpetuus (qui tamquam verus parochus consideratur) removeri potest solum ab Episcopo, atque ex solis causis canonicis, facto processu, non secus ac quoad alios parochos contingit; iuxta dicta (n. 60 et seqq.).

II. Curatus amovibilis, qui pro parochi habituali curam exercet, removeri potest etiam ex causis minoribus, neque processus exigitur. Videtur tamen quod expulsus regulariter quoddam ius habeat cognoscendi causas ipsas, quae utique iustae esse debent. Remotio autem fieri potest sive a parochi habituali, qui illum elegit; sive ab Episcopo qui illum approbavit; idque verum est etiam quoad Curatum Regularem a suo Superiore electum, dicente Bened. XIV (*De Syn. XIII. 11*) illum removeri posse « tam ab  
« Episcopo, quam a Superiore Regulari aequo iure, nec  
« requisito alterius consensu, quin alter de hac re alteri  
« rationem reddere debeat ». Cf. D' Annibale (*III. 80*).

III. Vicarius, qui parochum actualem adiuvat, si ab Episcopo impositus fuerit, a solo Episcopo removeri poterit. Secus, poterit parochus auctoritate propria illum dimittere, quin ei causam significare aut rationem reddere teneatur; talis enim videtur esse consuetudo (saltem apud nos). Si tamen non in Ecclesia parochiali, sed in subsidiaria, curam exerceret, tunc res non ita plana mihi videtur; tunc enim curatus subsidiarius, causam (iudicio boni viri iustam) cognoscendi forsitan ius habet (Cf. Bouix *l. c.*). Sed poteritne

Episcopus vicarium a parochi electum et legitime approbatum, parochi ipso invito, remove? Ex iusta causa, affirmative. Sine iusta causa, negative. Quum tamen non teneatur Episcopus causam significare parochi, semperque periculosa et scandalosa res sit Episcopo non obedire: id solum reliquum esset ut parochus, qui Episcopum sine iusta causa procedere existimaret, ad S. Sedem recurreret. Bouix (*l. c. q. 6*).

#### CAPUT XIV.

##### De iure parochi quoad decimas, primitias, aliasque praestationes.

883. *Quid est decima?* Est fructuum pars decima, aut aliter proportionalis, v. g. duodecima, vigesima etc. iuxta consuetudinem.

884. *Decimae quotupliciter distinguuntur?*

Possunt esse I. *reales*, aut *personales*, aut *mixtae*, secundum quod afficiunt fructus fundorum stabilium (v. g. praediorum, vallium, domorum); aut fructus industriae personalis (propter artem, vel mercaturam vel officium); aut denique fructus industriae simul et capitalium mobilium (v. g. armentorum, gregum, alvearium etc.). Practice autem quatenus decimae et quibus de fructibus solvendae sint, patebit ex consuetudine.

Possunt esse II. *spirituales* (seu *sacramentales*), aut *temporales* (seu *domenicales*), secundum quod originem habuerint ex praecepto Ecclesiae, aut ex alio titulo ad communem iustitiam pertinente, v. g. si Princeps vel Feudatarius illas reliquisset Ecclesiae ad constituendam dotem paroeciarum, vel si Ecclesia ipsa fundos suos alienasset sibi reservando ius decimandi. Si autem origo ignoraretur, praesumerentur quidem spirituales, sed (uti patet) dubium superesset.

Possunt esse III. *solitae* (seu *antiquae consuetudinis*) aut *novales*, secundum quod ex praediis antiquitus vel nunc primum culturae suppositis solvi debeant.

885. *Quid si aliquo anno fructus decimationi subiecti (v. g. triticum vel uva) recollecti non fuerint, vel propter mutationem culturae futurum sit ut non amplius in posterum colligantur?* In primo casu pro illo anno decima non esset solvenda (Vecchiotti II. § 3). In secundo, an fructus novae culturae substitui debeant, diversae sunt opiniones. Cf. Ferraris (v. *Decimae addit. III. 3-7*).

886. *Debitorum decimae realis fundiariae suntne domini fundorum, an vero agricolae?* Debitorum sunt domini fundorum; non vero agricolae nisi quatenus domini in toto vel in parte hanc obligationem in illos refuderint. Patet quia toties quoties decimae solutae non fuerunt, Ecclesia non agricolas sed dominos in ius vocavit.

887. *Si decima v. g. in tritico debeatur, potestne parochus exigere optimum, aut potestne debitor dare pessimum?* Nec parochus optimum exigere, nec debitor pessimum dare potest. Patet ex principiis iustitiae naturalis. (Cf. *Cod. Civ. Ital. a. 1248*).

888. *Quo tempore decimae solvi debet?* Ordinarie decimae personales in fine anni; reales autem quando fructus colliguntur. Dilatio ad damnorum reparationem obligare potest.

889. *Quid de primitiis?* Primitiae, proprie loquendo, sunt primi fructus sive terrae sive pecudum, qui Deo offeruntur. Fere ubique in desuetudinem abierunt. Dixi *proprie loquendo*; alicubi enim primitiae appellantur praestationes, quae Ecclesiae solvi debent quotannis in quota fixa, quin adsit proportio cum fructibus recollectis, et nequidem adsit uniformitas, ita ut accidere etiam possit quod pro fundo maiori minus et pro minori plus solvatur. Notandum quod circa praestationes huiusmodi, quum, deficiente proportione et uniformitate, naturam decimarum non habeant, nec videantur provenire a praecepto Ecclesiae,

crederem non esse sacramentales, bene vero dominicales, ortas scilicet a dominis fundorum, qui onere primitiae illos gravaverint.

890. *Quid de lege quae a Gubernio Italico die 14 Julii 1887 ad decimarum aliarumque praestationum abolitionem vel commutationem lata fuit?* Textum huius legis exposui in opere, cui titulus *Examen* (vol. I. n. 1491) Summatim ita res se habent: 1º Abolentur decimae aliaeque praestationes *sacramentales* (utique eo solo sensu ut ad illas repetendas actio civilis non amplius haberi possit, non vero ut obligatio religiosa cesset aut Ecclesia illas exigere nequeat). 2º Gubernium dat supplementum casu quo per hanc abolitionem congrua (a lege ipsa taxata) deficeret. 3º Decimae aliaeque praestationes *dominicales* subiiciuntur commutationi (intra triennium peragenda) in canonem annum pecuniarium cum iure sive ad hypothecam sive ad affrancationem.

891. *Adsuntne instructiones S. Sedis circa decimas et alias praestationes praedictae abolitioni subiectas?* Adest instructio S. Poenitentariae (2 Sept. 1887) sequentis tenoris.

« Ut cleri indemnitati et conscientis fidelium nuper  
« per promulgationem et executionem legis civilis decimas  
« abolentis in commune discrimen adductis, quantum in  
« praesens fieri potest, consulatur, sacra Poenitentaria,  
« benigne sic annuente Sanctissimo Domino Nostro Leone  
« XIII, sequentes regulas cum Episcopis aliisque in Italia  
« locorum Ordinariis communicat.

« I. Imprimis Ordinarii, quibus id modis opportunum  
« duxerint, fideles edoceant, ius percipiendi decimas Ec-  
« clesiae a potestate civili auferri minime potuisse, ideoque  
« fideles ad eas solvendas non secus atque antea omnino  
« teneri, nec quemquam ab onere et obligatione huiusmodi  
« liberari, nisi per solam ecclesiasticam auctoritatem posse.

« II. Igitur quo facilius pateat fidelibus via suae con-  
« sulendi conscientiae, seseque ab onere decimarum sol-

« vendarum in perpetuum liberandi, iidem Ordinarii eos  
 « excitabunt, ut ad iustam decimarum redemptionem, vel  
 « etiam, ubi casus ferat, ad aequam super illis composi-  
 « tionem admitti petant. Quem in finem sacra Poeniten-  
 « tiaria, de speciali et expressa apostolica auctoritate, ne-  
 « cessarias et opportunas facultates omnibus in Italia lo-  
 « corum Ordinariis harum tenore litterarum tribuit ad  
 « quinquennium dumtaxat valituras.

« III. Facta autem decimarum redemptione vel com-  
 « positione, pretium earundem prudenti Ordinariorum iu-  
 « dicio iuxta peculiaria cuiusque casus adiuncta determi-  
 « nandum, cum stet loco sortis decimarum, collocetur in  
 « tuto, honesto et fructifero investimento; fructus vero  
 « applicentur beneficiis vel piis locis, quae damnum passa  
 « fuerint.

« IV. Qui decimas nec redemerint nec super illis ullo  
 « modo se composuerint, *et cathedrali aut quibuscumque*  
 « *aliis Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur,*  
 « *integre persolvere noluerint, non absolvantur nisi plena*  
 « *restitutione secuta* (Conc. Trid. Sess. 25 de refor. c. 12),  
 « salvis tamen regulis a probatis auctoribus traditis circa  
 « illos qui inopia vel paupertate laborant.

« V. Noverint insuper Ordinarii tolerari, ut vel ipsi,  
 « vel parochi alique quorum interest, a Gubernio petant  
 « compensationem pro damno sibi illato; ita tamen ut in  
 « huiusmodi petitione nihil contineatur, quod ad ius de  
 « decimis disponendi in laica potestate probandum trahi  
 « possit, et expresse significetur compensationem peti ti-  
 « tulo tantum legitimae indemnitas ».

892. *Quid si parochi pro decimis suppressis aliquid*  
*a Gubernio recepissent?* De casu isto opportunius agam  
 infra (Cap. XVI. n. 923).

893. *Possuntne parochi abstinere a benedicendis in*  
*Paschate domibus eorum qui, praetextu dictae abolitionis,*  
*decimas non solvunt?* Episcopi nostri Aemiliani (an. 1901)  
 responderunt *non expedire.*

## CAPUT XV.

## De iure parochi quoad oblationes.

894. *Oblationes in quo differunt a decimis, primitiis,*  
*aliisque praestationibus?* In hoc quod decimae, primitiae  
 etc. adnumerantur inter certa; sunt nempe certa tum  
 quoad obligationem tum quoad tempus; oblationes e contra  
 habentur ut incerta; quatenus scilicet aut sponte dantur,  
 aut saltem non epochis fixis, sed varie ab hoc vel illo  
 pro variis occasionibus solvi debeant.

895. *Oblationes quomodo distinguuntur?* Distinguun-  
 tur imprimis inter necessarias et voluntarias, quatenus (ut  
 modo innuebam) ex obligatione vel sponte traduntur.

896. *Quomodo cognoscitur an oblationes sint neces-*  
*sariae aut voluntariae?* Necessariae sunt si taxa sit fixa  
 et determinata, aut si quomodolibet de iisdem ex obliga-  
 tione solvendis adsit lex, aut communis persuasio. Obla-  
 tiones huiusce generis sunt paucae, atque ad iura stolae  
 (pro Baptismo, sepulturis, et similibus iuxta consuetudines),  
 et quidem exceptis pauperibus et solum post functionem  
 praestitam, reduci videntur.

897. *Oblationes, quae in Ecclesia parochiali aut*  
*intra parociae fines offeruntur, spectantne omnes et*  
*absolute ad parochum?* Negative. Aliquae spectant ad  
 parochum absolute; aliae vero erogari debent iuxta piam  
 offerentium intentionem; et quidem ita ut administratio  
 quoad aliquas ad parochum, et quoad alias ad alios spectet.

898. *Quaenam spectant ad parochum absolute?* Quae  
 pro sacramentis, pro nuptiis, pro funeribus, pro benedi-  
 ctione domorum et mulierum post partum, et generatim  
 pro sacris functionibus, ei, eiusve vicario suppeditantur.

899. *Quaenam erogandae sunt iuxta piam offeren-*  
*tium intentionem?* Sunt, v. g. oblationes pro festis, tri-  
 duis, novendialibus, expositionibus, processionibus, Missis

etc., celebrandis. Item eleemosynae pro animabus purgantibus. Item cerei qui sive in honorem SS.mi Sacramenti vel B. Virginis etc. offeruntur, sive ad aliquam gratiam obtinendam cremandi traduntur. Item quae alicui capellae vel sacrae Imagini dantur. Nihil autem interest an oblationes portentur, aut quaerantur, aut appendantur, aut in capsulis deponantur, aut (in rebus sive mobilibus sive immobilibus) per testamentum vel fiduciam relinquuntur. Quod autem piae offerentium intentioni semper et rigore standum sit, nulla controversia unquam fuit vel esse potuit; secus enim non solum christifideles ab oblationibus faciendis alienarentur, sed etiam de vero furto ageretur; unde scripsit Fagnanus (apud Acta II. 515): « Pia voluntas eorum qui oblationes fecerunt, praecise servanda est: nam rei suae quilibet est moderator et arbiter ».

900. *Daturne casus in quo oblationes ad alium usum adhiberi possint?* Affirmative; sed solum recurrendo ad Episcopum, qui (si facultatem non habeat) ad S. Sedem pro commutatione recurrere debet.

901. *Quid in dubio de mente offerentium, an scilicet aliqua oblatio detur Ecclesiae vel parochi?* Standum est a parte tuta; et parochus, nisi certus sit vel certus evadat quod talis vel talis oblatio eidem personaliter offeratur ad modum eleemosynae pro Missa, (considerato etiam periculo hallucinationis) illam sibi applicare nequit.

902. *Oblationes huiusmodi erogandae in pium usum a quonam administrari debent?* Haec quoque regula suprema erit ut stetur menti offerentium.

903. *Quomodo cognoscitur quaenam sit mens offerentium quoad oblationum istarum sive usum sive administrationem?* Nisi offerentes verbis expressis se explicaverint, aut nisi ad talem vel talem usum de oblationibus expresse rogati fuerint; standum erit consuetudini; et, deficiente consuetudine, ex circumstantiis et indicibus decidendum erit.

904. *Veniendo ad casus particulares circa oblationum istarum usum, quid si cerei cremandi pro aliqua gratia obtinenda, aut res oblatae ad aliquam capellam vel imaginem, in parte ad alios (etsi pios) usus adhiberentur? Quid insuper si de oblationibus pro aliquo festo traditis aliquid remaneret? Quid demum de cereis, qui in honorem SS.mi Sacramenti vel B. Virginis a parochianis, v. g. in festo Purificationis ipsius B. V. singulis annis offeruntur?*

I. Quoad cereos cremandos pro gratia obtinenda; nihil reservari potest.

II. Quoad oblata ad aliquam capellam vel imaginem; usus designatus immutari nequit, nisi forte ageretur de votis antiquis, quorum pretium, annuente Episcopo, ad ornatum eiusdem capellae vel imaginis adhiberetur.

III. Quoad superflua pro festo alicuius Sancti etc.; illa pro anno sequenti reservari, vel ad cultum Sancti ipsius aliquo modo applicari debent.

IV. Denique quoad cereos, qui in honorem SS.mi Sacramenti etc. ut supra offeruntur, certe (apud nos) mens fidelium est ut illis sacrae functiones toto anni cursu cum debito luminum decore peragantur; unde parochi aut illorum haeredes, qui Ecclesiam ita spoliunt, ut quoad ceram nullo modo aut non sufficienter provisam remaneat, a gravi et valde scandaloso latrocinio excusari nequeunt. Sed quid si cera superabundaret, et iam inutilis iaceret? Haec spectaretne ad parochum, an vero ad Ecclesiam? Respondeo: Spectaret ad Ecclesiam. Patet 1<sup>o</sup> ex quaerimoniis et clamoribus parochianorum, si resciant haeredes ceram abstulisse et sibi applicasse; 2<sup>o</sup> ex eo quod parochi, si forte ceram divendant, satagunt ut clam id fiat, ne parochiani quidquam resciant.

Contra hanc doctrinam sequentes obiectiones fieri solent. 1. Si quis contra parochum inimicitiam habeat, parum aut nihil offert. 2. In quibusdam parocciis intuitu cerae quotannis oblatae, parochus, occasione funerum, pro cera parum vel nihil exigit. 3. Ad quid cerae inutilis massam reservare?

At vero ad primum respondendum quod factum parochiani nihil offerentis nullo modo destruit intentionem aliorum. Nonne facile idem accideret

si parochus invitaret parochianos ad novas campanas emendas? Nonne tunc etiam contingere posset quod qui parochus inimici essent parum vel nihil offerrent? Et, si id accideret, nunquid parochus campanas sibi vindicare posset? *Ad secundum* respondeo: Parochus ceram oblatam utitur pro sacris functionibus toto anno, et sic ipse nihil expendere cogitur, magnamque proinde utilitatem habet. Si itaque in parocia adesset consuetudo ut occasione funerum pro cera nihil exigeretur, id ex gratitudine introductum fuisset: et parochiani iustissime exigere possent tum ut consuetudo ista servetur, tum ut cera oblata apud Ecclesiam remaneat: non vero a parochus vel haeredibus ad proprios usus applicetur. *Ad tertium* respondeo: Quo maior est cerae abundantia, eo magis parochiani sunt invitati, si subtrahatur atque ad personales usus adhibeatur. Aliunde, si cera vere superflua sit, in promptu est remedium: ut scilicet non ad personales usus sed ad comparandas sacras supellectiles adhibeatur. De hoc parochiani semper contenti sunt, quamvis, ad suspectos evitandos, expedit ut de venditione ad talem finem moneantur; vel (quod melius esse solet) invitentur ut in posterum uno vel altero anno loco cerae pecuniam ad eundem effectum erogandam deferant. Si parochi ita se gererent, heu quantum Ecclesiae ornarentur, et omnibus necessariis providerentur! Id inferitur etiam a theologis, v. g. Bouvier et Scavini, qui (I, 289 not. 5) scripsit: « Cerei in honorem SS. Sacramenti, B. M. Virginis, vel alicuius Sancti oblatis, accendi et cremari debent; et eorum reliquiae, si quae supersint, non in beneficium parochi, sed in fabricae Ecclesiae utilitatem cedere debent. Unde neque sunt extinguendi neque sunt sibi a Pastore arrogandi, talis cum offerentium non sit mens. Secus, Pastor et contra iustitiam et contra religiosam pietatem peccaret ».

905. *Quoad oblationum in usum pium erogandarum administrationem, quid in particulari notari debet?*

I. Si delatae fuerint ad Ecclesiam parochialem vel ad Ecclesias vel oratoria quae a parochiali ipsa dependeant; tunc administratio spectat ad parochum.

II. Si delatae fuerint ad Ecclesiam vel capellam sive alicuius confraternitatis, sive utcumque proprium rectorem habentem; tunc ad rectorem ipsum administratio spectat. Patet ex Decreto S. R. C. (10 Dec. 1703). Verum est quod hoc decretum loquitur de solis confraternitatibus; sed apud Acta S. Sedis (II, pag. 518) legitur: « Quod decretum facile protenditur ad coetera oratoria, cum haec non sint sub parochorum potestate, nisi in iis quae sunt proprie et exclusive parochialia: neque oblationes parochus censeantur factae. Quare administratio harum oblationum pertinet ad Ecclesiae rectorem, sub immediata dependentia Ordinariorum, aut saltem vigilantia ».

III. In aliis casibus decisio pendet a circumstantiis. Praecipue videndum an qui oblationes recipit atque administrat cognitus offerentibus vel notorius sit, necne. In

casu negativo (prout facile contingere potest in oblationibus factis Imaginibus quae, speciatim ruri, in publicis viis huc illuc in pilis inveniuntur); tunc oblationum custodia et administratio spectat ad parochum. In casu affirmativo autem, si nempe oblationes consignentur v. g. domino laico alicuius Imaginis; tunc non ad parochum sed ad dictum dominum administratio spectabit; ita tamen, ut, si de re magni momenti ageretur, vel si periculum abusus interveniret, Episcopus vigilare et opportuna praecepta dare possit atque debeat; ne scilicet rectus cultus detrimentum patiatur, aut pia offerentium intentio eludatur; quae tamen intentio aliquando ita merito intelligi valet, ut dominus Imaginis pro paupertate vel incommodo proprio aliquid sibi applicare licite possit. Cf. Acta (II, 515), D'Annibale (III, 528), *Monit. Eccl.* (IV, II, 255) et Scavini (I, 289).

906. *Parochus, qui a fidelibus sive manualiter, sive per testamentum, sive per fiduciam, res in usus pios distribuendas acceperit, ad quid in conscientia tenebitur, ut muneri suo satisfaciat?* Tenebitur ad quinque sequentia; nempe 1° Ad erogationem faciendam. 2° Ad notam tenendam. 3° Ad capitalia in tuto collocanda. 4° Ad impediendum ne contra se ipsum (quasi aliquid sibi applicaret) suspectus concipiantur. 5° Ad rationem Episcopo reddendam. Sed haec sunt explicanda.

907. *Quid de erogatione?* Si offerentes designaverint modum et tempus erogationis, tunc iuxta modum et tempus ipsum prompte et accurate erogatio fieri debet, ut mox supra dicebam. Si autem arbitrio parochi omnia reliquissent; tunc sufficeret si ille in usum pium erogationem faceret; ita tamen ut negligenter non procedat aut aliquid sibi applicet, aut data pro festis in prandiis plus aequo lautis (prout speciatim ruri contingere posset) insumat; haec enim esse nequeunt de mente offerentium; qui, dum arbitrio illius omnia reliquerunt, non ideo dominum illum constituere, sed solum significare intenderunt, se de illius diligen-



tia, probitate, pietate, discretione etc. plenam confidentiam habere.

908. *Quid de nota tenenda?* In libro (non in chartis volantibus) nota teneri debet de oblationibus (intellige nisi agatur, de rebus minusculis, quae hic et nunc absque mora erogandae sint) indicando summas receptas, intentionem offerentium, erogationes factas etc.

909. *Quid de capitalibus in tuto collocandis?* Etsi offerentes arbitrio parochi plene se commisissent, de mente eorum esse nequiret ut capitalia periculo exponerentur; et parochus illa acceptando de iisdem in tuto collocandis tacite fidem dedisset. Graviter ergo et subinde gravissime oneraretur conscientia illius, ne (speciatim pro casu mortis) capitalia ipsa in discrimine versentur. Dixi *graviter et subinde gravissime*; non enim solum de fide, in re gravi vel gravissima, non servata; sed etiam de damno Ecclesiae, imo et de scandalo gravissimo et perniciosissimo ageretur. Modus autem capitalia in tuto collocandi, pendet a circumstantiis. Noto solum quod in rebus istis non est procrastinandum; et culpa mortalis in differendo de die in diem facile sine dubio intervenire potest.

910. *Quid de impediendo ne suspectus (quasi parochus aliquid sibi applicet) concipiantur?* Si de re momentosa ageretur, et speciatim si parochus avaritiae, aut nimii erga familiam suam amoris, indicia praeberet; suspectus huiusmodi vix aut ne vix quidem deesse possent; et proinde (maxime si dicteria iam fierent) oporteret ut parochus, ad suam existimationem ab huiusmodi macula immunem servandam, rei totius atque erogationum testes adhiberet. Hinc scripsit Scavini (*I. 290*): « MONITUM GRA-  
« VISSIMUM. Ad malae administrationis suspicionem caven-  
« dam, ne pigeat parochis de iis, quae Ecclesiae deferun-  
« tur, testes adhibere et rationem reddere ». De hoc etiam Benedictus XIV prolixum habet sermonem (*Inst. LXXII. n. 25-31*), ubi imprimis refert decretum Synodi Chalcedonensis, quod de ipsis Episcopis statuit: « Ut nec

« sine testibus sit Ecclesiae administratio, nec ideo res eius  
« dissipentur, et probrum ac dedecus Sacerdotio inura-  
« tur »; et postea, arguendo a fortiori, dicit: « Tridentina  
« Synodus multas irrogare Episcopis permittit, ea condi-  
« tione ut piis operibus insumantur... Procul dubio Episcopi  
« parochis fama honestatis et publicae existimationis se  
« praeferendos merito censebunt. Attamen nullus inter  
« probos Episcopos invenietur, qui mulctam irrogans, de-  
« cretum ob eam rem non conficiat; qui mulctarum custo-  
« dem non habeat; qui postremo depositam pecuniam ero-  
« gare constituens, mandatum non obsignet, quo mulctarum  
« custos pecuniam depromat; quae revera fieri magna  
« diligentia consueverunt, ut dati acceptique omnis ratio  
« palam oculis subiiciatur ».

911. *Quid de ratione Episcopo reddenda?* Hoc etiam in puncto standum erit legibus Ecclesiae et praeceptis Episcopi ipsius, qui certe ius habet et obligationem suae revisioni subiiciendi onerum omnium adimplementum. Idque extenditur etiam ad pias fiducias, circa quarum explicationem et rationis redditionem, vide quaedam notatu digna in opere quod inscribitur *Examen* (*Vol. III. n. 3926-3929*).

912. *Quid de oblationibus factis a meretricibus?* Decisio pendet a modo et scandalo. Scripsit Scavini (*l. c.*):  
« Non fieri debet de tali lucro (meretricio) oblatio ad altare  
« (praecipue manifeste) propter scandalum et reverentiam  
« sacrorum, vel sceleris abominationem. Sed hae causae non  
« prohibent quin ex tali lucro eleemosyna fieri possit ».

## CAPUT XVI.

### De iure parochi quoad administrationem bonorum temporalium paroeciae suae.

913. *Ius istud estne aequale in omnibus locis?* Negative; aliud enim est si aeditui seu administratores laici (it. *fabbricieri*, gall. *marquilliers*) non adsint, et aliud si adsint.

tia, probitate, pietate, discretione etc. plenam confidentiam habere.

908. *Quid de nota tenenda?* In libro (non in chartis volantibus) nota teneri debet de oblationibus (intellige nisi agatur, de rebus minusculis, quae hic et nunc absque mora erogandae sint) indicando summas receptas, intentionem offerentium, erogationes factas etc.

909. *Quid de capitalibus in tuto collocandis?* Etsi offerentes arbitrio parochi plene se commisissent, de mente eorum esse nequiret ut capitalia periculo exponerentur; et parochus illa acceptando de iisdem in tuto collocandis tacite fidem dedisset. Graviter ergo et subinde gravissime oneraretur conscientia illius, ne (speciatim pro casu mortis) capitalia ipsa in discrimine versentur. Dixi *graviter et subinde gravissime*; non enim solum de fide, in re gravi vel gravissima, non servata; sed etiam de damno Ecclesiae, imo et de scandalo gravissimo et perniciosissimo ageretur. Modus autem capitalia in tuto collocandi, pendet a circumstantiis. Noto solum quod in rebus istis non est procrastinandum; et culpa mortalis in differendo de die in diem facile sine dubio intervenire potest.

910. *Quid de impediendo ne suspectus (quasi parochus aliquid sibi applicet) concipiantur?* Si de re momentosa ageretur, et speciatim si parochus avaritiae, aut nimii erga familiam suam amoris, indicia praeberet; suspectus huiusmodi vix aut ne vix quidem deesse possent; et proinde (maxime si dicteria iam fierent) oporteret ut parochus, ad suam existimationem ab huiusmodi macula immunem servandam, rei totius atque erogationum testes adhiberet. Hinc scripsit Scavini (*I. 290*): « MONITUM GRA-  
« VISSIMUM. Ad malae administrationis suspicionem caven-  
« dam, ne pigeat parochis de iis, quae Ecclesiae deferun-  
« tur, testes adhibere et rationem reddere ». De hoc etiam Benedictus XIV prolixum habet sermonem (*Inst. LXXII. n. 25-31*), ubi imprimis refert decretum Synodi Chalcedonensis, quod de ipsis Episcopis statuit: « Ut nec

« sine testibus sit Ecclesiae administratio, nec ideo res eius  
« dissipentur, et probrum ac dedecus Sacerdotio inura-  
« tur »; et postea, arguendo a fortiori, dicit: « Tridentina  
« Synodus multas irrogare Episcopis permittit, ea condi-  
« tione ut piis operibus insumantur... Procul dubio Episcopi  
« parochis fama honestatis et publicae existimationis se  
« praeferendos merito censebunt. Attamen nullus inter  
« probos Episcopos invenietur, qui mulctam irrogans, de-  
« cretum ob eam rem non conficiat; qui mulctarum custo-  
« dem non habeat; qui postremo depositam pecuniam ero-  
« gare constituens, mandatum non obsignet, quo mulctarum  
« custos pecuniam depromat; quae revera fieri magna  
« diligentia consueverunt, ut dati acceptique omnis ratio  
« palam oculis subiiciatur ».

911. *Quid de ratione Episcopo reddenda?* Hoc etiam in puncto standum erit legibus Ecclesiae et praeceptis Episcopi ipsius, qui certe ius habet et obligationem suae revisioni subiiciendi onerum omnium adimplementum. Idque extenditur etiam ad pias fiducias, circa quarum explicationem et rationis redditionem, vide quaedam notatu digna in opere quod inscribitur *Examen* (*Vol. III. n. 3926-3929*).

912. *Quid de oblationibus factis a meretricibus?* Decisio pendet a modo et scandalo. Scripsit Scavini (*l. c.*):  
« Non fieri debet de tali lucro (meretricio) oblatio ad altare  
« (praecipue manifeste) propter scandalum et reverentiam  
« sacrorum, vel sceleris abominationem. Sed hae causae non  
« prohibent quin ex tali lucro eleemosyna fieri possit ».

## CAPUT XVI.

### De iure parochi quoad administrationem bonorum temporalium paroeciae suae.

913. *Ius istud estne aequale in omnibus locis?* Negative; aliud enim est si aeditui seu administratores laici (it. *fabbricieri*, gall. *marquilliers*) non adsint, et aliud si adsint.

914. *Si aeditui non adsint, estne parochus iure ipso verus administrator bonorum omnium Ecclesiae suae?* Affirmative; attamen, etsi ordinarie ex sese procedere possit, in quibusdam casibus licentiam ab Episcopo, et in quibusdam aliis beneplacitum apostolicum petere debet. Ubi autem ex sese procedere valet, Episcopus semper poterit ad rationem reddendam illum compellere, aut etiam (si opus esset) aliqua ei praescribere aut vetare; imo (si casus gravitas ita ferret) ab administratione illum prorsus suspendere.

915. *Quaenam est regula suprema cui subiicitur in parcho ius administrationis?* Est quod nihil facere potest cum damno, seu imminutione (etsi minima), capitalium et iurium Ecclesiae.

916. *Quandonam beneplacitum apostolicum exigitur?* Exigitur 1° circa alienationem immobilium non exigui valoris. 2° Circa alienationem mobilium pretiosorum. 3° Circa locationem ultra triennium fructiferum (nec refert quod iuxta legem civilem locatio valeret ad quinquennium). 4° Circa transactiones (quae alienationibus equiparantur; Cf. Ferraris v. *Transactio* n. 22 et 38), nisi agatur de transactione ad nutum revocabili. 5° Circa collocationem pecuniae (ultra summam 25 aureorum *de camera*) in investimento non canonico (non scilicet in honis stabilibus), nisi fiat in schedulis debiti publici vel in fundariis, quod hodie ex consuetudine etiam sine beneplacito apostolico fieri potest. Fundamentum habetur in celebri Constit. *Ambitiosae*; quae tamen dicit excipiendos esse casus a iure permissos, cuiusmodi sunt, v. g. si res urgeret, vel ageretur de rebus quae servando servari non possunt. Cf. *Praxis* (Ed. III. n. 1099-1130) et De Angelis (I. xxxvi).

917. *Quandonam licentia Episcopi sufficit atque exigitur?* Sufficit 1° in alienationibus sive immobilium, quorum valor dictos 25 aureos *de camera*, nempe quadraginta (et alicubi, iuxta consuetudinem, quinquaginta) scu-

tata romana non superet (Cf. De Angelis III. xiii). 2° In locationibus non ultra triennium.

Exigitur 1° in alienationibus omnibus pro quibus non exigatur beneplacitum apostolicum (nisi forte ageretur de aliqua re mobili levissimi momenti, ponendo rem meliorem loco deterioris). 2° In locationibus, ut supra, (exceptis, apud nos, locationibus domorum ad sex menses vel ad annum, dummodo personis honestis, et vetita sublocatione, locentur). 3° Generatim in iis omnibus in quibus consuetudo fert ut licentia peti debeat.

918. *Quid de caesione arborum, quae apud nos sunt in agris beneficii parochialis?* Loquendo non de periodicis et consuetis nemorum, aut ramorum caesionibus; sed de avulsione (it. *atterramento*) arborum alti trunci, vel de caesione ramorum non consueta (ut puta, si caederentur rami in quercibus); haec certe non licent, nisi licentia obtineatur. Ratio est quia beneficiati sunt ad instar usufructuariorum, qui arbores huiusmodi caedendi ius non habent; arbores enim pars fundi considerantur, et proinde sine domini licentia avelli nequeunt. Licentia autem peti debet ab Episcopo (qui, si plantarum valor praedictos 25 aureos superet, ad S. Congregationem Epp. et RR. recurrere debet). Haec vera sunt quamvis arbores ipsae ad maturitatem pervenissent, aut infructiferae vel noxiae forent, aut pro Beneficii ipsius fabricis adhiberi vellent. Tres exceptiones dumtaxat fieri possunt; scilicet 1° quoad arbores manu hominis plantatas (v. g. ulmos), si forte dessicatae aut casu fractae fuerint, dummodo loco avulsarum aliae plantentur; 2° quoad arbores sponte sua enatas (v. g. quercus) dummodo ex una parte, ut supra, dessicatae aut casu fractae fuerint, et ex alia pro dictis fabricis adhibeantur; 3° quoad arbores quae solum ad ignem deserviunt, dummodo beneficiatus pro sua et coloni necessitate dumtaxat iisdem utatur, atque insuper dummodo arbores desiccatae aut casu fractae non adsint vel non sufficiant. Notandum quod codex civilis apud nos duas

quidem primas exceptiones admittit (A. 488, 490); sed non tertiam; quae solum ex consuetudine ab Ecclesia tolerata admitti posse videtur.

919. *Potestne parochus, aliqua urgente necessitate, aliquod sacrae suppellectilis obiectum in pignus dare?* Negative, nisi ab Episcopo vel Summo Pontifice licentiam obtineret. Vide Lambertini (*Notificazione LXIX*).

920. *Potestne parochus consentire, sine venia Superioris, ut fructus census imminuatur?* Si id faciat conventionem revocabili, affirmative (prout supra dicebam de transactione revocabili); secus, negative. Cf. Ferraris (v. *Alienatio IV. 22*).

921. *Potestne parochus, fundos Ecclesiae locando, de solutione anticipata pactum facere?* De iure communi interduntur et annullantur pacta huiusmodi, si fiant in praeiudicium successorum (*Trid. XXV. xi*). Idem dic si parochus, vel quilibet beneficiatus, ad vitam vel ad longum tempus fundos alteri traderet, recepta per unam vel plures solutiones tali vel tali pecuniae summa (*Bened. XIV. Const. Universalis Ecclesiae*). Loquendo autem de anticipationem, quae fiat sine praeiudicio successorum, nec ad longum tempus referatur, haec lege generali non interdicitur. Quum tamen locationis contractus ab Episcopo approbari debeat, eius erit decernere an anticipationis huiusmodi (quae periculosa esse potest) licentiam concedere expediat.

922. *Potestne parochus pretio vilissimo vel utcumque minore iusto fundos Ecclesiae locare?* Negative; id enim in successoris praeiudicium esse, et facile iniquissimam fraudem includere potest. Fraus ista interveniret si beneficiatus, praeviendo beneficium proxime esse vacaturum, alicui consanguineo suo fundos tali pretio locaret.

923. *Quid de casu in quo parochus, ad obtinendum supplementum congruae, ad Gubernium recursum fecerit?*

I. Congrua parochialis alia est canonica, et alia est civilis. Congrua canonica est centum ducatorum, nempe

fr. 532; congrua autem civilis nunc apud nos est fr. 900, cum spe ut post aliquod tempus ad fr. 1000 (liberos ab omnibus taxis et oneribus) extendatur. Vide legem Italicam 4 Jun. 1899 apud *Monitore* (Vol. XI. pag. 230).

II. Parochis autem, quorum redditus ad hanc summam non pertingunt, Gubernium in eadem lege supplementum concedit.

III. S. Sedes permittit ut supplementum istud petatur et acceptetur, inquires: *Attentis temporum circumstantiis, tolerari posse, remoto scandalo, et habita intentione standi mandatis Ecclesiae*. Ita S. Poenitentaria (14 Dec. 1899) apud *Monitore* (l. c. pag. 491).

IV. Donec itaque in petitione sincere procedatur, nulla est difficultas; sed quid si fraudes adhiberentur? Quid nempe si parochi dicerent non habere congruam quando iam abunde illam haberent? Quid si ad hoc probandum, non solum redditus Gubernio occultos silentio premerent, sed etiam falsis documentis (v. g. fictas fundorum Ecclesiae locationes peragendo vel Gubernii Oeconomus pecunia corrumpendo etc.) ostenderent redditus esse longe minores? Possentne parochi, sic quoque se gerendo, augmentum obtentum in conscientia retinere? Respondeo negative. Quamvis enim dici vellet quod illud retinendo, contra Gubernium (attenta direptione immensa bonorum Ecclesiae, taxis immodicis, dissipationibus etc.) iniustitia non interveniret; tamen licentia a S. Sede, ut supra, concessa respicit casus in quibus sincere et simpliciter omnia processerint, nec potest ita interpretari ut ad istum quoque casum suapte natura extendatur. Non est autem in facultate parochorum hanc extensionem facere; Gubernium enim daret illis bona aliis entibus ecclesiasticis direpta; sed bonorum istorum domina est tantummodo Ecclesia, et proinde ad illam solam spectat determinare quid de illis fieri debeat.

V. Alia difficultas intervenire potest pro casu decimarum. Iam vidimus supra (n. 890) quod Gubernium

suppressit decimas sacramentales, sed ita ut concesserit supplementum usque ad congruam casu quo, detractis decimis suppressis, congrua ipsa non amplius remaneret. Vidimus etiam (n. 891) quod S. Sedes permisit ut indemnitas ista peteretur. Difficultas itaque est si, obtento supplemento, parochi de facto decimas colligere pergerent, et sic, habendo iam suam congruam sicut prius, supplementum insuper quotannis reciperent. In hoc casu certa sunt sequentia. 1º Nulla frans interveniret contra Gubernium, quod consentit dare supplementum propter amissum ius civiliter coactivum, quamvis simul de facto decimae a volentibus illas contribuere recipiantur. 2º Ecclesia vult ut sua lex de decimis solvendis firma persistat, et nolentibus illas solvere absolutio denegetur (ut pariter vidimus *l. c.*); atque adeo permittit ut parochi, non obstante recepto supplemento, decimas colligere procurent. 3º Iure merito vult Ecclesia ut in hoc quoque casu sua lex firma persistat, notandum est enim quod paroeciae huiusmodi (ad congruam civilem non pertingentes) sunt pauperulae et multae; si autem christifideles in iisdem a decimis parochialibus solvendis liberarentur, cito sequeretur quod etiam in magnis et ditioribus paroeciis solvi nollent, et sic a fortiori decimarum proventus cessaret etiam quoad canonicos et Episcopos. Dico a *fortiori*; omnes enim ad illas solvendas sunt valde minus dispositi, ut patet ex facto manifestissimo quod exactio decimarum valde facilius obtinetur pro parochis quam pro aliis. Nonne autem ita de lege ecclesiastica solvendi decimas iam totaliter et in perpetuum cito actum esset? Adde quod leges civiles nimis faciles sunt mutabiles, et, speciatim in Guberniis Ecclesiae infensis, de favoribus eidem Ecclesiae concessis parum est fidendum. 4º Sed, decimis recollectis, poteruntne parochi illas simul et supplementum retinere? Quoad decimas nihil dubii; sed quoad supplementum decisio pendet a voluntate S. Sedis. Hucusque (quantum ex documentis authenticis conuicere licet) utrumque concedit, sed (ut vidimus supra

n. III), quoad retinendum supplementum, dicit: *Habita intentione standi mandatis Ecclesiae*. Certe, quamvis Ecclesia nullum mandatum emitteret, quidquid ultra honestam sustentationem remaneret, in usus pios erogari deberet.

924. *Quid si aeditui, seu administratores laici, adessent?*

I. Hi non semper sunt illegitimi; sed in multis locis ex consensu Ecclesiae (v. g. ex concordato cum Principibus) legitime administrationem exercent; neque id sua utilitate caret, propter duas rationes quas adducit Bonix (*De Par. V. xiv. § 3*) inuiciens: « Cum apud populum facile spargi possint sinistrae suspiciones, ne forte parochus ea quae reficiendae fabricae et augendae sacrae suppellectili addicenda sunt, in proprios usus convertat, aliove modo Ecclesiae parochialis bona dilapidet, nil aptum magis ad arcendam huiusmodi odiositatem, quam deputari nonnullos civitatis praecipuos cives, qui simul cum parochis de his omnibus deliberent atque decernant. Atque insuper, dum ad solvendum adigendi sunt ii, qui ex aliquo titulo Ecclesiae parochiali debitores sunt, nemo non videt quam expediat id, non a parochis ipso immediate fieri, sed a deputato illo laicorum coetu ».

II. Quibus autem limitibus et sub quibus conditionibus aeditui administrationem iure exercere possint, id iuxta diversa statuta vel diversas consuetudines varium est.

III. Alicubi huiusmodi institutio nunquam fuit ab Ecclesia approbata; et alicubi, quamvis approbata fuerit, postea abusus invaluerunt. Frequentissime autem in casibus particularibus aeditui exigunt quae exigere non possunt, et sive hoc sive illo modo male se gerunt. In his casibus utique iura Ecclesiae et parochi plus vel minus laeduntur; sed ut plurimum res est sine remedio, et si parochus vellet omnino ut omnia semper bene procederent, non solum incassum laboraret, sed etiam mala longe maiora provocaret. Reliquum est itaque ut bonis modis proce-

dat, aedituorum benevolentiam sibi conciliet, blandas persuasiones, prudentiam et patientiam adhibeat atque in aliquibus cedat, ut postea alia obtineat. Cf. Frassinetti (*Man. n. 160*), Berengo (*n. 233*), Scavini (*I. 622*), Rivarolo (*II. I. III*), Bouix (*l. c.*), et Zucchini (*Concordia tra parrochi e fabbricieri P. II*).

925. *Quid si ante praesentes Italiae vicissitudines, scilicet ante constitutionem Gubernii Italici et gravamina Beneficiis ecclesiasticis exinde obventa, impositae fuissent pensiones? Deberentne solvi ex integro sicut prius?* Negative, sed imminui possent iuxta regulas in Decreto *Cum nuperrimis* expositas. Vide *Examen* (*Vol. I, n. 1525*) aut *Praxim* (*Ed. III. Vol. II. n. 193*).

## CAPUT XVII.

### De iure parochi quoad fructus praebendae suae.

926. Recolendum quod Beneficiatus (sive Episcopus, sive Canonicus, sive parochus sit, sive beneficio simplici potiatur) potest habere bona diversi generis; nempe 1° *Patrimonialia*, quae scilicet ex familia propria vel utcumque ex causis profanis ei obveniunt. 2° *Quasi patrimonialia*, quae scilicet ex causis quidem ecclesiasticis ei obveniunt, sed ita ut tamquam stipendium ex integro considerentur (prouti sunt, v. g. stipendium Missae, vel praedicationis etc. et ea quae it. *incerti di stola* appellantur). 3° *Ecclesiastica*, quae scilicet in fructibus beneficii consistunt.

De bonis patrimonialibus et quasi patrimonialibus hic non est quaestio; et iam notissimum est quod de illis disponere possunt clerici non secus ac laici, ita tamen ut christianae charitatis exemplo ipsi praere et praefulgere teneantur. Quaestio itaque, de qua hic agimus, ad bona ecclesiastica restringitur.

927. *Quaeritur itaque an fructus beneficii pleno iure ad beneficiatum devolvantur, ita ut de iisdem pro libitu disponere possit; an vero secus?* Resp. Notandum imprimis quod beneficiatus non faceret fructus suos in duobus casibus, nempe 1° si non resideret (iuxta dicta *n. 52 et seqq.*). 2° Si horas canonicas culpabiliter omitteret (Cf. *Praxis Ed. III. Vol. III. 195*).

Supponendo autem quod faciat fructus suos, potest certe (quamvis esset dives) ex illis honestae suae sustentationi consulere; sed, si superflua remanerent, illa omnia in pios usus erogare teneretur. Hoc patet 1° ex natura Beneficiorum; in primis enim Ecclesiae saeculis Christifideles multa bona Deo dicabant, illaque Ecclesiae tradebant cum intentione quod ipsa, tamquam fidelis Dei ministra ac velut oecronoma, non iam in profanos, sed in pios usus (speciatim pro fabricis ecclesiarum, sustentatione clericorum, et pauperum levamine) eadem bona eorumve fructus ex integro erogaret. Tractu temporis Ecclesia haec bona divisit; et sic beneficia Episcopalia, parochialia, canonicalia, et simplicia constituit; ita tamen ut beneficiati superflua ex toto in usus pios (iuxta praedictorum Benefactorum intentionem) erogare districte et sub gravi tenerentur; cum hoc enim onere, sicut in manus Ecclesiae transierunt, ita et in manus Beneficiorum transire debent, nec aliter fieri potest. Alia Beneficia postea a particularibus personis fundata fuerunt; et haec profecto antiquorum Beneficiorum naturam induunt. Patet 2° ex unanimi sententia theologorum, inter quos Benedictus XIV (*De Syn. VII. II*), postquam dixerit hoc esse certum, sequentia eruditissimi Raynaudi verba refert: « Nemo plane Doctorum »  
« dissentit, sive inter theologos scholasticos, sive morales, »  
« sive Iurisperitos, ita ut... quoad peccatum grave in »  
« dispensatione superfluum aliter quam ad pios usus, »  
« nemo plane, plane (inquam) nemo dissentiat ». Patet 3° ex innumeris Ecclesiae legibus; unde idem Benedictus XIV (*l. c.*) dicit: « Hanc obligationem omnes Ecclesiae

« canones aut imponunt, aut impositam agnoscunt ». Quibusnam autem gravissimis verbis hac de re locuti fuerint Concilii Tridentini Patres, opportunius videbimus paullo infra. Loquendo autem in particulari de parochis, inter varios usus pios non datur eis optio pro libitu, sed, si in paroecia pauperes habeant, illorum subventionem maxime praeferre debent; qua de re vide supra *n. 628 et 631*.

928. Haec autem omnia valent quamvis nunc beneficiati, loco fructuum beneficiorum, reciperent pensiones a Gubernio, qua de re vide decisiones S. Sedis (*Praxis Ed. III. Vol. II. n. 172*), et nota quoad pensiones ipsae ut plurimum sumuntur ex bonis ecclesiasticis iam prius a Gubernio ipso Ecclesiae ablatis; et casu quo bona nullatenus essent ecclesiastica antequam a beneficiatis acceptarentur, acceptatione secuta, talia evadunt, et fructuum beneficiorum locum tenent.

929. At vero in praxi fieri solent dictamina laxissima v. g. circa reservationem bonorum parsimonialium et industrialium; circa laborem ultra debitum in sacro ministerio; circa intensionem faciendi aliquod legatum pium; maxime vero circa subventionem consanguineorum etc.; unde iam practice res eo desinunt, ut his praetextibus Beneficiati decipiantur, et tandem pro se suisque consanguineis omnia retineant. Est itaque operae pretium ut haec sedulo considerentur.

930. *Quid imprimis de bonis PARSIMONIALIBUS?* Dices: quid quaestionis de istis? Nonne tutissima conscientia quilibet beneficiatus illa accumulare, de iisque pro libitu, iuxta communissimam Theologorum doctrinam, disponere potest? Absit quod ego doctrinam istam ullatenus improbem. Doctrina est bona et iusta; sed quod interest hoc est an bonae et iustae sint etiam applicationes. Quid enim si theologi in theoria loquerentur de bonis parsimonialibus in sensu valde restricto, et Beneficiati in praxi ea intelligerent in sensu valde latiori et abundantiori? Me explico.

Modus parsimoniam faciendi esset, v. g. nihil expendere pro fabricis et fundis, unde tam illae quam isti semper deteriores evadant et in ruinam abeant; item nihil expendere in manutione sacrae suppellectilis; unde iam omnia sordida sint et in frustula cadant; item nihil expendere in vicario, unde paroecia quae illo quoque indigeat sine necessario servitio remaneat, etc. Sed loquuntur forsitan theologi de parsimoniis huiusce generis? Negative certe; et in hoc immorari non refert.

Alter modus esset, pro cibo allium et coepam et pro potu aquam tantummodo adhibere; sordidas detritasque vestes semper induere, et uno verbo quibuslibet incommodis se subiicere potiusquam unum centesimum expendatur. Eritne parsimonia ista quam theologi approbant? Absit. Neque sordities neque avaritia unquam approbari potest in sacerdotibus. Ipsi equidem ieiunare multisque incommodis se subiicere possent, sed oporteret ut (ad instar Ven. Servi Dei *il Curato d' Ars*) manifeste ex sincero poenitentiae et mortificationis spiritu; non vero ex sola aviditate accumulandi pecuniam, ita se gererent. Fatendum tamen quod illam quidem hoc modo accumulando, non autem iam accumulata retinendo, male facerent.

Sed de hypothesis ista iam inutile est verba profunderere. Beneficiati ordinarie volunt bene manducare, bene bibere, bene se vestire, et forsitan curribus etiam et equis non parvi pretii uti; et nihilominus inter ipsos non deerunt qui bona parsimonialia accumulare posse existiment. Sed qua ratione? Quia (dicunt) adhuc possemus manducare melius, bibere melius, nos vestire melius etc., quod, si non facimus, iam parsimoniam indebitam facimus, et sic quidquid hoc modo non expendimus, titulo bonorum parsimonialium nobis reservare possumus. Sed nunquid hoc verum est? Nunquid hic est sensus quo bona parsimonialia comparari posse theologi docent? Nequaquam. De ipso Episcopo S. Ligorius (*Hom. Ap. VII. 65*) dicit: « Epi-  
scopus in cunctis debet efficere ut sancta paupertas

« splendeat. Paupertas in habenda familia moderata..... ;  
 « paupertas in vestitu et in modesta et simplici domus  
 « supellectili....; paupertas in mensa frugali etc. ». Neque  
 dicas, hanc esse meram huius Sancti Doctoris opinionem,  
 a qua etiam recedi possit; agitur enim de doctrina cer-  
 tissima, quae fundamentum habet in sacris canonibus, et  
 in ipso Concilio Tridentino (XXV. 1) dicente: « (S. Sy-  
 « nodus) non solum iubet, ut Episcopi modesta supellectili  
 « et mensa ac frugali victu contenti sint; verum etiam  
 « in reliquo vitae genere ac tota eorum domo caveant,  
 « ne quid appareat, quod... non simplicitatem, Dei zelum,  
 « et vanitatum contemptum praeseferat ». Si autem Epi-  
 scopi, et a fortiori alii Beneficiati minores, iam sic modeste,  
 frugaliter, simpliciter, et parce vivere debent; quomodo  
 ad mensam lautiolem, ad vestes splendiores, et uno verbo  
 ad commoda abundantiora ius habebunt? Et, si hoc ius non  
 habent, quomodo, rebus huiusmodi se privando, parsimo-  
 niam indebitam facient; et quidquid hoc modo non expen-  
 dunt, quomodo titulo bonorum parsimonialium sibi reser-  
 vare poterunt?

Quid igitur concludendum? Concludendum quod, quum  
 Beneficiati ex una parte frugaliter vivere teneantur et  
 propter hanc frugalitatem nihil sibi reservare valeant, et  
 ex alia ab expensis necessariis aut eleemosynis convenien-  
 tibus abstinere eis licitum non sit; iam meridiana luce  
 clarius est quod bona parsimonialia, quae, iuxta theologos,  
 tuta conscientia reservari et retineri permittuntur, non  
 nisi pauca vel paucissima esse possunt.

931. *Quid de bonis INDUSTRIALIBUS?* In his quoque  
 magnae hallucinationes intervenire possunt, et proinde  
 notari debent sequentia.

I. Cavendum ne industria iam sit debita; quid enim  
 si quis fructus sibi pleno iure vindicare posse existimaret  
 eo quod fundos in malo statu receperit, et in bonum re-  
 duxerit? In quibusdam casibus quaestio esse poterit de  
 repetitione expensarum sive ab antecessore eiusve haere-

dibus, sive etiam (si beneficii vires superarent) ab Eccle-  
 sia (qua de re vide d' Annibale III. 70); sed certe ti-  
 tulo industriae nihil repetere aut sibi reservare posset;  
 ex ipso enim officio suo de fundis Ecclesiae solertem dili-  
 gentiam habere tenetur, in iisque necessarias reparationes  
 facere, non secus ac bonus paterfamilias circa fundos pro-  
 prios se gessurus esset.

II. Si autem industria non esset debita, tunc distin-  
 guendum an circa fructus, an vero circa fundos versetur.

Circa fructus, possunt certe beneficiati industriam ali-  
 quam (si velint) exercere; v. g. in fundis Ecclesiae ani-  
 malia saginando, bombyces alendo etc.; sed ea conditione  
 ut foeni (ad partem dominicalem spectantis) et foliorum  
 pretium detrahant, quod non industriae, bene vero prae-  
 bendae, fructus est. Praeterea ut emolumenta exinde per-  
 cepta *ex toto* sibi vindicare possent, oporteret etiam ut  
 fructus ad industriam applicati non fuissent de superfluis  
 qui in usos pios erogari debuissent.

Circa fundos autem, utique contingere potest quod  
 industria excedat illam, quae debita esset; ut puta, si  
 quis ex prato praedium, vel ex praedio hortum, vel  
 ex sylva vineam fecisset; aut exquisitissimo modo fundos  
 meliorasset, aut domos colonicas, praeter strictum debitum  
 aedificasset, ampliasset etc. Sed, praeterquam quod non  
 semper expedit ut sylvae (vel etiam loca oblectamenti)  
 destruantur, beneficiatus, sine speciali Ecclesiae consensu,  
 nihil iuris acquirere posset propter melioramenta et ne-  
 quidem propter expensas in illis efficiendis toleratis, idque  
 sive ex superfluis sive ex proprio illas sustinisset; in  
 primo casu enim res est per se clara, et in secundo no-  
 tandum quod beneficiati aequiparantur usufructuariis, qui  
 pro melioramentis sponte sua factis nullum ad expensarum  
 refactionem ius acquirunt (Cf. *Cod. it. A. 495*).

932. *Quid de beneficiato qui ab erogandis superfluis  
 in usus pios se excusaret dicendo quod ULTRA DEBITUM IN  
 SACRO MINISTERIO LABORET?* Si opera praestita essent vere



indebita et prorsus supererogationis, tunc nihil obstaret quominus aliquid proportionatum ex superfluis sibi applicare posset; quod approbat etiam Lugo (*De Iust. et iur. IV. 65*) inquam: « Sicut posset licite alterius operam « similem in utilitatem suae Ecclesiae remunerare: quia « ille usus pius esset; sic potest applicare sibi pro tali « labore tantam vel talem bonorum portionem etc. ».

Si vero opera praestita iam esset debita, et differentia in eo tantum consisteret quod praestari soleat per alios; tunc valde facile est quod magnae hallucinationes contingant; quando enim iam usus et consuetudo est ut tales vel tales adiutores, decurrente mercede, adhibeantur, hoc palam facit quod adiutores ipsi sunt necessarii, et quod proinde hallucinatur parochus, qui credit paroeciam debito servitio non fraudari, et se solum ad omnia peragenda sufficere, eritque casus dicendi quod unus male supplet vicem duorum, et quod oculus non est auris, nec pes est manus. Adde subditorum querimonias: adde notam avaritiae: et per consequens adde infamiam, adde scandalum. Hoc autem confirmatur etiam indicio Ecclesiae; si enim contingat quod parochus aliquo anno praedicationem quadragesimalem per se ipsum (loco alterius concionatoris, prout de more) peragere velit, Ecclesia consentit quidem; sed sub conditione quod eleemosynas consuetas sibi non applicet. Sic decisum fuit a S. C. C. (*20 Martii 1621*), et sic statuitur etiam a nostra Synodo *Cantoni* (*I. iv. 2*) dicente « Quasvis eleemosynas et emolumenta, quae praedicatoribus obvenire propterea consueverunt, percipere « sibi nefas esse intelligant (parochi) ».

933. *Quid de beneficiato qui ex bono fine, scilicet AD PIAM ALIQUAM FUNDATIONEM POST MORTEM PERAGENDAM, superflua accumularet?* Hoc licere potest, sed sub duabus conditionibus. Prima est quod nedum testamentum cito conficiat, sed etiam capitalia in tuto ponat; ne scilicet, morte superveniente (quae potest etiam esse improvisa), pia dispositio discrimen subeat, et consanguinei omnia ca-

piant, prout heu nimis saepe evenire lugendum est. Secunda est quod beneficiatus, dum vivit, avarum et sordidum se non ostendat; atque insuper, si sit Episcopus vel parochus, reminiscatur quod (ut monet Tridentinum) *pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere tenetur* ex officio, cui certe non satisfaceret si in vita pauperes negligeret, et solum de sua pia fundatione post mortem exequenda (maxime si in illa quoque pauperes negligerentur) cogitaret. Notandum denique quod beneficiatus, qui capitalia accumulatur ut in piis operibus post mortem suam erogentur, cavere debet ne possessiones aut alia bona immobilia emat. Huiusmodi enim emptiones (nisi dicta intentio esset cognita) valde scandalosae esse solent.

934. *Quid de erogandis fructibus beneficii IN SUBVENTIONIBUS CONSANGUINEORUM?* Equidem commune est effatum quod primi pauperes sunt consanguinei, et certe Ecclesia permittit ut beneficiati illis si sint pauperes subveniant. Sed hac etiam in re limites facile transiliuntur, imo haec maiorum inordinationum causa principalis esse solet. Rectissime scripsit Scavini (*II. 301 not. 3*): « Cavendum ne, sub praetextu consanguineis subveniendi, « eorum redditus augeantur; quia ex hoc fonte ortus est « exitiosus nepotismus. Et quoad hoc ecclesiastici persaepe « coeci sunt; at non est coecus Deus, qui scrutator cordium indicabit homines secundum opera sua ». Videamus igitur quid hoc in puncto, salva conscientia fieri valeat; et quid e contra absolute illicitum et peccaminosum sit.

Ex bonis, quae libere disponibilia (iuxta supradicta) minime sint, subventio consanguineorum licita esse potest solum duabus de causis; si nempe subventio ipsa vel 1<sup>o</sup> induat naturam operis pii et recte ordinati; vel 2<sup>o</sup> necessaria sit ad beneficiati ipsius decorem sustinendum.

Sed quandonam induet naturam operis pii et recte ordinati? Ad hoc tria exiguntur. Exigitur scilicet 1<sup>o</sup> ut hi consanguinei vere sint ita pauperes, ut eos subvenire tamquam opus misericordiae haberi debeat; quod tamen

verificaretur non solum si mendicarent, sed etiam (imo praecipue) si occulte famem paterentur, et prae verecundia eleemosynam petere non auderent; vel si statum clericalem aut religiosum eligere vellent, nec aliunde media haberent etc. Exigitur 2º ut subventionibus non sint ab-usuri, vivendo otiose, aut dissipando illas in ludo, crapulis aliisve vitiis. Exigitur 3º ut aliorum quoque pauperum (quorum, ut supra dicebam, Episcopi et parochi curam paternam gerere tenentur) ratio habeatur; quamvis enim consanguinei essent vere pauperes et sub omni respectu misericordia digni, tamen non superflua omnia dari possent eis, neglectis aliis; sed solum (ut bene notat Lugo *IV. 70*), caeteris paribus, paulo plus ipsis poterit dari quam aliis; secus enim hoc pium opus non recte ordinaretur, sed valde inordinatum evaderet.

935. Dixi subventionem consanguineorum ex fructibus beneficii licitam esse posse etiam ex alia causa, si nempe ad beneficiati ipsius decorem sustinendum exigeretur. Sed casus iste non nisi valde exceptionalis et restrictus esse potest; ut enim bene observat Lugo (*l. c.*), verificaretur solum in illo « cui turpe et indecorum esset, si eius parentes et fratres in abiecta et sordida conditione permanerent ». Idque statim melius explicat inquit: « Quid enim absurdius quam parentem vel fratrem Cardinalis vel Archiepiscopi videre adhuc ligna per urbem vendere, vel calceos in publica platea resarcire? » Et addit: « Monent tamen Doctores, in hoc non esse consulendum affectum carnis et sanguinis, sed christianam prudentiam ac modestiam »; secus enim auctoritas non iam sustineretur, sed amitteretur, deprimeretur, et in lutum coniceretur, ut heu nimis ex facto patet.

Hinc ultra limites hucusque recensitos consanguineis ex bonis beneficialibus largitiones facere, certo certius peccatum est, et quidem suapte natura grave, imo facile gravissimum. Patet 1º quia sunt bona pauperum, patrimonium miserorum, vota fidelium, pretia peccatorum, bona

Dominica. Patet 2º ex innumeris testimoniis Sanctorum Patrum et decretis Conciliorum, inter quae refero solum Tridentinum. S. Synodus loquitur prius de Episcopis, et en gravissima eiusdem verba: « Omnino vero eis interdicat, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos familiares suos augere studeant, cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: imo quam maxime potest eos S. Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant ». Dein autem loquens de aliis beneficiatis minoribus, subdit: « Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem... in quibuscumque beneficia ecclesiastica tam saecularia quam regularia obtinentibus... observari... decernit ». Patet 3º ex scandalo, infamia, et vituperatione generali quae statim in populo suscitantur, si beneficiatus, qui ex bonis paternis dives non sit, notorie capitalia accumularet, maxime vero si possessiones emat.

Hinc (teste S. Lig. *Hom. A. VII. 64*) S. Thomas de Villanova dicebat quod, si moriendo nummos relicturus fuisset, seipsum pro damnato habiturum esset. Et iam proverbium vulgare dicit: « A volere che i nipoti stiano bene, bisogna che abbiano lo zio parroco all' inferno ».

936. Neque dicas beneficiatos facere fructus suos, et proinde, iuxta communiorem sententiam, non peccare contra iustitiam si superflua in usus pios non erogent; ut enim respondet Bellarminus, parum refert utrum quis damnetur ad inferos quia peccavit contra iustitiam, an quia peccavit contra charitatem et religionem.

937. Neque subiungas beneficiatos, si (ut apud nos) solvant taxam Sacrae Congregationi Spoliorum, consanguineis aut quibuslibet aliis pro libitu haereditatem, quin distinctio fiat inter bona superflua et non superflua, relinquere posse;

haec enim facultas valet solum pro foro externo atque ad evitandas lites, quae necessario suborbiturae essent si dicta distinctio fieri deberet; at vero conscientiae nihil suffragatur; et beneficiati, sicut in vita ita etiam in morte, sub gravi providere debent ut superflua in usus pios semper erogentur. Hoc manifeste patet nedum ex natura rei, sed etiam quia, dum S. Sedes huiusmodi testandi facultatem beneficiatis concessit, semper apposuit clausulam: « iuxta tamen propriae conscientiae dictamen ». Vide Scavini (II. 510) et Lugo (*De contract. XXIII. 104*).

938. Finem facio observando quod, si *nepotismus* (seu studium accumulandi capitalia pro consanguineis loco subveniendi pauperibus et consulendi cultui divino) fuit semper magna calamitas et maxima Ecclesiae plaga (quae forsitan causa fuit cur Deus notissimas et ingentissimas expoliationes permiserit), talis esset multo magis diebus nostris; ex una parte enim necessitas subveniendi pauperibus et consulendi cultui divino nunc magis magisque urget, et ex alia Clerus nunc valde plus quam antea indiget existimatione, veneratione, amore et fiducia populorum. Sed quomodo populi existimabunt, venerabuntur et amabunt Clerum, aut quomodo ad pia opera exequenda boni christifideles capitalia manibus clericorum tradendi fiduciam habebunt, si iam illos solum pro se ipsis suisque consanguineis avidos conspiciant? Profecto nihil aliud expectandum erit, nisi quod res magis magisque semper in peius ruant; aliae de reliquis bonis (quae adhuc Ecclesiae relinquuntur) expoliationes consummentur; Clerus a populo nihil amplius nisi irrisionem et despectum, obtineat; et sic Ecclesiastici non solum nequeant amplius erga consanguineos abundare, sed ne pro semetipsis quidem panem inveniant, dicente Domino (*Ezech. XXXIV*): « Vae pastoribus Israel... »  
« Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum »  
« de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos ».



### PARS III.

DE ALIIS QUI PAROCHI NON SUNT,  
SED PRO CURA ET BONO ANIMARUM  
PLUS VEL MINUS LABORANT

#### CAPUT I.

Praemittuntur quaedam generalia.

939. I. Agendum est 1º De vicariis parochialibus. 2º De curatis, oeconomis, et coadiutoribus. 3º De capellanis hospitalium. 4º De simplicibus confessariis. 5º De confessariis monialium. 6º De concionatoribus. 7º De superioribus seminariis.

II. Antequam aliquod ex his officiis exerceri incipiat oportet 1º debitam habere illius existimationem, simulque sinceram voluntatem pro amore Dei et pro salute animarum illud adimplendi.

III. Maxime autem exigitur sanctitas et studium. De his recolenda sunt quae dixi supra (n. 4-12 et 702) et diffusiore sermone in *Casibus conscientiae an. 1891 (Cas. I. et III)*.

haec enim facultas valet solum pro foro externo atque ad evitandas lites, quae necessario suborbiturae essent si dicta distinctio fieri deberet; at vero conscientiae nihil suffragatur; et beneficiati, sicut in vita ita etiam in morte, sub gravi providere debent ut superflua in usus pios semper erogentur. Hoc manifeste patet nedum ex natura rei, sed etiam quia, dum S. Sedes huiusmodi testandi facultatem beneficiatis concessit, semper apposuit clausulam: « iuxta tamen propriae conscientiae dictamen ». Vide Scavini (II. 510) et Lugo (*De contract. XXIII. 104*).

938. Finem facio observando quod, si *nepotismus* (seu studium accumulandi capitalia pro consanguineis loco subveniendi pauperibus et consulendi cultui divino) fuit semper magna calamitas et maxima Ecclesiae plaga (quae forsitan causa fuit cur Deus notissimas et ingentissimas expoliationes permiserit), talis esset multo magis diebus nostris; ex una parte enim necessitas subveniendi pauperibus et consulendi cultui divino nunc magis magisque urget, et ex alia Clerus nunc valde plus quam antea indiget existimatione, veneratione, amore et fiducia populorum. Sed quomodo populi existimabunt, venerabuntur et amabunt Clerum, aut quomodo ad pia opera exequenda boni christifideles capitalia manibus clericorum tradendi fiduciam habebunt, si iam illos solum pro se ipsis suisque consanguineis avidos conspiciant? Profecto nihil aliud expectandum erit, nisi quod res magis magisque semper in peius ruant; aliae de reliquis bonis (quae adhuc Ecclesiae relinquuntur) expoliationes consummentur; Clerus a populo nihil amplius nisi irrisionem et despectum, obtineat; et sic Ecclesiastici non solum nequeant amplius erga consanguineos abundare, sed ne pro semetipsis quidem panem inveniant, dicente Domino (*Ezech. XXXIV*): « Vae pastoribus Israel... »  
« Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum »  
« de manu eorum, et cessare faciam eos ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos ».



### PARS III.

DE ALIIS QUI PAROCHI NON SUNT,  
SED PRO CURA ET BONO ANIMARUM  
PLUS VEL MINUS LABORANT

#### CAPUT I.

Praemittuntur quaedam generalia.

939. I. Agendum est 1º De vicariis parochialibus. 2º De curatis, oeconomis, et coadiutoribus. 3º De capellanis hospitalium. 4º De simplicibus confessariis. 5º De confessariis monialium. 6º De concionatoribus. 7º De superioribus seminariis.

II. Antequam aliquod ex his officiis exerceri incipiat oportet 1º debitam habere illius existimationem, simulque sinceram voluntatem pro amore Dei et pro salute animarum illud adimplendi.

III. Maxime autem exigitur sanctitas et studium. De his recolenda sunt quae dixi supra (n. 4-12 et 702) et diffusiore sermone in *Casibus conscientiae an. 1891 (Cas. I. et III)*.

## CAPUT II.

De vicariis parochialibus, seu de vice-parochis,  
vel cooperatoribus.

940. *Quaenam sunt obligationes vicarii parochialis?*  
Ille auxilium fert parochi in administrandis sacramentis, in assistentia infirmis praestanda, in tradenda pueris doctrina christiana etc.; et proinde eiusdem munera sunt magna ex parte illa ipsa, quae ad parochum spectant. Attamen circa illius officium aliquid in particulari notari debet; imo nonnullae obligationes sunt ei prorsus speciales.

941. *Quid notandum in particulari circa officium vicarii parochialis?* Officium istud non aegro animo, sed libenter suscipi et expleri debet; magnas enim habet utilitates. Prima consistit in magno merito apud Deum; quum enim hoc officium valde laboriosum esse soleat, quo magis laboriosum, eo magis meritorium erit. Secunda consistit in scientia practica quae acquiritur; aliud enim est addiscere in scholis, et aliud in actu practico versari; et exercitium practicum, sub directione parochi maiorem scientiam et experientiam habentis, theoriae lacunis bene supplet, et efficit ut iuvenis sacerdos errores declinet magnamque promptitudinem in casibus occurrentibus acquirat; unde, si postea ad paroeciam regendam eligatur, non erunt ab eo timendi illi errores, in quos alii inexperti (quamvis forte doctiores) inciderent. Episcopi et Examinatores synodales id sedulo notent.

942. *Quasnam habet vicarius parochialis obligationes non communes parochi, sed prorsus speciales?*

I. Ille parochum suum sincere diligere debet. Hinc eiusdem defectus occultet, bonasque qualitates laudet. Illius agendi rationem nunquam apud alios reprehendat; et, si parochianus aliquis de parochi obmurmuret, acriter illum corrigat. De stipendio, de victu, de rebus familiaribus, aut

de aliqua offensa recepta, coram aliis lamenta non moveat; sed parochi ipsi ea declaret quae tolerare non potest. Non propriam sed parochi sui laudem quaerat, eiusque partes semper (quantum potest) tueatur; et solertissime caveat ne cum parochi inimicis familiaritatem ineat, eorumque agendi rationem approbet.

II. Dependere debet a parochi. Hinc, praeter officia sibi commissa, nihil faciat quin prius parochi ipsius licentiam obtinuerit, neque ad ullam mutationem procedat sine illius consensu libenter concessio. Parochi autem monitis et correctionibus non iam indignetur, sed bono animo acquiescat. Uno verbo humilitas, proprii iudicii atque voluntatis abnegatio, et obedientia perfecta, sunt virtutes ei quam maxime necessariae.

III. Debet esse secretus. Hinc de rebus, quas parochus confidenter ei patefecit, nihil cum familiaribus aut extraneis dicat. Illa etiam quae domi accidunt secreta servet.

IV. Debet non solum de statu infirmorum parochum certiore reddere, sed etiam ei significare quidquid acciderit vel didicerit, quod paroeciae regimini deservire possit.

V. Debet in domo parochiali bene se gerere. Hinc rebus familiaribus et domesticae oeconomiae (nisi ex parochi commissione) non se ingerat. Cum famulis suum gradum servet, sed eos despectui non habeat. Si forte in domo parochiali foeminae iuvenes adsint, firmissimus sit in nulla familiaritate cum ipsis ineunda. Eas poenitentes stabiles habere declinet; earumque spiritualem directionem non acceptet, nisi necessitas id suadeat, quo casu cautissime procedat, et extra confessionale in dandis consiliis spiritualibus cum ipsis (remotis arbitris) non immoretur. ®

VI. Denique patientiam adhibeat; nec facile cogitet de parochi deserendo propter defectus, cruces, et incommoda; ex una parte enim haec plus vel minus ubique reperiuntur, possentque alibi esse maiora; et ex alia parte mutationes huiusce generis modo valde notabili dicteria

excitare, et tam ei quam parochi praeiudicium inferre solent. Hinc bona regula est ut tunc solum discedat, quando officium magis momentosum ei se praesentet, et Episcopus exoptet, vel saltem libenter consentiat, ut illud acceptet.

943. *Quid de facultatibus vicarii parochialis?*

I. Diversitas esse potest non solum iuxta ea quae parochus expresse illi concesserit, vel sibi reservaverit, sed etiam iuxta diversa locorum consuetudines. Ubi vicarii mittuntur ab Episcopo, censentur delegati ad universitatem causarum, ut dixi (n. 443 IV).

II. Certe in Gallia vicarii parochiales ex consuetudine habent facultatem dispensandi, in rebus frequentioribus et minutoribus, personas particulares (sicut parochi), teste Bouix (*De Par. Apo. I. § IV. q. 4*); imo dicit S. Liguorius (*III. n. 1032. 3*) consuetudinem istam esse generalem, nisi parochi expresse repugnent.

III. Quoad matrimonium, vide dicta (n. cit. 443 IV. VII.)

944. *Quid si vicarius in Ecclesia subsidiaria resident?* Tunc adsunt differentiae quoad onera et quoad iura.

Quoad onera, omnibus parochi oneribus gravatur, unde etiam ad praedicandum, invigilandum, corrigendum etc. tenetur.

Quoad iura, videndum quid parochus sibi reservaverit. Differentiae etiam possunt esse quoad canonicam electionem et remotionem.

### CAPUT III.

#### De oeconomio in spiritualibus, de curato, et de coadiutore.

945. *Quid de oeconomio in spiritualibus?* Oeconomus in spiritualibus ab Episcopo praeficitur paroeciae sive vacanti sive habenti parochum suspensum vel diu absentem vel iam prorsus inhabilem. Ille tamquam parochus consideratur; et proinde eiusdem officium et iurisdictio ad omnia munia parochialia (in divinis) extenderetur, quamvis ad nu-

tum Episcopi ipsius amovibilis esset. Ad minus autem tamquam delegatus, ad universitatem causarum potest alium subdelegare sibi substituire, officium suum non solum in parte, sed etiam (nisi obstet Episcopus) in toto ad tempus ei committendo. Ita S. C. C. (*14 Sept. 1874* apud Acta VIII. 129 et seq.).

946. *Quid de curato?* Curatus, ut dixi supra (n. 880), eligitur a parochi habituali et approbatur ab Episcopo. Ad instar veri parochi plena iurisdictione gaudet, et curam exercet nomine proprio atque independenter prorsus a parochi habituali, qui in officio curae se ingerere nequit. Ille quoque (ut supra) alium subdelegare potest.

947. *Quid de coadiutore?*

I. Ille parochi (coadiutor) seni quidem aut infirmo, sed plus minusque adhuc per se curam exercere valenti, a Summo Pontifice si sit cum iure successionis (ut dixi supra n. 880), et si sit absque iure successionis ab Episcopo adsignatur; et proinde iurisdictio non a parochi sed a S. Sede vel ab Episcopo recipit.

II. Quibus limitibus haec iurisdictio circumscripta sit, ex verbis litterarum Apostolicarum vel ex decreto Episcopi colligendum erit.

III. De iure communi quaedam excepta subintelliguntur, et speciatim ne coadiutor maioris momenti negotia sine licentia coadiuti (qui interpellari possit) aggrediatur (*Zitelli Appar. I. II. v. app.*).

IV. Caeterum coadiutor 1° Ius habet ne coadiutus alterius sacerdotis opera ad suas vices fungendas utatur; si enim auxilio indigeat, coadiutore suo uti debet. 2° Quum coadiuti iurisdictio nullatenus cesset aut imminuatur (intellige nisi in re aliqua suspensus fuisset), coadiutor se ingerere nequit in iis, quae coadiutus per se ipsum perficere velit. Cf. Vecchiotti (*I. § 76*).

## CAPUT IV.

## De capellanis hospitalium.

948. Quoad capellanos hospitalium notanda sunt praecipue sequentia.

I. Eorum officium est valde momentosum; agitur enim de infirmis quorum plurimi diem supremum obituri sunt, atque adeo versabuntur in momento a quo pendet aeternitas. Casus, tum suapte natura tum propter angustiam temporis, difficiles erunt frequentes. Adde speciales horum temporum difficultates propter multos male dispositos, impios sacramenta recusantes etc.

II. Maxime oportet ut capellanus existimatione gaudet, seque tum infirmis, tum medicis, tum superioribus, tum inservientibus etc. benevisum reddat.

III. Speciatim quoad infirmos, virorum benevolentiam, omni quo poterit modo, sibi conciliet; et in illorum magis quam in mulierum aulis se praesentet, summamque semper cum mulieribus prudentiam, modestiam, et cautelam adhibeat.

IV. Quum in magnis hospitalibus diebus dominicis aliisque festis de praecepto semper adesse soleant infirmi qui libenter SS. mam Eucharistiam recipiunt, curandum ut die antecedenti cum bona confessione (vocando etiam alium sacerdotem sive saecularem sive regularem) se disponant.

V. Si persona infirma ex una parte versetur in periculo mortis et alia censenda sit indisposita ad recipienda sacramenta, si indispositio praesumi debeat facile vincibilis (prout in mulieribus et catholicis practicantibus contingere solet), tunc ordinarie sufficiunt media consueta, sumendo occasionem communionis aliorum infirmorum et dicendo adventurum esse talem vel talem sacerdotem apud quem infirmi confiteri solent, vel curando ut monialis, aut inserviens, aut aliquis de familia infirmi ipsius illum ad sacramenta recipienda inducat.

VI. Magna difficultas intervenire potest propter socios impios et sectarios, qui forte ad finem impediendi receptionem sacramentorum moribundum nunquam deserant. In hoc casu recurrendum est ad illius parochum; unica enim spes esset si aliquae personae de eiusdem familia moribundum ipsum die et nocte assisterent, multo magis si insuper medicus (capellano benevolus et praetextu consulendi eiusdem saluti) vetaret ne alii ad illum accederent.

Alia magna difficultas oriri solet ex respectu humano, contra quem cautelae esse possent sequentes. 1<sup>o</sup> Procurare ut iussu medici infirmus deportetur ad cubiculum, ubi solus remaneat. Si autem hoc obtineri nequiret, et prope illum essent alii infirmi coram quibus non auderet cum sacerdote loqui, videndum an ei vel illis locus mutari posset. 2<sup>o</sup> Expediret etiam ut capellanus vel nullatenus vel raro vel obiter ad illum accederet, curando ut a moniali aut ab aliqua alia persona ad sacramenta recipienda disponeretur.

## CAPUT V.

## De confessariis.

949. *Quenam scopum sibi praefigere debent confessarii ut recte suo munere fungantur?* Debent sibi praefigere scopum obtinendi non solum dispositionem praesentem sed etiam emendationem futuram, iuxta illud summi momenti effatum: *Nemo ad te accedat qui non recedat melior.*

Poenitentes fere omnes de emendatione serio solliciti minime sunt. Redeunt semper cum iisdem peccatis: in tentationibus et occurrente occasione semper cadunt eodem modo, eademque facilitate: lapsuum numerum (etsi iam quadraginta, quinquaginta, sexaginta etc. aetatis annos habeant) nunquam diminuunt; et saepe lapsus adaugent, atque consuetis peccatis alia quoque superaddunt. Imo plu-

## CAPUT IV.

## De capellanis hospitalium.

948. Quoad capellanos hospitalium notanda sunt praecipue sequentia.

I. Eorum officium est valde momentosum; agitur enim de infirmis quorum plurimi diem supremum obituri sunt, atque adeo versabuntur in momento a quo pendet aeternitas. Casus, tum suapte natura tum propter angustiam temporis, difficiles erunt frequentes. Adde speciales horum temporum difficultates propter multos male dispositos, impios sacramenta recusantes etc.

II. Maxime oportet ut capellanus existimatione gaudet, seque tum infirmis, tum medicis, tum superioribus, tum inservientibus etc. benevisum reddat.

III. Speciatim quoad infirmos, virorum benevolentiam, omni quo poterit modo, sibi conciliet; et in illorum magis quam in mulierum aulis se praesentet, summamque semper cum mulieribus prudentiam, modestiam, et cautelam adhibeat.

IV. Quum in magnis hospitalibus diebus dominicis aliisque festis de praecepto semper adesse soleant infirmi qui libenter SS. mam Eucharistiam recipiunt, curandum ut die antecedenti cum bona confessione (vocando etiam alium sacerdotem sive saecularem sive regularem) se disponant.

V. Si persona infirma ex una parte versetur in periculo mortis et alia censenda sit indisposita ad recipienda sacramenta, si indispositio praesumi debeat facile vincibilis (prout in mulieribus et catholicis practicantibus contingere solet), tunc ordinarie sufficiunt media consueta, sumendo occasionem communionis aliorum infirmorum et dicendo adventurum esse talem vel talem sacerdotem apud quem infirmi confiteri solent, vel curando ut monialis, aut inserviens, aut aliquis de familia infirmi ipsius illum ad sacramenta recipienda inducat.

VI. Magna difficultas intervenire potest propter socios impios et sectarios, qui forte ad finem impediendi receptionem sacramentorum moribundum nunquam deserant. In hoc casu recurrendum est ad illius parochum; unica enim spes esset si aliquae personae de eiusdem familia moribundum ipsum die et nocte assisterent, multo magis si insuper medicus (capellano benevolus et praetextu consulendi eiusdem saluti) vetaret ne alii ad illum accederent.

Alia magna difficultas oriri solet ex respectu humano, contra quem cautelae esse possent sequentes. 1<sup>o</sup> Procurare ut iussu medici infirmus deportetur ad cubiculum, ubi solus remaneat. Si autem hoc obtineri nequiret, et prope illum essent alii infirmi coram quibus non auderet cum sacerdote loqui, videndum an ei vel illis locus mutari posset. 2<sup>o</sup> Expediret etiam ut capellanus vel nullatenus vel raro vel obiter ad illum accederet, curando ut a moniali aut ab aliqua alia persona ad sacramenta recipienda disponeretur.

## CAPUT V.

## De confessariis.

949. *Quenam scopum sibi praefigere debent confessarii ut recte suo munere fungantur?* Debent sibi praefigere scopum obtinendi non solum dispositionem praesentem sed etiam emendationem futuram, iuxta illud summi momenti effatum: *Nemo ad te accedat qui non recedat melior.*

Poenitentes fere omnes de emendatione serio solliciti minime sunt. Redeunt semper cum iisdem peccatis: in tentationibus et occurrente occasione semper cadunt eodem modo, eademque facilitate: lapsuum numerum (etsi iam quadraginta, quinquaginta, sexaginta etc. aetatis annos habeant) nunquam diminuunt; et saepe lapsus adaugent, atque consuetis peccatis alia quoque superaddunt. Imo plu-



rimi palam faciunt quod de interno animi dolore et proposito ne cogitant quidem, et totam confessionis substantiam in verbis reponunt; nec desunt qui accusant tamquam peccata ea quae nullum reatum inducunt; vel accusant facta aliena etc. De peccatis autem vere a se commissis, si sint venialia, passim existimant nulla opus esse emendatione, et deleri etiam sola aqua lastrali sine ullo dolore et proposito; imo iam esse committenda, quia secus ad confessionem accedendo nihil haberent quod dicerent. Si autem peccata sint mortalia, facile existimant sufficere aliquod desiderium et velleitatem inefficacem emendationis, eo quod impossibile esse sibi persuadeant ab iisdem abstinere. Imo non raro (maxime si agatur de amoribus, de concubinata, de onanismo coniugali, de odio, de furtis etc.) cum positiva voluntate in huiusmodi perseverandi confessionem faciunt et absolutionem praetendunt.

950. Factum istud semper notatum fuit a viris experientiam habentibus. Audiantur aliqui S. Lig. (*Tannoia IV. 30*): « Multi accedunt ad confessionem indispositi ». P. Segneri (*Crist. istr. III. xiv*): « Qui putant bonam confessionem consistere totam in verbis, quique ad conversionem cordis nullo modo attendunt, sunt plurimi ». Lugo (*De Poen. IV. iv. 53*): « Ne tunc quidem, quando in fine anni confitentur, habent verum dolorem et propositum firmum, sed velleitatem et propositum infirmum; qui defectus in huiusmodi personis frequentissimus est » (Vide *de Recidivis n. 46*). De re ista habemus etiam alia documenta solemniora. Leo XII (*Bull. Charitate Christi*) dixit: « Sistant se multi sacramenti poenitentiae ministri imparati prorsus ». Et Catechismus Rom. (*De Sac. Poen. in fin.*) testatur, nimis esse verum « ut iam plerique ex fidelibus ad peccatorum veniam impetrandam nullum intimum animi dolorem atque gemitum cordis necessarium putent, sed illud satis esse existiment si speciem tantum dolentis habeant ». (Sed hodie saepe, ut dixi, ne haec quidem species adest).

951. Hinc confessarius ex ipso officio iudicis, atque ut poenitens peccatorum remissionem obtineat, debet esse sollicitus de illius emendatione, ut scilicet ille quantum sit peccati malum cognoscat, atque serium et efficax se emendandi concipiat propositum, sine quo absolutio valida esse nequiret. S. Gregorius (*I. Reg.*) dicebat: « In fructu, non in foliis aut ramis poenitentia cognoscenda est », et Albertus Magnus (*Parad. an. III. 8*) subiunxit: « Argumentum falsae contritionis habet qui... continuo post dolorem eadem vel alia (peccata) committere non reformidat ». Denique (ut alios multos praetermittam) S. Augustinus (*serm. 393*) exclamabat: « Poenitentes, poenitentes, poenitentes (si tamen estis poenitentes, et non estis irridentes), mutate vitam ». Equidem humanae fragilitati tribuendum est multum; sed non ita ut in veris poenitentibus fragilitas eo usque procedere possit, ut emendatio nulla unquam conspiciatur. Scripsit Lugo (*De Poen. XIV. ix*): « Qui efficaciter proponit et serio rem aliquam quam aliunde moraliter implere potest, non ita facile obliviscitur statim sui propositi; sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius vel rarius cadit ». Et P. Segneri (*Pent. istr. VIII*): « Si ad me redis semper cum iisdem peccatis, commissis cum eadem facilitate et cum aequali negligentia in procuranda emendatione, quomodo potero iudicare te poenitere ex toto corde?... Mulier quae heri mortuum maritum deflebat, et hodie iam est nova sponsa, alio marito accepto, nimis clare indicat se ex corde minime flevisse; verae enim lacrymae versusque luctus non tam cito cessant ».

952. Sed, supposito etiam quod poenitens absolutionem validam reciperet, quid hoc si non emendetur, et iam totam vitam in continuis peccatis ducat? Nonne eodem fere modo, si agatur de mortalibus, in periculo damnationis aeternae, si vero de venialibus, in periculo poenas in purgatorio diuturnissimas subeundi versabitur? Scriptum est: *Quae seminaverit homo haec et metet*. Insuper quid pro-

dest si homines aliquo momento sint boni, dum habitualiter sint perversi, habitualiter contra Deum delinquant, et habitualiter proximum turbent atque offendant? Quod interest vere, est ut inordinationes cessent et lex Dei observetur. Oportet itaque ut confessarii de procuranda non solum dispositione praesenti sed etiam emendatione futura, eaque seria, eaque notabili, eaque (quantum fieri potest) constanti, solliciti sint. Hinc D. N. I. C. dixit: « Posui vos ut eatis et fructum afferatis et fructus vester « maneat ».

953. Ad quid profecto continuas confessiones sine ullo fructu? Nunquid intentio D. N. I. C. esse potuit ut confessio ad illusoriam scenam reduceretur? Imo ut esset quasi pulvinar ad tranquillius dormiendum in peccatis? Porro, persuasio obtinendi veniam pretio adeo exiguo, etsi scilicet nullum serium emendationis studium habeatur, iam (attentis passionibus humanis) nonnisi ansa ad fidentius peccandum esse posset, prout reapse (heu nimis!) contingit, et obvium est audire dicentes: *si peccabo, confitebor*. Hinc rectissime dixit celebris Salvatori (II. II) quod confessarius vero zelo procurandi emendationem non praeditus, etsi esset primus theologus mundi, est *un guasta mestiere*: facit scilicet magis malum quam bonum.

954. Neque dicas adesse alia media quibus homines emendationem propriam procurare possent; hoc enim est medium nedum aliis praestantius sed etiam necessarium. Est praestantius quia 1º Confessarius omnium poenitentium circumstantias et difficultates cognoscere, et sic magis convenienter, magis apte, magis plene remedium apponere potest. 2º Cura confessarii potest esse assidua et diuturna. 3º Medium istud specialissima gratia Dei (quae *sacramentalis* dicitur) corroboratur. Est autem necessarium quia 1º ubi agitur de vitiis extirpandis, ne ipsae quidem Missiones sufficiunt, nisi confessarii postea assidua cura conversos adiuvent. 2º Confessarii ex officio proprio ad hoc stricte tenentur. Confessarius enim non solum est iudex

sed etiam medicus; et Rituale dicit quod ille *efficacibus verbis* nedum ad dolorem et contritionem, sed etiam *ad vitam emendam ac melius instituendam* poenitentem adducere debet. Adde quod confessarius est etiam pater; sed quid non facit pater ad salvandum filium?

955. Inaestimabiles autem sunt huius praxis utilitates. Sic enim obtinebuntur verae conversiones et seriae mutationes vitae. Sic multi salvabuntur, qui secus damnarentur. Sic poenitentes (qui ordinarie amant adiuvari, et virtutis iucunditatem experientur) valde contenti remanebunt. Quod autem contenti remanserint facile manifestabunt, et subinde peccatores aut personas quomodolibet valde indigentes ad illum bonum confessarium adducent. Adde quod, dum confessarius totus est in procuranda emendatione, in cogitando de remediis etc., magis magisque liber erit a tentationibus et periculis, quae huiusmodi ministerium comitari solent; magnumque coram Deo meritum pro zelo et labore suo sibi comparabit.

956. Sed quid si poenitens haberet solum peccata venialia? Multi confessarii, quando agitur de solis venialibus, contenti quod poenitentes se accusent in genere de peccatis vitae praeteritae (ad finem, uti aiunt, ponendi in tuto validitatem absolutionis), de eorundem venialium emendatione minime sunt solliciti. Sed haec regula bona minime est. Peccata venialia multas et frequentiores inordinationes atque turbationes (in familiis, monasteriis etc.) secum trahunt, purgatorium merentur, Deum offendunt, gratias divinis obicem ponunt, et graviorum lapsuum periculum inducunt. Adde quod, quamvis poenitens de peccatis vitae praeteritae vere doleret (qua de re subinde est valde dubitandum), semper verum erit quod peccata venialia accusata propter defectum doloris et propositi (quod iam manifeste de illis ordinarie concipi non solet) nunquam delentur, et sic miseri poenitentes (qui forte existimabunt veniam obtinuisse) heu quam diu pro his peccatis (utique innumeris semperque crescentibus et nunquam remissis)

in igne purgatorii poenam luere debebunt! Quid autem si confessarii eo usque procederent atque adeo poenitentes deciperent, ut non obstante magna peccatorum venialium sarcina et totali incuria emendationis, Communionem quotidianam (quasi iam excellenti bonitate praediti essent) eis concederent?

Sic demonstratum est quod confessarii, ut recte suo munere fungantur, poenitentium nedum praesentem dispositionem; sed futuram quoque emendationem pro fine principali sibi praefigere debent.

957. *Quo methodo ordinariè finem ipsum felici exitu confessarii assequi poterunt?*

REGULA I. Supponendo quod poenitens nullum hucusque de peccatis, quae accusavit, serium emendationis studium praesetulerit, efficere oportet ut ille *necessitatem emendationis vivide percipiat*. Optime scripsit Lessius (*De Inst. et iur. I. II. 29*): « Omnes fere lapsus et peccata « hominum ex defectu considerationis provenire....; nam « omnes vel fere omnes ideo peccant, quod malitiam « peccati, et poenam ipsi debitam vel non considerent, « vel non satis considerent ». Contra hanc primam regulam deficiunt illi confessarii qui poenitentibus nimis blandiuntur, eorumque peccata modo hysterismo, modo violentiae diabolicae, modo necessitati naturae (quasi vis irresistibilis theoriam admitterent), modo indoli convulsivae etc. ita tribuunt, ut ea iam fere nihil facere videantur. Item illi qui peccata mortalia declarant esse venialia, quod facilius accidit quando ea solum in parte et non in complexu et cum circumstantiis considerant. Item illi qui nonnulla exhortationis verba (forte memoriae tradita) omnibus poenitentibus dicunt. Verba *efficacia* sunt necessaria, ut rectissime dicit Rituale; sed praedicta exhortatiuncula ordinariè nullam efficaciam habet. Notandum est insuper quod poenitentes, dum confessarius loquitur, ad eius verba attendere non solent, sed cogitant de aliis rebus et praecipue an adhuc habeant peccata accusanda.

Ut hoc non accadat expedit et aliquando oportet ut confessarius ad modum dialogi procedat, prout faceret si aliud negotium momentosum cum poenitente componere deberet. Per interrogationes scilicet et responsiones efficiat ut ille motiva emendationis (quae sunt infernus, purgatorium, paradus, amor Dei, pulchritudo virtutis etc.) bene intelligat. Dico *bene intelligat*; interdum enim poenitentes infernum, maxime vero purgatorium (quod iam pro magna fortuna habent) parvi facere videntur; et tunc vivide explicandum eis est qua de re agatur. Valde autem iuvant similitudines, dummodo aptae, breves, et vividae admodum, sint; v. g.: Dic, quaeso, nunquid committeres hoc peccatum (etsi quam maxime tentareris) si postea cum manu in igne vel unico temporis minuto stare deberes? Abstineres a tali peccato pro praemio temporali, vel ad obsequendum amico, et non abstinere pro paradiso et pro amore Dei? etc. Prodesse solet etiam efficere ut poenitens intelligat se frustra sperare veniam peccatorum quae accusat, et confessiones esse invalidas, nisi emendationis serium propositum habeat; qua de re confessarius dicere poterit: Nunquid tu crederes personae quae iam a longo tempore semper aliquid tibi promitteret, nec unquam promissionem tibi servaret? In conclusione autem interroget poenitentem, an itaque velit se emendare, eoque affirmative respondente, reponat: Nunquid haec confessio erit sicut aliae hucusque a te factae quae nihil valuerunt? Nunquid hac quoque vice nullum serium emendationis studium adhibebis? Confessiones sine emendatione quid invadunt? Nonne eodem modo ad infernum ibis? Vis emendari: sed quandomam incipies? etc.

958. REGULA II. *Emendationem reddere facilem quantum fieri potest*. Ad hoc obtinendum, oportet suggerere media, quorum alia sunt omnibus peccatis communia (v. g. oratio, frequentia sacramentorum, cogitatio seria aeternarum veritatum etc.); alia vero sunt particularia et consistunt in destruendis radicibus peccatorum, nempe in

debilitandis illis passionibus quae ad peccatum poenitentem inducunt. Oportet itaque imprimis ut confessarius illas cognoscat, et notandum quod subinde idem peccatum diversas radices habere seu modo ab una et modo ab alia passione oriri potest. Peccat v. g. foemina cum viro. Radix horum peccatorum ordinarie quidem erit libido, sed non raro potest esse amor, vel miseria, vel timor (v. g. ne vir, propter repulsam, aut non amplius in matrimonium illam ducat, aut illam infamet), vel denique imbecillitas qua non fortiter resistere, aut pusillanimitas qua ne quidem contradicere audeat. Cognita autem vera radice peccatorum, congruis mediis illam convellere oportet. Praecipue curandum ut passio illa non excitetur, cavendo ab incentivis quae (si agatur de libidine) essent imprimis conversatio cum personis inordinate dilectis, cogitationes turpes, libertas sensuum, lectiones romanticae, otium etc. Si vero passio sive ex occasione incaute data sive sponte sua fuerit excitata, alimenta passioni ipsi subtrahere, distractionem procurare et contraria apponere oportet. Necessarium est insuper destruere deceptiones a passionibus inductas. Cur peccamus? Quia passiones repraesentant ut bonum quod est malum, atque ut malum quod est bonum. Aristoteles dicebat, *omnem peccantem esse quodammodo ignorantem*. Destruamus igitur illusiones istas; et, si perfecte id fecerimus, iam non peccabimus. Exemplum sit in ira. Irascimur inordinate contra res adversas, quia illas ut malum magnum accipimus. Sed reflectamus. Numquid mala adeo transitoria huius mundi sunt revera mala magna? Nunquid merentur ut sic irascamur? Nonne sic essemus sicut pueri qui de ioculo ablato vehementissime irascuntur, dum si domum flammis destrui videant, indifferentes sunt? Insuper res adversae nonne sunt occasio pretiosissima merendi praemia aeterna? Nonne efficiunt ut poenas peccatis nostris debitas, in hac vita solvere possimus? Nonne sic sunt bona maxima? Si talia non essent, Christus Dominus non dixisset: *Beati tribulati* etc. Hoc

modo ablata erit illusio. Quod malum et infortunium videbatur, iam bonum et fortuna apparebit, et sic ira cessabit. Quis enim contra bonum et fortunam irascitur? Aliud exemplum dari potest in foemina amore capta erga virum cum quo peccat? Cur illum amat? Quia tamquam bonum, beneficum et sibi convenientem illum considerat. Fac itaque ut reflectat illum esse scelestissimum, maleficientissimum, causam suae damnationis etc.; et, si funditus et vivide haec intelligat, iam bonitas, beneficentia et convenientia illa disperebit, et amor cessabit. Pulchritudo quoque solet esse causa amoris. Sed quid magis illusorium? Qui hodie tam pulcher tibi esse videtur, nonne cito senex deformis, nonne cito cadaver horribile, nonne cito massa putredinis erit?

959. Quoad remedia a poenitente post confessionem adhibenda, notandum quod ordinarie non multa sed unum vel alterum tantummodo proponere oportet; secus enim poenitens confunditur et nihil facit. Notandum est etiam quod nedum peccatis sed etiam viribus spiritualibus poenitentis aliisque eiusdem circumstantiis debent esse accommodata. Praeterea a mediis extraordinariis (v. g. ieiunii, aliarumque corporalium macerationum) non est refugendum modo absoluto, sed haec (etsi solum in casibus raris) fortiter suggeri deberent, si nempe ex una parte necessaria sint, et ex alia poenitens voluntatem energeticam habere videatur. Caeterum de remediis contra tentationes venereas (quae peccatorum innumerabilium causa esse solent, et non raro etiam personas pias quammaxime divexant) in Cap. sequenti, ubi de directione animarum piarum agitur, sermo habebitur.

960. Enuntiatis poenitenti suis obligationibus, et indicatis remediis, oportet audire difficultates, easque, si possibile sit, ita destruere ut ille prorsus persuasus remaneat. Difficultates huiusmodi, si versentur circa remedia, interdum possunt esse tales, ut loco unius remedii aliud suggeri debeat. Sed saepe poenitentes circa ipsam cessationem a

peccatis difficultates opponunt. Aliquando dicunt emendationem esse impossibilem. Supponendo quod confessarius debitas fecerit distinctiones (quae tamen heu nimis negliguntur) et cognoverit agi de veris peccatis formalibus, non vero de peccatis tantummodo materialibus, aut de meris tentationibus (saepe enim poenitentes confundunt sensum cum consensu, vel se accusant de peccatis indeliberatis etc.); supponendo, inquam, quod agatur de veris peccatis, a quibus poenitens absolute abstinere teneatur; persuasionem quam ipse habeat de impossibilitate ab iisdem abstinendi, prorsus destruere oportet. Hoc autem non tam doctrinis generalibus (quod Deus non praecipit impossibilia, vel quod gratia Dei non deerit etc.), quam adducendo exempla aliorum qui se emendaverunt (v. g. S. Augustini, S. Margaritae Cortonensis etc.), et recurriendo ad similitudines supra indicatas praemiorum aut poenarum temporalium, obtinetur. Si autem poenitens non iam impossibilitatem sed magnam difficultatem obiciat; tunc confessarius virtutis pulchritudinem, iucunditatem ineffabilem quae provenit ab actu virtuoso; et e contra turpitudinem peccati et remorsum illud comitantem atque subsequenter vivide exponat; dein magnitudinem apprehensae difficultatis (caeteroquin non valde duraturae, et gratiae divinae auxilio, nec non prudenti mediorum applicatione immunitae) magis illusoriam quam realem esse ostendat; et denique concludat quod pro paradiso assequendo, pro inferno evitando et pro Deo non offendendo, nulla difficultas obstare potest. Si autem difficultas vere maxima esset, et iam (quod caeteroquin vix unquam continget) de ipso periculo infirmitatis vel etiam mortis ageretur; tunc confessarius nullam ostendat perplexitatem, sed magno animo curet ut poenitens vere sit dispositus ad resistendum non obstante quocumque sacrificio et ipsa morte: et dicat quod, quandoquidem iam mori debemus, mors omnium pulcherrima esset quae eveniret ad non peccandum.

961. Dices: Nunquid confessarius curam adeo magnam

adhibere debet cum poenitentibus omnibus? Respondeo negative, sed solum iuxta necessitatem et spem profectus. Hinc 1<sup>o</sup> si poenitens iam sit satis sollicitus de sua emendatione; 2<sup>o</sup> si, supposita incuria, confessarius animadvertat quod, ex eius responsis, indole bona, ingenio perspicaci etc., parum sufficit ad illum excutiendum et serio determinandum. 3<sup>o</sup> Si, attenta eiusdem stupiditate, aliisve circumstantiis, iam perspiciat quod multa verba effundere inutile esset, maxime vero si fortis correctio futura esset perniciose (prout contingere posset si poenitens characterem convulsivum, exaggeratum, scrupulosum, ad desperationem proclivem etc., ostenderet) utique tunc admonitio valde brevis esse poterit vel etiam debet.

962. Ab his casibus praescindendo, quilibet poenitentes adjuvandi sunt efficaciter, ut supra; et, si aliqua distinctio fieri debeat, haec sita erit in adhibendo zelo maiori, non iam pro divitibus et nobilibus, aut pro personis eruditis et politiore sermone loquentibus, aut pro poenitentibus propriis stabilibus, aut pro animabus piis etc.; bene vero pro iis qui in maioribus necessitatibus spiritualibus versantur. Huiusmodi sunt speciatim habituati in peccatis mortalibus, et maxime si quaedam circumstantiae superaddantur; scilicet 1<sup>o</sup> Si occasionum quoque laqueis devinciantur. 2<sup>o</sup> Si scandalum praebeant. 3<sup>o</sup> Si statum suum miserimum atque damnationis aeternae periculosissimum comprehendere non videantur. 4<sup>o</sup> Si careant confessario stabili et casu adventent vel confessarium inutilem habeant. 5<sup>o</sup> Si rarissime aut solum tempore paschali ad confessionem accedant. 6<sup>o</sup> Si non unicum, sed multa (v. g. blasphemiarum, furtorum, pollutionum, fornicationum etc.) vitia habeant, et sic vere sint magni peccatores. 7<sup>o</sup> Si iam sint senes et morti vicini. Hinc generatim specialissimus zelus adhibendus est erga viros (maxime rudes et pauperes); isti enim non solum, propter peccata plurima et incuriam accedendi ad sacramenta, in statu periculosissimo versari, sed etiam foeminas tentare et quaquaversus

magnam morum corruptionem inducere solent. Adde quod (ut ordinarie contingit) quo magis indigent, eo magis a confessariis declinantur, negliguntur, atque, ad instar evangelici paralitici dicentis *hominem non habeo*, sine subsidio ullo relinquuntur.

963. Hucusque dicta luce meridiana clariora sunt; sed confessarii ne methodum istam adeo salutarem atque necessariam adhibeant, diversis tentationibus subiici, vel etiam aliquas contra illam obiectiones facere possent. De his itaque tentationibus et obiectionibus aliquid dicendum est.

964. *Prima tentatio* est labor et impatientia. Equidem quod de re laboriosa agatur, negari non potest. Sed quid inde? Nunquid renuntiabimus fructui, nunquid relinquemus liberum cursum peccatis, nunquid deficiemus officio nostro, propter laborem? Confessarius imprimis est pater; sed (iterum dicam) quid non facit pater ad salvandum filium suum? Nunquid non possumus libentissime laborare pro amore Dei, pro salute animarum, et pro mercede illa magna quae nobis adpromittitur? Adde quod a confessariis, qui ex his motivis toti sunt in procuranda emendatione poenitentium, labor non sentitur sed in magnam iucunditatem convertitur.

965. *Secunda tentatio* est ineptissima libido cito expediendi multos. At vero optime dicebat Caietanus: « Melius est audire duos bene, quam viginti perfunctorie ». Quid reapse de medico qui visitet multos et sanet neminem? Officium nostrum est ut hoc sacramentum administremus non utcumque, sed bene.

966. *Tertia tentatio* est timor amittendi poenitentes (speciatim nobiles, divites etc.). Sed nunquid salutem animarum et officium nostrum amoris proprio sacrificare debemus? Quid mali si aliqua persona cerebrata vel superba vadat ad alios? Nonne alii advenient? Imo ex facto patet quod apud confessarios, qui veri zeli fama gaudent, concursus (si assidue se praestare possint) est semper maior.

Caeterum timor amittendi poenitentes pessimas maximeque ruinas consequentias habere potest. Confessarii hoc timore praeoccupati ab illo plus vel minus manifestando vix aut ne vix quidem abstinere poterunt. Haec autem manifestatio maximam et vix credibilem (speciatim in piis foeminis) difficultatem ad alios accedendi inducere solet. In quadam civitate confessionem faciente puella, confessarius magnum tremor in illa animadvertit. Quid hoc? - Vae mihi, vae mihi (respondit puella). In scamno vicino vidi mulierem quae statim delatura erit me ad te venisse: Heu mihi, heu mihi; sum inventa in flagranti! - Et tremor ita crescebat ut confessionale ipsum tremore concuteretur. - Esne mentecapta? (respondit confessarius) - Es inventa in flagranti? Sed quis sum ego, aut quid mali facis tu? Nonne venisti pro animae tuae necessitate, et utique magna? - Ita, pater; sed ego bene scio cur dicam: Heu mihi, heu mihi! -. Tyrannides, magnae tyrannides, incredibiles tyrannides sunt istae -, exclamavit confessarius, et bene. Quid enim de consequentiis? S. Thomas (*Suppl. VIII. iv*) scripsit: « Multi sunt adeo infirmi, qui potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur ». Et (*IV. Sent. xvii. iii. 5*) subiunxit quod confessarii huiusmodi « multis laqueum damnationis iniiciunt et per consequens sibi ipsis ». Adde scandalum et cuiusdem indignissimae ostensionem zelotypiae; unde scripsit Raynaudus (*Heter XVI. i. 9*): « Ad invicem perinde ac sponsi concupiscunt quas semel rexerunt animas, et, ut apud alios peccata exonerent, graviter ferunt ac videntur insanire; quae est indignissima (ut quam mitissime dicam) agendi ratio ». Hinc optime dixit Scavini (*IV. App. I*): « Guai a quei confessori che incatenassero al loro confessionale le anime, e non facessero loro la più ampia licenza di portarsi da altri ». Et prius Croix (*n. 1773*) scripsit: « Relinquenda est libertas, relinquenda est libertas, ne detur occasio sacrilegiis ». Et hic est procul dubio sensus Ecclesiae; circa

ipsas enim moniales exigitur non solum ut bis aut ter in anno confessarius extraordinarius eis assignetur; sed etiam ut unicuique moniali facultas fiat accersendi alium toties quoties pro conscientia sua eo indigeat, prout iam a Benedicto XIV (Const. *Pastoralis curae*) et novissime a SS.mo D. N. Leone XIII (Dec. S. C. Epp. et RR. 17 Dec. 1890) statutum fuit. Notari potest non deesse qui dicunt poenitentibus concedendam esse facultatem accedendi ad alios, sed prius inquirendum esse de motivo. At vero si poenitentes conscientiam suam tibi aperire audent, utique tunc alium non inquirent. Nunquid tenentur ipsi indigentias animae propriae cuiquam patefacere? Qua lege? Nunquid sic in difficultates, angustias et verum tormentum conicerentur eodem modo? Nunquid denique praxis huiusmodi non esset contra praedictum decretum Summi Pontificis, in quo districte praecipitur ut superiores nedum caveant ab ullo displicentiae signo praebendo, sed etiam advertant ne ullo modo *petitionis rationem inquirent*? Sed veniamus ad aliam tentationem.

967. Haec est *animi deiectio*. Confessarius, v. g. incipit bono animo et modo supra dicto poenitentium emendationem procurare; sed, videndo relapsus, animo deiicitur, et intra se dicit: iam hoc est frustra laborare. Tentationem istam sedulo repellant confessarii, et recogitent sequentia: 1° Frustra laborare contingit in iis, qui, nihil nisi consuetam exhortatiunculam faciendo, omnes absolvunt; non vero in iis qui vero zelo praediti seriam animarum curam habent; si enim non proficiunt in uno, proficiunt in aliis, ut experientia manifestissime patet. Nunquid fons publicus claudi debet, eo quod pars aquae inutiliter effluat atque in terra deperdat? 2° Emendatio effectiva interdum quidem statim, sed ut plurimum tantummodo pedetentim, aut uno alterove subsecuto relapsu (forte etiam magno), obtinetur. 3° In quovis casu, saltem obtinebitur quod poenitens a suo fatalissimo somno excutiat, oculos aperiat magnisque conscientiae remorsibus subiicia-

tur, quae tandem efficere poterunt, ut, v. g. una finita occasione, in aliam non se coniciat, vel propter aliquam circumstantiam (puta, Missionis, morbi etc.) tandem aliquando ad veram conversionem deveniat, ad eandem non deventurus, si primam illam excitationem non habuisset. 4° Confessarius recepturus erit mercedem a Domino iuxta laborem, non vero iuxta effectum; imo, eo quod ne consolationem quidem fructus habere potuerit, mercedem forte maiorem recipere debet. Sed de tentationibus quibus subiici potest confessarius, iam satis. Veniamus ad obiectiones.

968. OBIECTIO I. Nonne adhiberi potest alia methodus expeditior? Scilicet: Si poenitens se accuset de peccato gravissimo, aut de multis peccatis mortalibus, dicatur ei: *Abi, quia es damnatus*; et claudatur ei in faciem confessionalis hostiolum. Si autem habeat solum unum vel alterum peccatum mortale, nec praesferat ex sese signa evidentialia compunctionis, dicatur ei: *Cessa ab his peccatis, et postquam uno vel altero mense ab iisdem abstinueris, redi. Nunc non possum te absolvere*.

Respondeo. Methodus huiusmodi damnabilissima est. Imprimis Sacramentum poenitentiae quam maxime odiosum atque invisum redderet, magnamque et fere universalem a sacramentis alienationem produceret, et proinde in causa esset cur fere omnes perditissimam vitam (sic deserendo confessionem vel reticendo peccata) usque ad mortem ducerent. Est etiam contra doctrinam Ecclesiae, quae (ut supra vidimus) in Rituali docet ut confessarius paterna charitate ad dolorem atque ad vitae emendationem poenitentes adducere conetur. Est denique contra sensum Auctorum probatorum. P. Caietanus a Bergamo (XI. XIII) scripsit: « Veniunt interdum ad pedes confessarii nonnulli qui accusant plurima et gravissima peccata absque ullo compunctionis signo, quasi meram narrarent historiam. Quomodo agendum cum istis? Suntne forsantim obiurgandi et tamquam damnati repellendi? Ita se

« gerunt revera aliqui... Sed, bone Deus! tot concionibus  
 « et exhortationibus invitantur christifideles ad confessio-  
 « nem; eecur itaque quando accedunt, tanta festinatione  
 « erunt repellendi? Si non videntur dispositi, cur non  
 « excipimus eos in visceribus Christi, illisque, ut dispo-  
 « nantur, auxilium non praebeamus? » Et Salvatori (II. 1)  
 « subiungit: « Qualcuno al solo sentire che il penitente non  
 « aveva preso Pasqua, o che era ricaduto in qualche pec-  
 « cato, ha avuto la crudeltà di dirgli: *Vattene via, non ti  
 « voglio sentire*. Dunque per questi poveretti è abbre-  
 « viata la mano di Dio? Dunque è per questi esaurito il  
 « tesoro della Divina Misericordia? A che dunque la pa-  
 « rabola del figliuol prodigo, della pecorella smarrita,  
 « della dramma perduta? A che gli esempi delle Samari-  
 « tane, delle adulate, delle Maddalene? A che disse Ge-  
 « sù Cristo a S. Pietro: *non septies, sed usque septuagies  
 « septies?* Si dovranno tali confessori chiamare *medici*,  
 « o non piuttosto *assassini* delle anime? » Reapse S. Lig.  
 (VI. 464) exclamabat: « Quot miseros ego cognovi, qui ob  
 « denegatam absolutionem se deiecerunt in desperationem,  
 « et per plures annos a Sacramentis aversi aberrarunt! »

969. Hinc tamen non inferes, dilationem absolutionis  
 nunquam esse adhibendam; quoad illos enim habituos  
 et recidivos, a quibus derelictio sacramentorum non sit  
 timenda, solet esse remedium potentissimum ut tandem  
 aliquando sibi vim faciant et emendentur; imo certe  
 aliquando est remedium unicum, et constituit in viam sa-  
 lutis illos qui secus in malo statu perpetuo viverent et  
 damnarentur. Tunc autem maxime oportet ut dimissi sine  
 absolutione ab uno, sic ab aliis etiam (ad quos pro illa ha-  
 benda diversuri essent) dimittantur.

970. OBJECTIO II. Si non placet methodus dimittendi  
 poenitentes sine absolutione, adhibeatur alia eos omnes ab-  
 solvendi sub conditione.

Resp. Methodus valde commoda profecto haec quoque  
 est. Sed hoc modo iam incidimus in excessum contrarium.

Error vetus erat nimis rigorose absolutionem denegandi.  
 Error novus est concedendi illam nimis faciliter, recur-  
 rendo ad effugium illam dandi sub conditione. Utique bona  
 doctrina est ut interdum dari possit absolutio sub condi-  
 tione, sed haec doctrina quo sensu intelligi debet? Sensus  
 est ut duo prius verificari debeant. Oportet scilicet 1° ut  
 confessarius conetur disponere poenitentem, illumque ex  
 dubie disposito sufficienter dispositum reddere. Si autem,  
 non obstante exhortatione, poenitens adhuc dubie disposi-  
 tus remaneat, tunc oportet 2° ut specialis et gravis causa  
 subsistat, propter quam oporteat ut sacramentum in dubio  
 sub conditione administretur. Sic enim etiam alia Sacra-  
 menta administrari quidem possunt sub conditione, sed  
 solum si necessitas urgeat aut causa proportionata subsi-  
 stat. Adde quod confessarius non solum reverentiae sacra-  
 menti, sed etiam necessitatibus spiritualibus poenitentis,  
 tamquam medicus, prospicere debet. Sed nunquid partes  
 medici in eo solo consistunt ut confessarius in absolutione  
 conditionem apponat? Systema huiusmodi sine dubio per-  
 niciosissimum, et innumerabilium peccatorum atque damna-  
 tionis animarum occasio esset; atque in illo iterum ve-  
 rificaretur celebris sententia Bellarminii: « Non esset  
 « tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas ab-  
 « solvendi ».

971. OBJECTIO III. Ad servandam methodum emenda-  
 tionem poenitentium procurandi serio, et modo supra indi-  
 cato, nimium tempus cum singulis poenitentibus exigere-  
 tur, et sic ipsi, et alii (qui expectant) taedio afficerentur,  
 et amplius non redirent; unde confessarius ab omnibus  
 derelictus iam prorsus inutilis redderetur.

Haec obiectio speciositatem sed non soliditatem habet,  
 atque experientia manifesta destruitur.

Aliquod notabile temporis spatium requiritur dum pri-  
 mis vicibus se praesentat poenitens habituosus et de sua  
 emendatione non sollicitus; sed postea brevissimo tempore  
 expediri poterit; si enim emendationi iam serio se appli-



cet, tunc sufficet si paucis verbis ad perseverandum confortetur; si vero sine ullo profectu iterum iterumque redeat, tunc erit casus dicendi: *Hoc est frustra laborare*, et iuxta diversas circumstantias diversa consilia sumendi, modo scilicet differendo absolutionem, modo absolvendo sub conditione, modo efficiendo (si agatur de solis venialibus) ut poenitens se accuset de peccatis vitae praeteritae, modo denique ei consilium dando ut alium adeat confessarium, qui eiusdem saluti forte melius consulere poterit.

Quum itaque tempus notabile exigatur solum primis vicibus, iam inconvenientia in obiectione exposita non sunt timenda. Poenitentes (quamvis essent scelestissimi et perditae conscientiae) ordinarie amant adiuvari, neque taedio afficiuntur, sed potius valde gaudent si uno vel altero horae quadrante ad pedes talis confessarii eos serio adjuvantis commorentur. Si autem confessarius fama gaudeat quod omnes magna charitate excipiat atque adjuvet, et optime suo munere fungatur, iam libenter etiam expectant alii, si forte illo momento adveniant, in quo aliquis paullo polixiorem confessionem faciat; certi sunt enim quod sibi ipsis quoque (si indigeant) eandem curam bonus confessarius praebiturus erit. Etsi autem contingeret quod aliquis non esset rediturus, id equidem parum mali erit; alii enim meliorem dispositionem et fortasse valde maiorem necessitatem habentes adventuri erunt.

972. Caeterum adhibendae sunt cautelae ut consulatur uniuscuiusque poenitentis indigentiae; simulque confessionum brevitati, quantum fieri potest, prospiciatur. Huiusmodi cautelae sunt praecipue sequentes.

I. In materia contra sextum praeceptum valde supervolandum atque ab interrogationibus (exceptis stricte necessariis, quae prudenter, modeste et breviter fieri possint) abstinendum est. In hac enim materia pervolutanda motus carnales nedum in confessario sed etiam in poenitente facile suscitantur, magnumque periculum subest ne ipso actu confessionis nedum materialia sed etiam formalia peccata

committantur. Quid itaque de confessariis qui nedum de minutissimis circumstantiis imprudentissime interrogant, atque scandalosissime (et quidem forte utendo verbis impudentissimis quae vix in lupanaribus audiuntur) interrogant de modo quo foedissima committuntur: sed etiam cum aperta et prorsus inexcusabili malitia turpes atque impertinentissimos sermones ita instituunt, ut iam evidenter in crimen sollicitationis inciderint et denunciari debeant?

II. Oportet resecare inutilia. Heu quot confessarii convertunt confessionale in locum conversationis, delationum, imo (aperte dicam) murmurationum! Poenitentes ipsi saepe plurima impertinentia immiscent; imo aliquando accedunt non iam ex intentione confessionem faciendi aut consilia spiritualia petendi, sed extorquendi pecuniam, et proinde exponunt extremas necessitates, quae ordinariae sunt fictae. Haec itaque omnia (etsi non sine charitate et prudentia) resecari debent, ut dixi.

III. Ad confessionis brevitem maxime confert, si confessarius non proluxa argumenta et longas praedicationes, sed pauca verba succosa, vivida, magnamque vim habentia, adhibeat, eaque (utique diversa iuxta diversos casus) semper promptissima habeat.

IV. Quum poenitentes magis indigentes accedere soleant diebus festis, ne pro ipsis rite (ut supra) audiendis tempus deficiat, curandum est ut personae piae diebus ferialibus adveniant. Ipsae autem non frequentius quam semel in hebdomada audiantur, saltem ordinarie. Dico *saltem ordinarie*; quidam enim casus extraordinarii excipi debent. Huiusmodi sunt si maior frequentia 1<sup>o</sup> existimari deberet necessaria sub initio ad abrumpendam consuetudinem peccatorum mortalium, ut patet ex notissima praxi S. Philippi Neri; 2<sup>o</sup> si persona pia in aliquam gravem culpam casu lapsa fuisset.

V. Ut suppetat tempus cum debita cura satisfaciendi multis poenitentibus, maxime oporteret ut sufficiens zelantium confessariorum, qui revera se praestent, copia ades-

set. Quomodo unus vel alter confessarius mille poenitentibus bene satisfacere poterit? Totus mundus (dicebat S. Ioannes Chrisost.) plenus est sacerdotibus, sed operarii, qui vere laborent, ubinam sunt? Adhuc dicendum est: *messis multa, operarii pauci*. Narrat Card. Hostiensis quod temporibus suis christifideles sicut pro Missa, ita etiam pro confessione, eleemosynam (et quidem non exiguan) dabant. Si mos huiusmodi hodie quoque vigeret, imo si quinque vel sex centesimi dumtaxat pro qualibet confessione darentur, heu quanta aviditate audiendarum confessionum facultas quaereretur; heu quomodo confessionalia omnia essent occupata, et nova fabricarentur; heu denique quanta assiduitas, et quanta cura satisfaciendi poenitentibus ad concursum habendum! Faciamus itaque, faciamus pro Deo, et pro fratrum nostrorum salute aeterna, quod pro paucis centesimis faceremus.

VI. Copia confessariorum necessaria est praecipue in maioribus solemnitatibus, maxime vero in tota quindena paschali. Tunc veniunt peccatores innumeris onusti peccatis. Casus difficiles et intricati admodum, nedum propter inveteratas consuetudines, occasiones proximas, amores, odia etc.; sed etiam propter contractus, compensationes, damnificationes, sollicitationes etc. tunc occurrere solent. Adde difficultatem et necessitatem disponendi huiusmodi poenitentes; ita ut subinde pro uno tantummodo casu ne una quidem hora tunc sufficeret. At vero turba magna aliorum poenitentium (forte non minus indigentium) confessionale circumstat, expectat, et clamorem facit. Heu quot angustiae pro misero confessario, qui in pectore cor et conscientiam habeat! Ad providendum itaque necessitati huiusce generis, absolute oportet ut tunc confessarii sint multi. Sed quid? Quindena paschalis est tempus in quo confessarii confessiones audire declinant quantum possunt. Se praestabunt alio tempore, sed non illo. Aliqui etiam sunt adeo criterii inopes ut illo quoque tempore pro mulierculis devotis horas et horas insumant. Ali-

cubi insuper (quid peius?) feria quinta et sexta hebdomadae maioris confessionalia prorsus clauduntur. Venit Sabbatum Sanctum, et parochi se conferunt in gyrum ad domos benedicendas. Nunquid non posset id operis praestare simplex sacerdos? Sed quidquid sit de hoc, certe oportet ut non solum in Ecclesia confessarii adsint, sed etiam (ad commodum virorum) in sacristia. Viri multi verecundantur confiteri in confessionalibus, atque insuper expectandi patientiam non habent. Itaque se conferunt ad sacristiam; sed, si ibi confitendi commodum non inveniant, quid timendum erit? Quod non solum illo anno, sed etiam sequentibus annis (ut, heu nimis ex praxi patet) sacramentis valedicant.

Denique ad confessiones sine iactura sacramenti et sine damno poenitentium breviandas, et sic ad multos poenitentes convenienti modo expediendos, oporteret ut parochi in sermonibus ad populum et concionatores suis partibus rite satisfacerent; praedicatio enim confessionem quam maxime adiuvat. Accedunt poenitentes, sed non sunt instructi, non sunt dispositi. Parochi et concionatores publico sermone potuissent illos instruere et disponere; et sic confessarii non cogentur multo tempore et labore instruere et disponere singillatim unumquemque. Sed veniunt praedicatores quadragesimales, et, loco inducendi christifideles, iuxta intentionem Ecclesiae, ad poenitentiam, eosque disponendi ad bene satisfaciendum praecepto paschali (in quem finem necessariae essent conciones de malitia peccati, de novissimis, de procrastinatione, de amore et misericordia Dei, de vitiis magis obviis, de dispositionibus pro bona confessione etc.), ne loquantur quidem cum christifidelibus, sed cum iis qui non adsunt, scilicet cum atheis, panteistis, deistis, materialistis, massonicis etc. etc., vel faciunt conciones de progressu, de libertate, de patria, de civilitate, de filantropia, de homine-scimia etc. etc.

Sic demonstravi quod confessarii debent 1<sup>o</sup> Emendationem poenitentium pro fine principali sibi praefigere.

2º Efficere ut poenitentes emendationis necessitatem vivide percipiant. 3º Satagere ut emendatio ipsa, quantum fieri potest, facilis reddatur. De tentationibus in contrarium verba feci, et obiectiones resolvi. Addo, in confessariis necessariam esse unionem atque in bona praxi servanda uniformitatem. Serio consideremus quod magna pars populi iam amissa est, et proinde non superficialiter atque ita ut nihil boni fiat, sed efficaciter et serio, circa illos qui adhuc ad nos accedunt, et in quibus solis totam spem nostram collocare possumus, viribus unitis laborare debemus.

973. Finem facio cum quaesito valde practico. *Quaeritur quid dicendum de illis confessariis qui diebus festis intra unum horae quadrantem sex vel septem poenitentes expedire solent: diebus autem ferialibus vix integræ horæ spatium illis satis est ad unam personam expediendam?* Respondeo: Pessime se gerunt. Ex dictis enim facile eruitur impossibile esse intra unum horae quadrantem sex vel septem poenitentium confessiones bene audire; multo magis quia diebus festis peccatores et personae magis indigentes accedere solent. Consuetudo autem insumendi horas integras pro unica confessione diebus ferialibus, excessus contrarius est. Equidem aliquod tempus notabile ordinarie exigitur pro poenitentibus habitatis, ut emendationi serio se applicare incipiant; sed hoc solum pro primis vicibus necessarium erit, ut supra explicavi. Si autem agatur de foeminis (speciatim iuvenibus), eas in confessionali diu detinere, nedum non necessarium, sed tam pro confessario quam pro poenitentibus ipsis periculosissimum (amor enim spiritualis in carnalem facile vertitur), et saepe etiam (tum propter admirationes et sinistras interpretationes, tum propter poenitentium ipsarum loquacitatem, iactantias, zelothypias etc.) valde scandalosum est. Scripsit D. Thomas (*Opusc. LXIV. xx*): « Crede mihi, expertus sum, in Christo loquor; non mentior; cedros Libani, idest contemplationis al-

« tissimae homines, sub hac specie corruisse reperi ». Et Frassinetti (*Man. n. 428*) de huiusmodi confessario dicit: « Bisogna che si rassegni a lasciar bistrattare la sua « riputazione ».

## CAPUT VI.

### De directione animarum piarum et de Confessario Monialium.

#### ARTICULUS I.

##### *De directione animarum piarum.*

974. *Quid imprimis prae oculis haberi debet quoad personas piarum? Quomodo ordinarie sint foeminae, imprimis ex hoc ipso sequentes advertentiae haberi debent:*

I. Ipsae magnus scopulus (et forsitan non sine publicis dieteriis) evadere possunt. Ad hunc evitandum, confessarius (utique vigilantiam et virtutem adhibendo) servet 1º *Indifferentiam et cordis sui custodiam*, neque hanc potius quam illam, aut in genere foeminas potius quam viros libentius audiat. 2º *Gravitatem*, et speciatim verba quae teneritudinem et nimiam familiaritatem praeseferant, sedulo evitet. 3º *Modestiam*. 4º *Brevitatem*; prout infra explicabitur.

II. Foeminae solent esse valde criteriis inopes; quid pro quo facile accipiunt; phantasiâ res exaggerant; et ordinarie nullam prudentiam et reflexionem habent.

III. Ipsae sunt loquaces admodum; unde ea quae hodie dicuntur in confessionali, cras sciri poterunt in conversationibus, ne dicam in platea.

IV. Valde verecundantur, et non raro patientia et auxilio (utique prudentissimo) confessarii indigent, ut peccata sua integre accusent.

V. Attamen quasdam optimas qualitates habere solent; nempe ordinarie sunt valde inclinatae ad religionem et pieta-

2º Efficere ut poenitentes emendationis necessitatem vivide percipiant. 3º Satagere ut emendatio ipsa, quantum fieri potest, facilis reddatur. De tentationibus in contrarium verba feci, et obiectiones resolvi. Addo, in confessariis necessariam esse unionem atque in bona praxi servanda uniformitatem. Serio consideremus quod magna pars populi iam amissa est, et proinde non superficialiter atque ita ut nihil boni fiat, sed efficaciter et serio, circa illos qui adhuc ad nos accedunt, et in quibus solis totam spem nostram collocare possumus, viribus unitis laborare debemus.

973. Finem facio cum quaesito valde practico. *Quaeritur quid dicendum de illis confessariis qui diebus festis intra unum horae quadrantem sex vel septem poenitentes expedire solent: diebus autem ferialibus vix integræ horæ spatium illis satis est ad unam personam expediendam?* Respondeo: Pessime se gerunt. Ex dictis enim facile eruitur impossibile esse intra unum horae quadrantem sex vel septem poenitentium confessiones bene audire; multo magis quia diebus festis peccatores et personae magis indigentes accedere solent. Consuetudo autem insumendi horas integras pro unica confessione diebus ferialibus, excessus contrarius est. Equidem aliquod tempus notabile ordinarie exigitur pro poenitentibus habituatis, ut emendationi serio se applicare incipiant; sed hoc solum pro primis vicibus necessarium erit, ut supra explicavi. Si autem agatur de foeminis (speciatim iuvenibus), eas in confessionali diu detinere, nedum non necessarium, sed tam pro confessario quam pro poenitentibus ipsis periculosissimum (amor enim spiritualis in carnalem facile vertitur), et saepe etiam (tum propter admirationes et sinistras interpretationes, tum propter poenitentium ipsarum loquacitatem, iactantias, zelothypias etc.) valde scandalosum est. Scripsit D. Thomas (*Opusc. LXIV. xx*): « Crede mihi, expertus sum, in Christo loquor; non mentior; cedros Libani, idest contemplationis al-

« tissimae homines, sub hac specie corruisse reperi ». Et Frassinetti (*Man. n. 428*) de huiusmodi confessario dicit: « Bisogna che si rassegni a lasciar bistrattare la sua « riputazione ».

## CAPUT VI.

### De directione animarum piarum et de Confessario Monialium.

#### ARTICULUS I.

##### *De directione animarum piarum.*

974. *Quid imprimis prae oculis haberi debet quoad personas piarum?* Quum ordinarie sint foeminae, imprimis ex hoc ipso sequentes advertentiae haberi debent:

I. Ipsae magnus scopulus (et forsitan non sine publicis dieteriis) evadere possunt. Ad hunc evitandum, confessarius (utique vigilantiam et virtutem adhibendo) servet 1º *Indifferentiam et cordis sui custodiam*, neque hanc potius quam illam, aut in genere foeminas potius quam viros libentius audiat. 2º *Gravitatem*, et speciatim verba quae teneritudinem et nimiam familiaritatem praeseferant, sedulo evitet. 3º *Modestiam*. 4º *Brevitatem*; prout infra explicabitur.

II. Foeminae solent esse valde criteriis inopes; quid pro quo facile accipiunt; phantasiâ res exaggerant; et ordinarie nullam prudentiam et reflexionem habent.

III. Ipsae sunt loquaces admodum; unde ea quae hodie dicuntur in confessionali, cras sciri poterunt in conversationibus, ne dicam in platea.

IV. Valde verecundantur, et non raro patientia et auxilio (utique prudentissimo) confessarii indigent, ut peccata sua integre accusent.

V. Attamen quasdam optimas qualitates habere solent; nempe ordinarie sunt valde inclinatae ad religionem et pieta-

tem; sunt timidae; facile credunt; denique sunt dociles. Quoad hanc docilitatem notandum, quod foeminae non tam per viam intellectus quam per viam cordis ad obediendum inducuntur. Ipsae insuper naturaliter amant dirigi et esse subiectae. Obedientias, etiam de rebus paullo difficilioribus, facile acceptant et reapse exequuntur: et quo magis confessarius fortitudinem ostenderit, firmusque in re aliqua absolute exigenda persistit, eo magis eis placebit, imo et fortes correctiones (attamen non sine discretionem), quae facile viros offenderent, eosque a sacramentis alienarent, effectum prorsus oppositum in foeminis habere solent.

VI. Haec valent generatim quoad foeminas omnes. Sed, speciatim quoad personas pias, 1° cavendum a quibusdam periculis et inordinationibus omnino particularibus; 2° bona directio est eis danda.

975. *Quaenam pericula specialia quoad personas pias adesse possunt?* Pericula maiora sunt sequentia.

I. De facili (si personae istae sint foeminae) genialem affectum concipiunt erga confessarium ipsum; et, sive propter istum affectum sive propter quamdam vanam gloriam, facile cupiunt nimis frequenter ad confessionem redire nimiumque in confessionali commorari. Valde sollicitae esse solent ut confessarius illas existimet et quodammodo diligat; quo fit ut interdum non sint sincerae, imo etiam fictionibus utantur: nec audeant (cum periculo ne confessarius id advertat) extraordinarium adire. Praedilectionem facile ita ambiunt, ut contra alias zelotypiam et invidiam concipiant. De praedilectione autem facile se iactant, aut quod confessarius tales vel tales alias praediligat querimonias movent. Hinc dicteria et scandalum. Caveat itaque confessarius a quolibet signo praedilectionis. Non permittat (nisi forte in aliquo casu exceptionali) ut pluries in hebdomada ad confessionem redeant. Exigat ut identidem extraordinarium adeant. In ipsa confessione breviter cum omnibus (habito tamen respectu ad veras uniuscuiusque necessitates) servare procuret. Munera et mnemosyna nec

det nec acceptet. Visitationes privatas pariter nec faciat nec permittat. Epistolas illis non scribat. A laudibus absteineat.

II. Quaedam magno hysterismo, speciatim in quibusdam circumstantiis, laborant; et tunc tristitiae, melancholiae, taciturnitati, fletui, iracundiae, desperationi, aut aliis passionibus, adeo subici possunt, ut quasi delirare videantur. In tali statu valde dissimulandum est, ne magnus aliquis excessus accidat.

976. *Quaenam sunt inordinationes speciales, quae in confessionibus animarum piarum contingere possunt?* Prima est si interim virorum magnorumque peccatorum confessiones, aut alia munera maioris momenti, negligenter; vel si personae ipsae nimis commorarentur apud confessionalia et muneribus proprii status deficerent. Hinc practice expedit ut personae piae audiantur dumtaxat diebus et horis opportunis, curando etiam ut unaquaeque propriam diem et (circiter) horam habeat. Secunda inordinatio est si confessarius de rebus ad spiritualem poenitentis directionem non stricte pertinentibus sermones immisceret; maxime vero si cum una de aliis loqueretur, et confessionale in locum inquisitionum, delationum, et murmurationum converteret.

977. *Quaenam sunt regulae principales bonae directionis?*

I. Director exigat imprimis ut personae directae plena sinceritate omnia pandant, nullamque rem extraordinariam sine licentia faciant, et perfectissimam obedientiam praestent.

II. Illas admoneat quod vera sanctitas consistit in fuga peccati et exercitio virtutis ad placendum Deo; non vero in quodam fervore sensibili; imo nec in multis orationibus et poenitentis; quae tamen bona erunt, si sint moderata, atque ad virtutes acquirendas dirigantur.

III. Magnum huius verae sanctitatis desiderium in eis accendere satagat, motiva adducendo etc.

IV. Curet ut paratae sint placere Deo, non obstante quacumque difficultate, et cum pleno amoris proprii sacrificio.

V. Amor Dei et Domini Nostri I. C., humilitas, obedientia, castitas, modestia, mansuetudo, patientia, diligentia, denique charitas nedum corporalis, sed etiam (imo praecipue) spiritualis erga proximum, adhibendo zelum christianum ad impedienda mala et promovenda bona, sunt virtutes principales, de quibus confessarius sollicitus esse debet.

VI. Si persona directa versetur in periculo incidendi in peccatum mortale, specialissimo modo contra illud esset praemunienda.

VII. In quovis casu valde instandum est, ut serio adhibeantur media perfectionis; quae sunt 1<sup>o</sup> *Oratio* fervens, speciatim mane et vespere, maxime vero adveniente tentatione. Ad orationem reducuntur devotio erga B. V., Angelum Custodem, et Sanctos Protectores; preces novendiales; auditio Missae, et visitatio SS. mi Sacramenti. 2<sup>o</sup> *Meditatio* peragenda sin minus methodice, saltem eo modo quo fieri potest, cogitando de morte, de iudicio, de inferno, de passione D. N. I. C., de praesentia Dei etc.; eliciendo proposita, affectus devotos, et preces. Ad meditationem referuntur bonae reflexiones, sumpta occasione ex aspectu Crucifixi aliisque circumstantiis; item orationes iaculatoriae; dies recollectionis spiritualis quovis mense, et speciatim exercitia spiritualia quovis anno. 3<sup>o</sup> *Lectiones spirituales* speciatim circa vitas Sanctorum et diebus festis. 4<sup>o</sup> *Proposita particularia* quovis mane renovanda circa defectus, in quibus poenitens frequentius labitur. 5<sup>o</sup> *Animo non deiici propter lapsus*, sed humiliari, poenitere, orare, rursus proponere, et bono compensare malum. 6<sup>o</sup> *Examen conscientiae*, quovis vespere cum actu contritionis. 7<sup>o</sup> *Amicitiae spirituales* nempe cum personis vere devotis et virtuosis (non tamen in communitatibus, ut infra explicabitur). 8<sup>o</sup> *Piae uniones*, nempe dare nomen, v. g. ter-

tio ordini S. Francisci, aut aliis piis confraternitatibus, si quae in loco floreat (maxime vero operibus spectantibus ad actionem catholicam hodie adeo necessariam), interveniendo congregationibus etc. 9<sup>o</sup> *Confessio* apud confessarium stabilem quolibet octavo die cum vero poenitentiae spiritu. 10<sup>o</sup> *Communio* etiam infra hebdomadam, si confessarius id permittat; qui tamen communionem quotidianam vel quasi quotidianam concedere non debet, nisi persona spectabili virtute vere praefulgeat, aut propter magnas tentationes illa indigeat. 11<sup>o</sup> *Communio spiritualis*. 12<sup>o</sup> *Mortificatio*, seu iuge studium (etiam in rebus non obbligatoriiis) mortificandi linguam, oculos, gulam, curiositates, et amorem proprium.

978. *Quid de methodo vitae?* Est valde utilis, et servanda, nisi aliquid impraevisum aliter exigat. Statui debet solum circa res principales, et habito respectu ad circumstantias particulares status, familiae etc. Exemplar ordinarie esset sequens. *Singulis diebus*: Mane orationes cum proposito generali et particulari; auditio Missae cum communionem reali vel spirituali; meditatio. Infra diem, piae reflexiones, orationes iaculatoriae; mortificationes; praesentia Dei et oratio in periculis peccandi. Vespere visitatio SS. mi Sacramenti: preces novendiales (si occurrant); rosarium; examen; actus contritionis; orationes consuetae et oblatio mortificationum illo die peractarum. *Singulis hebdomadis*: Dies confessionis; Via Crucis; ieiunium (si expediat) in sabbato; et diebus festis auditio concionis, necnon lectio spiritualis. *Singulis mensibus*: Dies spiritualis recollectionis. *Singulis annis*: Confessio annualis, et (si possibile sit) exercitia spiritualia.

979. *Quid de macerationibus corporalibus?* Quaedam macerationes sanitati nimis noxae nunquam sunt permittendae. Tales sunt, v. g. 1<sup>o</sup> Flagellationes in partibus mollioribus aut super vulnera non adhuc sanata, aut utendo flagello aculeato. 2<sup>o</sup> Cilicia ex filo ferreo ita tenui, ut acmina in carnibus infigantur, aut nimis constricta, aut per-

petuo adhibita. 3<sup>o</sup> Privatio somni, ita ut poenitens minus quam septem horis habitualiter dormiat. Loquendo autem de macerationibus (considerato etiam statu poenitentis eiusque circumstantiis omnibus) omnino moderatis, ordinariæ regulæ sunt sequentes 1<sup>o</sup> Distinguendum est inter casum, in quo poenitens illas petat, et casum in quo nihil petat. In secundo casu, confessarius poterit quidem suadere aliquod ieiunium, vel aliquas exiguas poenitentias; non vero cilicia et flagellationes. In primo casu autem expectet ut poenitens suas petitiones et quidem enixe renovet; quod si accadat, concedat sub duabus conditionibus. Prima ut poenitens sit in humilitate et vera virtute valde fundatus. Secunda ut sub initio parum et solum identidem concedatur. Dixi regulas istas tenendas esse *ordinariæ*: in casu enim magnæ necessitatis et poenitentis ad ardua dispositi, macerationes facilius concedi vel suaderi poterunt.

980. *Quid de mediis adhibendis contra motus carnales?* Imprimis curandum ne suscitentur; unde oportet speciatim prompte et fortiter repellere pravas imaginationes earumque loco bonas substituere: item a quibusdam periculosis corporis positionibus abstinere etc.

Si, absentibus quoque venereis cogitationibus, motus carnales suscitarentur, hi cessare solent ope cuiuslibet distractionis externæ, v. g. ambulando, loquendo cum aliis, laborando etc. Si nihil huiusmodi (v. g. nocturno tempore) fieri posset, iuvare posset semel, vel iterum a respirando se, quantum fieri valet, cohibere, simulque signo crucis se munire, et mentaliter orare.

Ad impediendas pollutiones nocturnas et generatim ad impediendam frequentiam motuum venereorum, non parum etiam iuvare solent balnea frigida in verendis.

Nihil dico de macerationibus supra indicatis, aliisque mediis notissimis.

981. *Quid de votis?* Aliquod votum de re unica vice perficienda (v. g. de oblatione, vel etiam de peregrinatione ad aliquod Sanctuarium) pro circumstantia extraordinaria

facile permitti poterit. Si vero de votis perpetuis ageretur, valde caute procedendum esset; possunt enim esse (propter inobservantiam) occasio peccatorum. Idem dic de votis temporaneis quidem, sed nimis multiplicatis. Generatim loquendo, consideranda est virtus et indoles poenitentis, et in dubio de futura observantia considerandum est etiam, an agatur de re quæ in magnam Dei gloriam redundet, necne. Facilius concedi possunt vota elicita sub conditione quod confessarius quilibet ab iisdem dispensare valeat. Votum non mutandi confessarium eique perpetuo obediendi inconsultissimum et periculosissimum est; et qui illud suadent facile malitiosissime procedunt; seclusa autem malitia, saltem se esse criteriij satis superque inopes palam faciunt. De voto castitatis agam in quaestione sequenti.

982. *Quid de electione status?* Loquendo non de illis qui ex necessitate vel ex obligatione stricta (quæ raro aderit) ad talem vel talem statum adiguntur; sed de simplici consilio pro poenitente, qui ex una parte sit liber in electione, et ex alia sincere illum statum eligere velit, in quo verisimiliter Deo melius servire et salutem æternam facilius assequi possit; bonæ regulæ erunt sequentes.

I. Si poenitens ex una parte erga statum magis perfectum aliquam inclinationem demonstrat, et ex alia habeat vel acquirere possit qualitates eidem statui congruas, confessarius eiusdem status excellentiam tempestive atque iteratis vicibus ei patefaciat.

II. Dictæ qualitates congruæ, in genere loquendo, sunt 1<sup>o</sup> inclinatio constans; 2<sup>o</sup> vita satis casta. Pro statu religioso exiguntur insuper virtutes obedientiæ et mansuetudinis. Nihil dico de sanitate, de dote (quæ pro monasterio exigatur), de consensu parentum etc. Et notandum quod pro statu religioso sine clausura, et speciatim si ageretur de piis foeminarum institutis, quibus infirmorum cura incumbit in hospitalibus, maior virtus aut potius quaedam naturalis frigiditas et indifferentia erga viros

exigitur. Pro statu coelibatus in saeculo, speciatim quoad puellas, regulariter animadvertendum. 1<sup>o</sup> An adsit copia auxiliorum spiritualium (v. g. si in loco praesto sint confessarii zelantes, vel floreat pia congregatio virginum Deo devotarum), idque maxime si poenitens in magnis et extraordinariis tentationibus aut periculis versaretur. 2<sup>o</sup> An aliquo modo adsint etiam media sustentationis. Pro statu praesbyteri saecularis, videndum an ex una parte pro salute aeterna subiecti videatur esse melior vita sacerdotalis quam saecularis, et ex alia an praesumi debeat, quod ille in substantia Ecclesiae utilis (non vero magis noxius quam utilis) futurus sit.

III. Quoad votum castitatis permittendum vel non permittendum puellis, sic dicerem. Si confessarius magis inclinet ad credendum quod puella ad statum virginitatis non vocetur, tunc curet quidem ut bona et virtuosa sit, sed nullum votum (ne temporaneum quidem) ei suadeat, neque vestes et ornamenta, quae a puellis maritum ambientibus adhiberi solent, ei dissuadeat. Si autem magis inclinet ad credendum quod ad statum virginalem vocetur, tunc votum temporaneum (nempe renovandum de solemnitate in solemnitate) ei permittere vel consulere, simulque aliquam modicitatem circa ornamenta suadere poterit. Si denique iam sit moraliter certus de vocatione ad statum virginalem, tunc de electione huius status decise facienda, et de abstinendo prorsus (quantum propriae conditionis decentia permittit) tum a mundano vestiendi modo, tum a saecularibus dissipationibus et conversationibus; nec non de praestandis reliquis, quae a vera Christi sponsa praestari debent, consilium dabit. Si puella in omnibus lubenti animo obediens et constans reperiatur, tunc credo expedire quam maxime ut votum perpetuum ei permittatur: hoc enim magnam firmitatem et promptitudinem in repellendis tentationibus superaddere solet. Suppono tamen quod puella ad minus vigesimum aetatis annum habeat. Adderem, bonam esse cautelam, quod in dicto voto emittendo adicia-

tur conditio quod votum erit perpetuum nisi futurum sit quod confessarius in posterum aliter iudicet.

983. *Quid observandum circa tentationes?*

Observandum I. an adfuerit consensus; qui certe etiam in persona pia et habitualiter valde abhorrente a peccato intervenire potest, non tamen de facili; quo in puncto notari debet quod rudes solum peccatum materiale considerare solent, et facile credunt se esse reos, quamvis requisita ad peccatum formale constituendum non adfuerint. Hinc prae oculis haberi debent principia, quae actionum imputabilitatem respiciunt; quod nempe 1<sup>o</sup> dantur actus (interdum etiam externi) *primoprimum*. 2<sup>o</sup> Ad vere et formaliter peccandum non sufficit cognoscere id quod fit, sed oportet etiam reflectere (saltem in confuso) rem illam esse malam. Dicit autem S. Lig. (*De Pecc. n. 3*): « Potest intellectus « ita rapi a delectatione obiecti oblatis, ut nihil malitiae « moralis in illo advertat ». 3<sup>o</sup> Malum perpetratum in somno non potest esse peccatum (nisi prius aut postea culpa adfuerit). In statu autem semivigiliae (it. *tra la veglia e il sonno*) culpa mortalis adesse nequit. Sicut semisopitus et semifatuus cognoscere potest aliquo modo non solum actionem, sed etiam malitiam actionis, et nihilominus non esse reus peccati mortalis, quia arbitrium tunc remanet ligatum, in statu abnormi versatur, et non est plene liberum; ita dantur etiam interdum (maxime in personis sive hystericeis sive utcumque paroxismis nervosis, qui vix definiri possunt, subiectis) verae dementiae vel semidementiae vel monomaniae transitoriae, modo a passionibus, etiam sine culpa excitatis, modo ab aliis causis, provocatae: unde persona in modo agendi abnormissime atque a consueto diversissime (sive in rebus omnibus, sive etiam solum in re aliqua) procedit, satisque palam facit se tunc non sanae mentis esse. Status autem huiusmodi modo aliquibus horis, modo aliquibus diebus, modo etiam aliquibus hebdomadis perdurare potest. In praxi tamen, quando dementia vel semidementia non est habitualis, non facile pro certa ab-



sentia culpae mortalis (si de re gravi agatur) iudicandum est. Videndum etiam ne forte reatus sit in causa.

Observandum II., quod interdum personae piae conscientia laxa laborant, et, dictaminibus erroneis (non sine animi turbatione) sibi ipsis illudere conantur; vellent enim passionibus suis satisfacere et delectationes sibi procurare absque peccato. Exempla. 1<sup>o</sup> Desiderare (quod certe non licet) ut delectationes carnales accidant sine culpa (v. g. in somno), et, postquam acciderint, gaudere. 2<sup>o</sup> Excedere limites in satisfaciendo ordinariis necessitatibus corporalibus, vel fingere sibi necessitates ubi non adsunt. 3<sup>o</sup> Procurare sibi lenimentum alicuius fastidii ope pollutionis. Aliud est quaerere lenimentum ex tactu vel perfricatione quatenus tactus excitat pollutionem, et haec est vera causa quae fastidium lenit (prout accidit quoad foeminas in quibusdam uteri et stomachi aegrotationibus): idque, quamvis contra delectationem abominatio haberetur, nunquam licet; aliud vero quaerere lenimentum ex tactu, quatenus tactus per se ipsum fastidium lenit (prout accidit in pruritu, qui ex immunditia vel herpete oritur, cui perfrictio lenimentum affert). Quomodo, dices, haec distingui poterunt? R. Si in verendis dolor vel non adesset ullo modo (bene vero esset in utero, stomacho etc.), vel talis esset naturae, ut, si in alia parte (v. g. crure, brachio etc.) foret; ex tactu lenimentum non haberetur, tunc non sic fieret, in tali casu pro illicito standum esset; multo magis si alia indicia superadderentur; si nempe, secunda pollutione, dolor cessaret repente, aut nullus amplius ad tactus prosequendos impulsus tunc haberetur. De rebus istis, quae personarum piarum confessarios in tricis valde conicere solent, egi *ex professo* in *Praxi* (Ed. III. Vol. I. n. 848 III. et n. 893-898). 4<sup>o</sup> Denique dictamina erronea accidere solent in illusionem sibi faciendam praetextu rectae intentionis; dum revera, si libido abesset, certo certius persona aliter se gereret. In praxi inspicendum erit, quid, seclusis passionibus, fieret vel fieri expediret.

In dubio, si actio sit in se honesta, commendanda esset rectitudo intentionis et scrupuli iniici non deberent.

#### 984. *Quid de scrupulis?*

I. Scrupulus est timor inanis, dum scilicet quis timet peccatum ubi non adest. Qui saepe huiusmodi scrupulis laborat, et sine fundamento timet v. g. se consensisse pravis cogitationibus, aut non bene fuisse confessum, aut non bene fecisse poenitentiam sacramentalem, non bene recitasse breviarium, aut prava intentione se in omnibus procedere etc., tunc (maxime si difficile dicto confessarii acquiescat) dicitur scrupulosus.

II. Confessarius curet ut bene intelligat an de veris scrupulis agatur; interdum enim mulieres ad significantes res turpissimas quibusdam utuntur expressionibus, quae res indifferentes aut leviter tantummodo culpabiles indicare viderentur (v. g. in speculo me inspecio; in lecto sto supina; paullulum solatii capio cum catello; iocos facio cum socia etc.). Confessarius interroget an cum malitia haec facta fuerint?

III. Si de veris scrupulis agatur, confessarius firmis verbis tutum reddat poenitentem quod eius timores sunt inanes et prorsus despiciendi. Iubeat ut contra illos agat, dicendo quod, secluso casu in quo iuramentum de peccato vel obligatione emittere possit, libere agat, officium non repetat, communicet, celebret, de vita praeterita nihil accuset etc. Et si poenitens iam dicere inciperet se posse iurare de consensu, confessarius (durantibus scrupulis) id non credat, nisi fateatur se opere externo quoque deliquisse. Pro regula datur etiam, ut vitae non solum praeteritae sed etiam praesentis, confessio de rebus scrupulosis non permittatur; sed haec regula prudentiae confessarii relinquatur; non raro enim (speciatim quoad personas ad scrupulos accusandos iamdiu assuetas, maxime in quibusdam materiis, quae periculum consensus valde involvunt) expedit potius ut confessio audiatur et patientia adhibeatur.

IV. A scrupulosis exigi quidem debet obedientia, nec rationes sunt eis adducendae; sed notandum quod, si scrupuli ex morbo physico procedant, in quadam impossibilitate obediendi versari possunt; voluntas enim phantasiam saepe saepius cohibere nequit.

V. Otium, conversatio cum aliis personis scrupulosis, auditio concionum terrificarum, meditationes de rebus terrificis, examina conscientiae, et confessiones generales, scrupulos augere solent. Haec itaque prohibeantur. Curandum ut scrupulosus (quasi ictericus cui omnia flava apparent) sibi ipsi non credat et distrahatur, nec de suis scrupulis loquatur. In ipsa confessione bono modo ad alia sermo divertendus est.

VI. Scrupulosi benignissime tractandi sunt. Afflictio afflictis addi non debet. Praesertim si de desperatione tententur, fiducia in Deo quam maxime insinuari et Paradisus eis adpromitti debet.

985. *Quid si poenitens res supernaturales, nempe extases, apparitiones cum locutionibus, revelationibus etc. enarraret?* Si extasis deliquium esse potuerit, et si apparitiones, locutiones etc. phantasiae adscribi valeant: tunc de illis non est curandum. Si vero res narratae nullo modo naturales esse possint, tunc cavendum ne sint malitiosae poenitentis ipsius fictiones, aut diaboli illusiones. Signa sunt incohaerentiae; facilitas illa enarrandi (multo magis si poenitens non solum confessario sed aliis quoque ea enarraret); denique turbatio et reluctancia (cum signis superbiae), si confessarius (prout sub initio facere debet) incuriam ostendat et dicat illa esse spernenda. Si autem nulla contradictio notetur, et poenitens simpliciter quidem sed cum quadam verecundia res illas soli confessario patefaciat, et constanter humilis, obediens et tranquillus reperiatur; tunc de bono spiritu (quamvis forte poenitens in aliquos defectus adhuc incideret) iam non erit prudenter (saltem valde) dubitandum. Excipe nisi locutiones et revelationes imprudentias suaderent.

986. *Quid de infestationibus diabolicis?*

I. Hae consistunt in tentationibus non iam ordinariis, sed horribilibus, quae nec solis passionibus (si in complexu considerentur), nec phantasiae, nec malitiosae poenitentis ipsius fictioni adscribi valeant. Antequam itaque confessarius decernat quod vere de infestationibus diabolicis agatur, sedulo consideret an condiciones istae verificentur. Quamvis ad hoc credendum non debeat esse facilis, tamen prorsus incredulus (quasi res istae impossibiles essent) minime sit. Sicut enim (ut patet ex ipsis sacris litteris et ex sensu Ecclesiae quae in Rituali statuit exorcismos etc.) adsunt veri energumeni, ita adsunt etiam verae obsessiones vel infestationes diabolicae: et in praxi accidunt casus in quibus de re ista prudenter dubitari non potest; idque patet etiam ex pluribus vitis Sanctorum, atque ex doctrina theologorum nemine contradicente.

II. In his infestationibus daemon totus in eo est, ut anima orationem, et omnia opera bona prorsus deserat, atque peccata mortalia committat. Modo tyrannico id exigit, et horribiles machinationes adhibet; quae circum circiter sunt sequentes. Sub initio iniicere solet magnam abominationem contra orationem et sacras imagines, maxime vero contra Deum ipsum. Quaerit enim odium Dei et amorem sui. Postea satagit ut anima fidem amittat, blasphemias proferat, Deum maledicat, sacras imagines conculet vel conspurcet, signis contumeliosissimis Eucharistiam spernat, confessionem et communionem deserat etc.; et non raro per vim ad haec cogit. Provocat etiam personam ut illum invocet. In forma visibili (nempe foeminis sub specie viri) apparet<sup>(1)</sup>; praedicta (et maxime amorem) petit; obiecta devotionis aufert; munera offert; fortunam promittit (*omnia tibi dabo si cadens adoraveris me*).

(1) Hodie res ista confirmationem habet ab experimentis spiritisticis, ut videre est in CIVILITATE CATHOLICA (q. 1240 pag. 400, 15 Febr. 1902), ubi de Spirituum materializatione verba fiunt.

Nisi autem his mediis consensum obtineat, violentiam physicam facit; per vim (et forte utendo rebus sacris) personam polluit, vel etiam ad copulam cogit et stuprum perpetrat. (Cf. Scaramelli *Directt. mist. V. xi. 123*). Dein immittit persuasionem quod peccata horribilia iam commissa fuerint, in desperationem personam miserrimam conicere procurat, et forsitan de suicidio illam tentat. Ea autem adhuc reluctante, ad percussiones, adustiones, vulnera, et uno verbo ad cruciatus vix credibiles recurrit. Denique, ut inducat ad peccatum solet etiam dicere quod si persona in vita illi sine difficultate consentiat, illam liberam et quietam relinquet in morte, ut possit salvari; sed e contra, si difficultates opponat, eandem tam in vita quam in morte ad peccatum trahet; et sic certo certius damnabitur. Haec ultima tentatio maior et terribilior omnibus aliis esse solet. Status plus vel minus huiusce generis longo tempore multisque annis durare potest.

III. Confessarius quam maxime sollicitus erit de tribus; nempe 1° de fortitudine et constantia; 2° de profectu in virtutibus; 3° de liberatione.

Quoad fortitudinem et constantiam, a periculo damnationis, a praemio extraordinario in Paradiso, a purgatorio quod persona evitabit, a Deo pro quo dimicat et a quo semper adiuvabitur etc. argumenta sumat. Maximam necessitatem directionis et obedientiae ostendat. Bonis modis utatur, et horroris signa non det. Corrigit autem si aliquo modo et a longe cedere inciperet. Non facile credat quod vere deliquerit; et quamvis de hoc dubitaret, caveat ne miserae animae iam de desperatione heu nimis tentatae dubium suum ostendat; sed potius exhortationes adaugeat et orationem atque fortitudinem magis magisque commendat. Dixi *non facile credat quod vere deliquerit*; ut plurimum enim Deus in animabus piis id non permittit; et valde facile est quod, propter defectum cognitionis aut libertatis, ea, quae perpetrata fuerunt, vera peccata formalia non fuerint. Recolendum quod diabolus potest

1° violare personam per vim sicut faceret homo; 2° cogere vi physica eius manus (non obstante voluntatis repugnantia absoluta) ad tactus, aut eius linguam ad blasphemias (S. Lig. *Prax. n. 111*); 3° inducere illam in statum similem semiebrio, aut eius passiones adeo repente et vivide commovere et intellectum ita obfuscare, ut malitiam non advertat. Cf. S. Lig. (*l. c.*).

Quoad profectum in virtutibus, curabit ut poenitens se profundissime humiliet, Dei dispositionibus se resignet etc.

Quoad liberationem, media praecipua sunt 1° Oratio fervens (interponendo etiam patrocinium Ss. Iulii et Gaudentii). 2° Ieiunium. 3° Actus profundissimae humilitatis. 4° Exorcismi (qui fieri possunt etiam privatim, atque non stando formae Ritualis, imo ab ipsa persona infestata; privatim enim licentia Episcopi non exigitur). 5° Signum crucis. 6° Usus aquae benedictae. 7° Retentio Reliquiarum et aliorum verborum Evangelii.

IV. Denique confessarius (maxime si agatur de mulieribus) caveat ne compassione ductus aliquas imprudentias committat; et reminiscatur quod Daemon non solum poenitentis, sed etiam confessarii ruinam, et scandalum publicum, machinari potest.

## ARTICULUS II.

### *De confessario monialium.*

987. *Quid speciatim curandum a confessario monialium?* 1° Ut scientiam sufficientem habeat. 2° Ut existimationem et quamdam venerationem sibi conciliet. 3° Ut moniales plena confidentia propriam conscientiam ei pandant. 4° Ut ipsae verum profectum faciant. 5° Ut erga illum genialitatem non concipiant; nec 6° aversionem. 7° Ut procuret pacem communitatis.

988. *Quomodo scientiam sufficientem habebit?* Praeter theologiam moralem, et normas supra enuntiatas pro

Nisi autem his mediis consensum obtineat, violentiam physicam facit; per vim (et forte utendo rebus sacris) personam polluit, vel etiam ad copulam cogit et stuprum perpetrat. (Cf. Scaramelli *Directt. mist. V. xi. 123*). Dein immittit persuasionem quod peccata horribilia iam commissa fuerint, in desperationem personam miserrimam conicere procurat, et forsitan de suicidio illam tentat. Ea autem adhuc reluctante, ad percussiones, adustiones, vulnera, et uno verbo ad cruciatus vix credibiles recurrit. Denique, ut inducat ad peccatum solet etiam dicere quod si persona in vita illi sine difficultate consentiat, illam liberam et quietam relinquet in morte, ut possit salvari; sed e contra, si difficultates opponat, eandem tam in vita quam in morte ad peccatum trahet; et sic certo certius damnabitur. Haec ultima tentatio maior et terribilior omnibus aliis esse solet. Status plus vel minus huiusce generis longo tempore multisque annis durare potest.

III. Confessarius quam maxime sollicitus erit de tribus; nempe 1° de fortitudine et constantia; 2° de profectu in virtutibus; 3° de liberatione.

Quoad fortitudinem et constantiam, a periculo damnationis, a praemio extraordinario in Paradiso, a purgatorio quod persona evitabit, a Deo pro quo dimicat et a quo semper adiuvabitur etc. argumenta sumat. Maximam necessitatem directionis et obedientiae ostendat. Bonis modis utatur, et horroris signa non det. Corrigit autem si aliquo modo et a longe cedere inciperet. Non facile credat quod vere deliquerit; et quamvis de hoc dubitaret, caveat ne miserae animae iam de desperatione heu nimis tentatae dubium suum ostendat; sed potius exhortationes adaugeat et orationem atque fortitudinem magis magisque commendat. Dixi *non facile credat quod vere deliquerit*; ut plurimum enim Deus in animabus piis id non permittit; et valde facile est quod, propter defectum cognitionis aut libertatis, ea, quae perpetrata fuerunt, vera peccata formalia non fuerint. Recolendum quod diabolus potest

1° violare personam per vim sicut faceret homo; 2° cogere vi physica eius manus (non obstante voluntatis repugnantia absoluta) ad tactus, aut eius linguam ad blasphemias (S. Lig. *Prax. n. 111*); 3° inducere illam in statum similem semiebrio, aut eius passiones adeo repente et vivide commovere et intellectum ita obfuscare, ut malitiam non advertat. Cf. S. Lig. (*l. c.*).

Quoad profectum in virtutibus, curabit ut poenitens se profundissime humiliet, Dei dispositionibus se resignet etc.

Quoad liberationem, media praecipua sunt 1° Oratio fervens (interponendo etiam patrocinium Ss. Iulii et Gaudentii). 2° Ieiunium. 3° Actus profundissimae humilitatis. 4° Exorcismi (qui fieri possunt etiam privatim, atque non stando formae Ritualis, imo ab ipsa persona infestata; privatim enim licentia Episcopi non exigitur). 5° Signum crucis. 6° Usus aquae benedictae. 7° Retentio Reliquiarum et aliorum verborum Evangelii.

IV. Denique confessarius (maxime si agatur de mulieribus) caveat ne compassione ductus aliquas imprudentias committat; et reminiscatur quod Daemon non solum poenitentis, sed etiam confessarii ruinam, et scandalum publicum, machinari potest.

## ARTICULUS II.

### *De confessario monialium.*

987. *Quid speciatim curandum a confessario monialium?* 1° Ut scientiam sufficientem habeat. 2° Ut existimationem et quamdam venerationem sibi conciliet. 3° Ut moniales plena confidentia propriam conscientiam ei pandant. 4° Ut ipsae verum profectum faciant. 5° Ut erga illum genialitatem non concipiant; nec 6° aversionem. 7° Ut procuret pacem communitatis.

988. *Quomodo scientiam sufficientem habebit?* Praeter theologiam moralem, et normas supra enuntiatas pro

directione animarum piarum, scire debet 1º regulas et constitutiones monasterii proprias; 2º motiva et instructiones circa virtutes, quae apud Rodriguez, Scaramelli aliosque asceticos inveniuntur.

989. *Quomodo existimationem et quamdam venerationem sibi conciliabit?* Ad hoc doctrina non sufficit, sed virtutes in confessario ipso exiguntur; et speciatim devotio, recollectio, mortificatio, patientia, diligentia, maxime vero prudentia et gravitas.

990. *Quomodo obtinebit ut moniales plena confidentia propriam conscientiam ei aperiant?* Taedium, impatientiam et festinationem non ostendat; a praebendis signis cuiusdam specialis existimationis caveat; admirationem de peccatis accusatis (quamvis gravissima essent) non demonstret, et verecundiam praepeditas valde adjuvet (ipsae enim ad alios confessarios non facile divertere possunt, et vae si sacrilegiis se assuefacerent!). Denique ne suspectum, imo ne umbram quidem praebet quod confessionibus ad aliquid exterius agendum vel dicendum aliquo modo utatur.

991. *Quomodo praebere posset suspectum de usu confessionum?* Si moniales rescirent quod de monasterio aut de aliqua moniali cum famulis conventus aut cum aliis extraneis loquatur; si longa et frequentia colloquia haberet cum abbatissa vel aliqua moniali extra confessionem; vel si abbatissae diceret quod cum tali moniali tali vel tali modo se gerere debet; si in ipso confessionali cum una sermonem iniiceret de alia, maxime vero si circa hanc vel illam inquisitiones faceret, aut si cum educandis de monialibus loqueretur; si, intelligendo in confessione peccata commissa cum complicibus, vel quod talis vel talis inordinatio in monasterio acciderit, de cognoscendis personis se curiosum ostenderet; si confessione unius uteretur ad magis interrogandam vel ad corrigendam aliam; si ex confessione unius audito defectu de alia, postea aliquo modo ostenderet talem defectum iam esse sibi notum; si faceret correctiones de rebus exterius quidem notis, sed ita ut moniales correctae

susplicari possent quod in confessionali notitiam habuerit; si has vel illas laudaret, et de aliis taceret; si in electione abbatissae aut discretarum aut in distributione officiorum se ingereret, vel quomodolibet satis indicaret se potius pro una quam pro alia propensum esse; si confessariis extraordinariis vel concionatoribus monita aliqua suspectuum et futurarum querimoniarum periculosa daret; si ipse sponte sua conciones Communitati facere vellet; aut si in concionibus, quae forte essent de more, magnam cautelam non adhiberet. Periculum adesset quoque si extra confessionale pacem componendi munus susciperet.

992. *Quomodo procurabit ut quaelibet monialis verum profectum faciat?* Instando pro exercitio virtutum, atque observantia regularum et constitutionum.

993. *Quaenam sunt virtutes monialibus magis necessariae?* 1º Amor Dei, factis et sacrificiis ostendendus. 2º Obedientia quae sit coeca, prompta, exacta, et libenti animo in rebus quoque amori proprio repugnantibus exercenda. 3º Charitas erga sorores; unde monialis caveat ne de aliqua obmurmuret, ne aliquam offendat, contristet, vel nimis oneret; item procuret ut alias, quantum potest, adjuvet et consoletur; denique sit patiens, et mansueta, atque ad veniam pro amore Dei ex corde concedendam semper parata. 4º Castitas. 5º Paupertas. 6º Iuge exercitium mortificationum, quarum maiorem numerum possibilem unaquaque monialis Iesu Crucifixo sponso suo in signum amoris quovis vespere (ut supra innui) offerat.

994. *Quid de observantia regularum et constitutionum?*

I. Regulae et constitutiones sunt media, quibus moniales ad vota observanda et virtutes exercendas uti debent. Aliquid aliud superaddere ut plurimum nocet et vix unquam expedit; particularitates enim (quamvis forte in se optimae) plus vel minus communitatem turbant. Procurandum potius ut illa omnia quae a regulis praescribuntur (v. g. confessiones, Communiones, exercitia spiritualia, meditatio-

nes, lectiones spirituales, orationes iaculatoriae, psalmodiae, disciplinae, ieiunia etc.) non iam defectuose vel ex quadam sterili consuetudine, sed exacte cum internis dispositionibus et ex vero spiritu atque cum fructu, peragantur.

II. Caveat confessarius ne sub suo regimine abusus vel relaxationes introducantur. Si autem abusus notorii et manifestissimi (speciatim circa clausuram et collocutionem cum exteris) iam adsint, Episcopum consulat.

III. Monialibus dispensationes, exemptiones, particularitates et licentias quaerentibus suadeat ut nihil petant, nisi rationes vere urgentes afferant; quo casu eas ad Superiorissam remittat. Ipse autem nec intercessoris partes in se assumat, nec auctoritate propria (quam ex consuetudine non habeat) dispensare praesumat.

IV. Curandum ut moniales, quae aliquid momentosum omittere cogantur, alia hora vel alio modo (si possint) suppleant.

V. Regula, quae forte magis aliis cordi debet esse confessario, est silentium. Ex collocutionibus cum exteris (quamvis essent Religiosi); ex nimis frequentibus collocutionibus cum ipsis consanguineis; ex notitiis mundanis; ex colloquiis inter ipsas moniales (extra horam recreationis), et uno verbo ex lingua iuxta religiosum silentium accurate non custodita, non solum dissipationes, sed etiam magnae monasteriorum inordinationes, oriri solent.

995. *Quomodo cavebit confessarius ne ulla ex monialibus genialitatem erga illum ipsum concipiat?* Privilegiatas, seu (ut vulgo dicitur) beniaminas, non habeat. Si aliqua maiori assistentia vel patientia indigeat, se quidem praestabit, sed moderate: imo identidem citius illam quam alias dimittat. Frequentiorem ad confessionem accessum ex consuetudine nemini permittat; et, data necessitate, quo citius fieri poterit, se expediat. Collocutiones ad rotas vel crates (speciatim in longum potraetas, maxime vero tempore nocturno) prorsus evitet. Quando monialibus sacristiae addictis aliquid dicere debeat, brevissimus sit. Si animad-

verteret quod aliqua (v. g. ex nimia facilitate loquendi de illo) ad genialitatem de facto inclinaret, cum ea cautissime procedat. Si, distribuendo monialibus SS. mam Eucharistiam, notasset, aliquam ad Communionem non accessisse, de hoc illi nihil dicat.

996. *Quomodo procurabit ne aversiones contra seipsum excitet?* Quilibet defectus plus vel minus aversiones excitat; sed speciatim prae oculis habebit sequentia.

I. Caveat ne aliquas, v. g. vetulas, rudes, conversas, infirmas etc. negligat, vel negligere videatur; maxime si neglectae magnis spiritus tribulationibus subiicerentur et maiori assistentia indigerent. Dum tamen maiorem istam assistentiam praebet, ne idipsum alias criterii inopes vel ad zelotypiam inclinatam offendant, identidem has quoque magis aliis detineat. Si ope monialis sacristiae addictae modo haec modo illa petat in confessione audiri extra proprium diem, et si contingere possit quod interdum annuere nequeat, tunc iubeat ut eadem monialis nomen petentium nunquam significet.

II. Confessionale in locum inquisitionum et delationum non convertat; nec inquiret an haec vel illa dicat aliquid de seipso, vel diu commorata fuerit in confessionali apud Extraordinarium etc.

III. Bonis modis procedat, et, si sit indole iracundus, circa hunc suum defectum valde vigilet. Corrigat quidem, sed ad paulo acriorem correctionem non procedat, nisi forte sciat quod monialis in bonam partem sit illam exceptura. Cum quibusdam meliorem opportunitatem expectare, vel etiam omnino dissimulare oportet, ne peius accidat. Si petitionibus annuere nequeat, displicentiam ostendat. Nimio imperio non procedat; neque in exigendis rebus, quae vix aut ne vix quidem obtineri possunt, obstinatus persistat.

IV. Novitates, quamvis optimae viderentur, non introducat: nisi forte Communitas illas desideraret nihilque turbarent atque Episcopi consensus accederet. Quoad ipsos

abusus evellendos valde caute et prudenter procedat atque Episcopum consulat.

V. In rebus quae ad syndicos vel superiorissam spectant se ingerere non sibi arroget. Tempore Extraordinarii ad monasterium non accedat, neque ad monialem aliquam scribat.

VI. Monialibus superiorissae contrariis non faveat, sed potius illas corrigit. Quoad novas electiones aut officiorum distributiones, caveat (ut supra dicebam) ne huic vel illi (maxime si partes invicem contrariae ferverent) se opponat.

VII. Si aliqua monialis extra tempus Extraordinarium petere vellet, non se opponat. Si tamen id ex defectu proprio (v. g. ex nimia severitate vel impatientia) provenisset, tunc monialem id minitantem quietam reddere satagat, et se ipsum emendet. Res huiusmodi enim communitatem valde turbare solet, et tunc confessarius in illo monasterio parum perdurare posset.

VIII. Servitium suum diligenter et exacte praestet: a monasterio munera, servitia, pecuniam mutuam etc. non petat; et si apud monasterium ipsum habitationem et victum haberet, de omnibus contentum se ostendat, alios ad mensam non invitet, nocturno tempore foris non maneat; uno verbo gravamen nullum et turbationem nullam communitati afferat.

IX. Finito triennio, pro confirmatione obtinenda nihil dicat et nihil agat.

997. *Quomodo confessarius pacem communitatis procurabit?* Illa omnia, quae hucusque dicta sunt, valent etiam ad pacem communitatis obtinendam; si enim ex una parte moniales sint obedientes, patientes, charitatis vinculo unitae, recollectae, observantes, a particularitatibus alienae, mortificatae etc.; et ex alia confessarius adhibeat omnes et singulas cautelas supra indicatas, iam pax communitatis vix turbari poterit. Nihilominus duo notari debent. Primum est quod amicitiae particulares (quamvis in virtute fundarentur et in saeculo optimae essent) in communitatibus noxiae sunt

et pacem turbant. Secundum est quod electio superiorissae non raro solet esse occasio turbationum. Confessarius (ut dixi) non debet quidem se ingerere quoad personam monialis eligendae; sed niti debet ut singulae 1º orent; 2º considerent quanam maiori prudentia, dexteritate, charitate et regularis observantiae zelo pollere videatur; 3º taceant.

998. *Quomodo se gerere debet confessarius quoad directionem superiorissae?* Curabit ut muneri suo satisfaciat; nempe 1º moniales suas omnes, tamquam filias dilectissimas, nulla distinctione facta, amet; quamlibet libenter auscultet; nec ullo modo consideret, quod hae vel illae in electione contrariae ei fuerint. 2º Delationibus fidem coecam non praestet, quamvis a suis confidentibus factae fuissent, sed cautas informationes capiat; et, si corrigere debeat, id (saltem prima vice et ordinarie) faciat privatim. 3º Regularem observantiam procuret, et ipsa suo exemplo omnibus praebeat. 4º Abusus, si qui sint, prudenter avellere satagat. 5º Sollicitudinem adhibeat ut infirmae non solum curentur, sed etiam ab aliis consororibus identidem visitentur. 6º Quoad expensas, ab avaritia simul et a luxu atque superfluitate absteineat. 7º Tam in admittendis novitiis, quam in illis eiciendis magna consideratione procedat; agitur enim de re, in qua sive contra bonum monasterii, sive contra iustitiam, gravissime delinquendi periculum subsistere potest. 8º In circumstantiis extraordinariis Episcopum tempestive consulat.

999. *Quid si in monasterio adesset educandatus?*

I. Confessarius curabit ut unaquaeque educanda perpendat scopum educandatus ipsius, et quantum oporteat ut illi respondeat.

II. Maxime cordi ei sit ut educandae non solum attendant studiis, et exercent actus religiosos, sed etiam (imo praecipue) ut virtutes christianas acquirant, unde evadant habitualiter obedientes, patientes, humiles, castae, modestae, laboriosae, diligentes, maxime vero erga Deum et

proximum charitate flagrantes. Curet etiam ut earundem magistrae eundem scopum sibi praefigant, illique magno zelo et diligentissime insistant; non raro enim contingit quod puellae longe meliores evasissent si domi retentae fuissent.

III. Efficiendum ut puellae educandae non solum legem Dei, sed etiam consilia evangelica cognoscant, et circa modum non errandi et bene se gerendi in electione status edoceantur.

IV. Expediret ut pro Exercitiis spiritualibus conciones non simul cum monialibus bene vero seorsim audirent, sed confessarius auctoritate sua mutationes facere non posset.

V. Antequam aliqua educanda domum suam revertatur, contra mundi pericula sedulo praemuriri debet.

1000. *Quid de confessario extraordinario?* 1º Neque familiarem neque contrarium se ostendat ordinario. 2º Audiendo lamenta contra ordinarium, illum, quantum potest, excuset. 3º Nisi agatur de re clara et gravi, eius directionem non immutat, nec eius decisiones et consilia censuret. 4º Si vocatus fuerit extra tempus solum pro aliqua moniali, curare debet ut illa in posterum singularitatem istam (nisi ratio vere gravis subsistat) evitet.

## CAPUT VII.

### De Concionatoribus.

#### ARTICULUS I.

##### *De scopo sacrae praedicationis.*

1001. *Quemnam finem concionatores sibi praefigere debent?* Non laudes, non plausum; sed fructum. Dicebat S. Bernardus: « Non sibi plausum, sed mihi planctum moveat », et S. Hieronymus: « Lacrymae auditorum laudes tuae sint ». Qui non fructum, sed gloriam suam quaerit,

est proditor officii sui. Proditor, quia non adimplet suam missionem, et mandatum Christi « Elegi vos... ut eatis et « fructum afferatis ». Proditor, quia, dum ex officio gloriam Dei quaerere deberet, non illam sed propriam quaerit. Proditor denique, quia Christifidelibus damnum infert; imo et iniuriam; illos enim piscuo salutari quo adeo indigent, quod expectant et ad quod ius habent, iniquissime privat « Parvuli petierant panem, et non erat qui frangeret eis ». Adde scandalum; huiusmodi enim praedicationis sterilis et inutilis, quae tamen (propter flores, argumenta sublimia etc.) plausum conciliat, ad modum contagii facile extenditur et fit frequens. Sic autem perinde est ac si Ecclesia longe lateque praedicatione privetur. Sed re ista quid perniciosius? Sanchez dicere non dubitavit, praedicatores huiusce generis inter maiores Ecclesiae persecutores esse recensendos. Et profecto, quatenus maior persecutio quam praedicatione Ecclesiam privare, et populum Christianum damno adeo magno (exinde enim animarum innumerabilium damnatio aeterna proveniet) afficere? In hoc itaque peccatum mortale sine dubio reponi debet; unde iure optimo Cornelius a Lapide (*Luc. VI. 26*) aperte dicit: « Praedicator qui plausum quaerit, non conversionem populi, « damnabitur; tum quia praedicationis officio ad laudem « non Dei sed suam abutitur; tum quia salutem tot animarum sibi creditam (*et quidem ut plurimum mercede « recepta*) impedit et avertit ». Reapse Ezechielis *Cap. III* haec terribilia verba leguntur: « Si, dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei..., ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius « de manu tua requiram ». Adde circumstantias specialissimas nostrorum temporum. Pericula, peccata et delicta in immensum creverunt. Media plurima providendi salutis animarum nobis ablata fuerunt. Unum tamen non exiguae sed magnae imo maximae efficaciae adhuc nobis relinquitur: nempe libertas loquendi ad multitudines. Sed quid si medium istud nos ipsi inutile reddamus; et, dum multi-



proximum charitate flagrantes. Curet etiam ut earundem magistrae eundem scopum sibi praefigant, illique magno zelo et diligentissime insistant; non raro enim contingit quod puellae longe meliores evasissent si domi retentae fuissent.

III. Efficiendum ut puellae educandae non solum legem Dei, sed etiam consilia evangelica cognoscant, et circa modum non errandi et bene se gerendi in electione status edoceantur.

IV. Expediret ut pro Exercitiis spiritualibus conciones non simul cum monialibus bene vero seorsim audirent, sed confessarius auctoritate sua mutationes facere non posset.

V. Antequam aliqua educanda domum suam revertatur, contra mundi pericula sedulo praemuriri debet.

1000. *Quid de confessario extraordinario?* 1º Neque familiarem neque contrarium se ostendat ordinario. 2º Audiendo lamenta contra ordinarium, illum, quantum potest, excuset. 3º Nisi agatur de re clara et gravi, eius directionem non immutat, nec eius decisiones et consilia censuret. 4º Si vocatus fuerit extra tempus solum pro aliqua moniali, curare debet ut illa in posterum singularitatem istam (nisi ratio vere gravis subsistat) evitet.

## CAPUT VII.

### De Concionatoribus.

#### ARTICULUS I.

##### *De scopo sacrae praedicationis.*

1001. *Quemnam finem concionatores sibi praefigere debent?* Non laudes, non plausum; sed fructum. Dicebat S. Bernardus: « Non sibi plausum, sed mihi planctum moveat », et S. Hieronymus: « Lacrymae auditorum laudes tuae sint ». Qui non fructum, sed gloriam suam quaerit,

est proditor officii sui. Proditor, quia non adimplet suam missionem, et mandatum Christi « Elegi vos... ut eatis et « fructum afferatis ». Proditor, quia, dum ex officio gloriam Dei quaerere deberet, non illam sed propriam quaerit. Proditor denique, quia Christifidelibus damnum infert; imo et iniuriam; illos enim piscuo salutari quo adeo indigent, quod expectant et ad quod ius habent, iniquissime privat « Parvuli petierant panem, et non erat qui frangeret eis ». Adde scandalum; huiusmodi enim praedicationis sterilis et inutilis, quae tamen (propter flores, argumenta sublimia etc.) plausum conciliat, ad modum contagii facile extenditur et fit frequens. Sic autem perinde est ac si Ecclesia longe lateque praedicatione privetur. Sed re ista quid perniciosius? Sanchez dicere non dubitavit, praedicatores huiusce generis inter maiores Ecclesiae persecutores esse recensendos. Et profecto, quatenus maior persecutio quam praedicatione Ecclesiam privare, et populum Christianum damno adeo magno (exinde enim animarum innumerabilium damnatio aeterna proveniet) afficere? In hoc itaque peccatum mortale sine dubio reponi debet; unde iure optimo Cornelius a Lapide (*Luc. VI. 26*) aperte dicit: « Praedicator qui plausum quaerit, non conversionem populi, « damnabitur; tum quia praedicationis officio ad laudem « non Dei sed suam abutitur; tum quia salutem tot animarum sibi creditam (*et quidem ut plurimum mercede « recepta*) impedit et avertit ». Reapse Ezechielis *Cap. III* haec terribilia verba leguntur: « Si, dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei..., ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem eius « de manu tua requiram ». Adde circumstantias specialissimas nostrorum temporum. Pericula, peccata et delicta in immensum creverunt. Media plurima providendi salutis animarum nobis ablata fuerunt. Unum tamen non exiguae sed magnae imo maximae efficaciae adhuc nobis relinquitur: nempe libertas loquendi ad multitudines. Sed quid si medium istud nos ipsi inutile reddamus; et, dum multi-

tudines (et quidem interdum ingentissimae) ad Ecclesias nostras accurrunt, vel nihil dicamus, vel conciones nullius aut fere nullius fructus faciamus? Aliqui distinctionem faciunt inter conciones fructus, et conciones quae ad fructum minime dirigantur; quasi scilicet conciones fructuosae reservari debeant ad Missiones, et liceat in Adventu et Quadragesima, maxime vero in panegyricis, ad fructum nihil vel parum attendere. Dicunt: Nos non sumus Missionarii; sumus praedicatores. Pessima distinctio! Nunquid enim salvari debent solum qui ad Missiones se conferunt? Nonne potius intentio Ecclesiae est ut praedicatio Adventus et Quadragesimae tota eo dirigatur, ut Christifideles veram poenitentiam faciant, et sic ad SS. mi Natalis et Paschatis sollemnia rite celebranda disponantur? Et quoad orationes panegyricas, nonne praedicator (pariter ex intentione Ecclesiae) totus in eo esse deberet ut auditores ad imitandas Sanctorum virtutes moveantur et toto corde inflammentur? Si peteres quomodo cognoscatur an conciones fuerint revera fructuosae, responderem: Respice effectum, an scilicet sequantur conversiones, an peccatores ad confessionem accedant, an magna affluentia poenitentium apud confessionalia conspiciatur etc. S. Franciscus Salesius dicebat: (*versio latina*) « Finita concione, nollem audire  
« dicentes: quam facundus orator, quanta memoria, quanta  
« doctrina, quam bona actio etc.: sed vellem ut omnes  
« exirent taciturni, et solum cogitantes de necessitate  
« mutandi vitam ».

1002. *Quaenam sunt media ut in sacra praedicatione fructus obtineatur?* Praecipua sunt: eligere argumenta magis opportuna. Illa ita pertractare ut salutarem in omnibus auditoribus efficaciam habeant. Denique vitae exemplaritate verbis vim addere. Haec sunt explicanda.

## ARTICULUS II.

*De recta electione argumentorum.*1003. *Quid de eligendis argumentis magis opportunis?*

I. Quaedam argumenta specialiter et directe fidem respiciunt, et dici solent *polemica* vel *apologetica*. Huiusmodi sunt, v. g. conciones de existentia Dei, eiusque attributis; de anima humana, eiusque spiritualitate atque immortalitate; de statu supernaturali, et de revelatione; de religione christiana catholica quoad veritatem, necessitatem, obligationem, atque utilitatem; de periculis amittendi fidem (v. g. de impiis sectis, libris, diariis etc.); de modis fidem conservandi; denique de innumeris obiectionibus sive contra sana principia philosophica, moralia, socialia; sive contra dogmata, sive contra Ecclesiam, eiusque gesta, leges etc.

II. Alia argumenta specialiter et directe respiciunt mores, aut omnibus indiscriminatim obligationibus aptantur, et dicuntur *moralia*. Huiusmodi sunt conciones, v. g. de novissimis, de malitia peccati; de procrastinatione; de amore Dei; de misericordia Dei; de diversis peccatis contra legem Dei, vel Ecclesiae, vel munera proprii status; de virtutibus; de consiliis evangelicis; de periculis et tentationibus; de Sacramentis aliisque mediis salutis etc.

III. Pro recta electione argumentorum in casibus particularibus, considerare oportet quaenam conciones indicari debeant magis fructuosae et convenientes, attenta 1° auditorum spirituali necessitate; 2° eorundem instructione et capacitate; 3° concionatoris ipsius idoneitate.

IV. In locis ab hodierna incredulitate invasis, cuiusmodi apud nos esse solent civitates et oppida, argumenta apologetica, si bene et nervose tractentur, utilissima et necessaria sunt, ob tres rationes: nempe 1° advocant ad Ecclesiam etiam multos incredulos, in iisque plus vel mi-

nus salutarem impressionem faciunt. 2<sup>o</sup> Confirmant in fide fideles, maxime vero illos qui propter obiectiones et impietates auditas in illa vacillant. 3<sup>o</sup> Respectum et estimationem religioni conciliant. Hinc S. C. Epp. et RR. (*Encycl. 31 Jul. 1894*) dicit: « Nec vero collationum polemicarum usum damnandum existimamus, quae si recte perficiantur, et ipsae admodum utiles, imo etiam necessariae, tot inter errores contra religionem sparsos, quandoque esse possunt ».

V. Attamen ordinarie conciones debent esse non polemicae sed morales. Rationes sunt sequentes. 1<sup>o</sup> Conciones morales iuvant et quam maxime necessariae sunt omnibus, polemicae vero (attentis personis quae ad Ecclesiam concurrere solent, aliisque circumstantiis) ordinarie iuvant paucis, prout eadem S. C. (*Encycl. cit. n. 3*) aperte dicit, et subdit: « Huiusmodi apologiae in iis tantummodo locis, iisque temporibus, atque iis auditoribus faciendae sunt, qui vere illis egeant, et a quibus aliquod spirituale emolumentum reipsa sperari possit ». 2<sup>o</sup> Conciones polemicae a paucis concionatoribus recte perfici valent; unde in eadem Encyclica dicitur: « Cuiusvis humeri onus non sunt, sed solummodo robustiorum: imo ipsi maxime strenui oratores, magna debent prudentia uti ». 3<sup>o</sup> Nisi in iisdem magna prudentia, cautela et parsimonia adhibeatur, valde periculosae esse et magis malum quam bonum producere possent; est enim valde facile quod deserviant ad fidem imminendam, quatenus (ut eiusdem S. C. verbis utar) « altius defixi errores inhaereant, quam oppositae veritates, magisque percillant animos obiecta quam responsa ». Praeterea (ut notat ipsa S. C.) periculum est « ne frequentior, quam par est, harum collationum usus aestimationi noceat et desiderio moralium concionum, quasi vero istae inferioris ordinis ac minoris momenti sint, quam polemicae, ac proinde praedicatorum et auditorum vulgo relinquendae ». 4<sup>o</sup> Conciones morales etiam a praedictis maxime strenuis concionatoribus, saltem aliquando, fieri debent; unde eadem

S. C. dicit: « Etiam valentiores et celebriores oratores, in auditorum conspectu quantumvis electissimo ac frequentissimo moralem praedicationem deberent, saltem aliquando, sincero zelo exercere. Quod nisi fiat, frequentes isti auditores semper de erroribus disserere audirent, qui saepenumero iis, qui intersunt, nequaquam reperiantur; nunquam vero de culpis vitiisque, quae in his potius auditoribus, quam fortasse in aliis profecto vulgaribus, abundare solent ». 5<sup>o</sup> Quod deservit ad mores reformandos deservit etiam ad fidem tuendam. Enimvero dissolutio morum est magna causa et dispositio proxima incredulitatis, quae potius a corde quam ab intellectu provenit (« Dixit insipiens in corde suo non est Deus »). Hinc qui volunt miseris iuvenibus fidem auferre, semper incipiunt ab illis corrumpendis circa mores, et factum constans est quod a vitio, non autem a virtute, ad inerudelitatem transitus fit. Efficite itaque ut populi sint bene morati, et tunc ad recipiendum semen incredulitatis terra propitia minime erunt. Quod autem magis deservit ut ipsi increduli ad fidem convertantur, est gratia Dei et abiectio peccati, iuxta illud (*Io. III. 21*): « Qui facit veritatem venit ad lucem »; idque patet manifestissime ex sacris missionibus, quae multo magis quam conciones polemicae, incredulos convertere atque ad confessionem trahere solent. Nec aliter senserunt Viri sancti. Parochus *d' Ars*, incredulis pro disputationibus circa religionem ad illum venientibus indicabat genuflexorium confessionibus destinatum, et ope simplicis confessionis illos ad poenitentiam simul et fidem reducebat. Legitur autem de S. Francisco Salesio, quod septuaginta duo millia haeticorum, absque polemica ulla, convertit. 6<sup>o</sup> Denique materiam ordinariam sacrae praedicationis esse argumenta moralia patet ex verbis divini Redemptoris nostri: « Praedicate Evangelium.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis »; item patet ex Tridentino dicente (*Sess. V. C. II*): « Annuntiantes eis vitia,

« quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut  
 « poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi  
 « valeant ». Maxime vero patet ex ipsa rei natura; ex  
 neglectu enim concionum moralium, etiam quoad illos qui  
 Ecclesiam frequentant, ignorantia maxima in rebus quoque  
 summe necessariis, perseverantia in peccatis, atque adeo  
 innumerabilium personarum damnatio aeterna, sequeretur.  
 Hinc eadem S. C. (*l. c.*): « Ex quibus omnibus manifesto  
 « liquet, symbolum, decalogum, Ecclesiae praecepta, Sa-  
 « cramenta, virtutes et vitia, varia hominum officia pro  
 « conditionis cuiuscumque varietate, hominis novissima,  
 « aliasque id genus veritates ordinariam debere sacrae  
 « praedicationis materiam constituere. Atqui haec gravis-  
 « sima argumenta a multis divini verbi praeconibus indi-  
 « gnium in modum negliguntur ».

VI. Nec silentio praetereundum est quod, si repre-  
 hendi debet neglectus concionum moralium et excessus  
 polemicarum, a fortiori reprehendenda sunt quaedam con-  
 ciones vanissimae, de quibus eadem S. C. (*l. c.*) dicit:  
 « Omnino a christianis suggestibus vaniloquia illa arcen-  
 « da sunt, quae de theoreticis potius rebus quam practicis,  
 « pertractant; de civilibus potius quam religiosis, maioris  
 « videlicet speciei quam fructus; quae proinde Epheme-  
 « ridum palestris, aulisque accademicis apta forte erunt,  
 « at vero a loco sancto prorsus absona ». Exemplum ha-  
 bes in illis qui semper in eo sunt ut de *progressu*, de  
*patria*, de *libertate*, de *civilitate* etc. conciones faciant.  
 Vide supra *n. 120*.

VII. Seligenda sunt argumenta quae non alicui tan-  
 tummodo, sed multis auditoribus prodesse possint. Bened.  
 XIV (*Instit. XXVII. 16*) dicit: « Concionator, eius loci  
 « ubi verbum Dei praedicat, morum corruptelas diligenter  
 « exquirat ». Quid ergo de illis, qui v. g. argumenta de  
 suicidio, de duello etc. non obiter tangunt, sed ex professo  
 (et forsitan audientibus dumtaxat mulierculis, quae interim  
 dormiunt vel rosarium recitant) pertractant?

1004. Contra regulas hucusque expositas fieri solent  
 sequentes obiectiones.

Argumenta moralia, v. g. de morte, de iudicio divino,  
 de inferno, de peccato, de blasphemia, de impudicitia, de  
 educatione filiorum etc. sunt antiqua, non placent, et si  
 huiusmodi conciones fierent, concursus non haberetur.

Resp. I. *Sunt antiqua?* Sed nunquid mala antiqua  
 cessarunt, ita ut remedia antiqua non amplius exigantur?

Resp. II. *Non placent? Concursus non haberetur?*  
 Hic res exaggerantur. Veritas est sequens. Dum primitus  
 conciones polemicae, vel utcumque de argumentis novis,  
 fieri incipiunt, novitas magis placet maioremque concursum  
 attrahit; sed postea, evanescente attractione novitatis, si  
 concionator sit celeberrimus vel excellentibus dotibus (etsi  
 solum externis, v. g. optima actione, voce, memoria etc.)  
 polleat; tunc concursus erit semper magnus sive concio-  
 nes eius sint polemicae sive sint morales, prout ex facto  
 manifestissimo patet. Si autem concionator sit mediocris  
 (qui casus utique ordinarius est), tunc concursus fere nul-  
 lus erit si polemicas, maior autem si morales conciones  
 faciat; dum enim concionator est mediocris, quidquid dicat,  
 increduli non accurrunt; catholici vero de concionibus po-  
 lemicis (iam centies auditis) parum curant, et multo magis  
 de moralibus (quas melius intelligunt et quibus adeo ma-  
 gis indigent) solliciti sunt. Et hoc etiam experientia  
 demonstrat. Caeterum quid valeret concursus, si dicendum  
 esset cum Augustino (in Matth. XIX. 25): *Mirabantur  
 sed non convertebantur?* Aut si (ut ait S. C. Epp. et  
 RR. Encycl. cit.) Ecclesiae sint plenae, sed animae re-  
 maneant vacuae? ®

## ARTICULUS III.

*De argumentis bene et efficaciter pertractandis.*

1005. Oportet uti 1° verbo Dei; 2° rationibus naturalibus et arte oratoria; 3° stylo populari et non sublimi.

1006. *Quid de necessitate uten li verbo Dei?* Efficacia concionis, quoad fideles, sita est principaliter in verbo Dei. Suam vim habere possunt etiam rationes naturales; sed (repeto) efficacia maior a verbo Dei provenit: dum scilicet concionator dicit: *Hoc est verbum Dei: hoc est de fide etc.* Differentia substantialis inter eloquentiam profanam et sacram est quod profana in solis rationibus humanis; sacra vero etiam (imo praecipue) in infallibili Dei auctoritate fundatur, qua ad assensum captivandum nihil fortius esse valet. Verbum Dei (quod in sacris litteris, in Sanctis Patribus et in definitionibus dogmaticis nobis annuntiatur) maximam huiusmodi efficaciam habet 1° Ad mentes illuminandas (« Lucerna pedibus meis verbum tuum » *Ps. 118*); 2° Ad corda inflammanda (« Omnis sermo Dei est ignitus » *Prov. 30*); 3° Ad peccatores convertendos (« Nunquid non « verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi « malleus conterens petram? » *Ier. 23* « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » *Ebr. 4*); 4° Ad gratiam divinam auditoribus communicandam (« Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum » *Act. 10*).

Dixi quoad fideles: sed, si etiam inter auditores essent qui circa fidem naufragium fecissent; nequidem pro illis (maxime ope rationum naturalium praedispositis) erit efficacia destitutum verbum Dei (« Fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi » *Rom. X. 7*). Recole supra dicta (*pag. 513*).

At vero hodie plures concionatores a verbo Dei abhorreere illique ostracismum dare videntur; unde bene exclamari potest cum Ieremia (*XVII*): « Ubi est verbum « Domini? » Ipsi non amplius citant Scripturam et Evangelium; non amplius Sanctos Patres, definitiones Conciliorum, et Doctores Ecclesiae; non amplius exempla Sanctorum, et historiam sacram. Ratiocinia dumtaxat in medium adducunt (et utinam essent bona!); historias prophanas; episodica revolutionis gallicae; opiniones philosophorum; auctoritates Platonis et Ciceronis; quibus facile addunt Dantem, Galileum, atque (ad maius robur) Voltaire, Rousseau, Mirabeau, Robespierre; et, si auctoritates adeo magnae (!) adhuc sufficere eis non videantur, recurrunt ad recentiores, v. g. Mazzini, Cavour; et forte etiam ad alios adhuc viventes. Equidem aliquando inter Voltaire, Rousseau etc. citant etiam il *Cristo* (quam pulchrum est istud *il!*); et tunc de Christo bene repeti poterit quod *inter sceleratos reputatus est!*

Sed quid de huiusmodi concionandi modo?

Imprimis male cohaeret cum praecepto Domini dicentis: « Praedicate Evangelium omni creaturae » (*Marci 16*). Male etiam componitur cum doctrina Ecclesiae, dicente Tridentino: « Sacras Scripturas, divinamque legem annuntient ». Et SS. mus D. N. Leo XIII loquens ad sacros oratores (*4 Jul. 1880*) dixit: « Inest unice in verbo « Dei vis virtutum altrix et vitiorum dominatrix. Quoniam autem verbum Dei in sacris litteris continetur, atque in iis quae sunt ab Ecclesiae patribus conscripta..., « hi sunt omnino sacrae eloquentiae fontes; hinc omnis « docendi norma sumenda ».

Praeterea hoc pessimum systema robur adimit praedicationi, illamque prorsus, aut quasi prorsus, sterilem reddit. Scriptum est (*Ierem. 23*): « Si... nota fecissent verba « mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, « et a cogitationibus suis pessimis ». Insuper christifidelibus, qui intentione audiendi verbum Dei ad concionem

se conferunt, illudit; illos suo vero cibo iniuste privat; et, praedicationem (ut dixi) sterilem reddendo, in immensum animarum damnum redundat.

Denique, abiecta praedicatione auctoritativa, et, concionatore loquente non amplius ad modum nuntii et legati Dei, bene vero ad modum philosophi, hoc etiam consequitur quod (non obstante contraria praedicatoris intentione) rationalismum, et nihil aliud quam rationalismum, in sacro suggestu habeamus.

Rem huiusmodi heu quantum detestabatur S. Alphonsus! Hac de causa cuidam concionatori suae Congregationis ut e suggestu descenderet intimavit, eumque nedum a concionibus, verum etiam a Missa suspendit. Sed non minus illam detestantur qui in dandis regulis eloquentiae sacrae magistri sunt: inter quos sic exclamabat celebris Audisius (*versio latina*): « O aurea religionis aetas, « o saecula classicae eloquentiae, quo ivistis vos? Chryso- « sthomet et Augustine, Bossuet et Massillon, Bourdalove « et Fenelon, et tu, Italicorum oratorum princeps Paule « Segneri, vos non ita praedicabatis. Minime profecto, « minime sic praedicabant. Legite eorum sermones. Sunt « omnes veritates.... ab intimo religionis sinu deprom- « ptae.... et commentarium perpetuum Evangelii... Audite « nunc oratores philosophicos, poeticos, politicos et roman- « ticos dierum nostrorum. Invenitisne in illis saporem « Evangelii, saporem pietatis christianae, mannam illam « absconditam, quae e coelo directe pluit?... Minime: Nihil « aliud invenitis quam gustum humanum: rem totam « humanam: humanum argumentum: humanas probationes: « humanum stylum, et humanum totum concionatorem ». Et novissime S. C. Epp. et RR. *Encycl. cit.* dicit quod huiusmodi praedicandi modus est *summum nefas*.

1007. *Quid de adhibendo etiam subsidio rationum naturalium et artis oratoriae?* Etsi vis principalis rependa sit in verbo Dei, tamen rationes naturales atque artis oratoriae adiumenta superaddi debent. Dicit SS. mus

D. N. Leo XIII (*Serm. cit.*): « Quod tamen non ita intel- « ligi volumus, ut adiumenta atque opes negligantur, quas « humana ratio suppeditat ». Et addit: « Tenenda est « ars oratoria,.... quia orationis elegans copia allicere ani- « mos audientium solet et ad divinarum legum iussa affa- « tim flectere ».

Ut autem sacrae conciones etiam ex rationibus naturalibus et arte oratoria vim habeant, et salutarem fructum faciant, imprimis attendendum est ad substantiam, ad robur argumentationis, atque ad efficaciam sermonis; ita scilicet ut auditores plene convincantur, fortiter moveantur, et ad obediendum pertrahantur. Hinc oportet ut concionator nedum calleat regulas generales artis oratoriae et eloquentiae, sed etiam ex pluribus auctoribus classicis, qui de tali vel tali argumento concionem fecerunt, congresserit ea omnia, quae sive ad intellectum convincendum sive ad cor movendum melius deserviunt, iis postea suo stylo (non vero *ad litteram* et sine connexionem, prout multi faciunt) usurus. Quid igitur de illis qui confidunt in solis strepitis et clamoribus sine ulla substantia (« vox, vox, praeterea- « que nihil »)? Quid etiam de illis, qui, unam vel alteram tantummodo ratiunculam cognoscendo, toti sunt in ea taediosissime (ut vulgo dicitur) frigenda et refrigenda, aut in ea exornanda pulcherrimis verbis, atque frondibus et floribus innumeris, quasi vellent arcem capere cum exercitu novarum sponzarum?

Peccatores non iam verbis *della crusca* exquisitissimis, non iam periodis rotundis, non iam elegantissimis descriptionibus, non iam dulcissimis aurium titillationibus; sed potenti argumentorum apparatu, fortissimis motionibus, et magnis conscientiae remorsibus, convertuntur. ®

In hunc finem oportet ut concionator non ad modum simpliciter recitantis aut (quod peius est cum voce) semper uniformi, vel affectate, vel cum quadam taediosissima cantilena declamantis; bene vero ad modum loquentis, prout iuxta diversos sensus et affectus naturaliter fieri solet,

magnam convictionem, et suo tempore etiam commotionem, ostendat, iuxta effatum: « Si vis me flere, flendum est prius ipsi tibi ».

Ut autem remorsus excitentur, ad consequentias practicas et applicationes particulares descendere oportet. Sic enim et non aliter conscientiae vere feriuntur, digitus in plaga ponitur, et unusquisque intra se dicit: *ego sum ille vir*. Neque existimes sic taedio affici auditores, experientia enim constat quod ipsi tunc maxime attentos se praebent. Neque credas orationem sic nimis humiliari, vilemque evadere; nunquid enim conciones Pauli Segneri aliorumque auctorum classicorum, quae applicationibus practicis adeo abundant, viles erunt? Cornelius a Lapide (*Jac. II*) adeo carpit concionatores qui non descendunt ad particularia, ut censeat ipsis esse imputandum, si populi remaneant in iisdem vitiis et nullus nimisve exiguus ex concionibus fructus obtineatur. Concludit autem: Mutent concionandi modum si conscientiae suae consulere velint.

Nunc dicendum est aliquid de stylo, et speciatim de vitio nimis communi concionatorum, qui, ad placendum (ut aiunt) Clero aliisque personis instructis, atque ad habendum concursum, stylum adeo exultum et argumenta adeo sublimia adhibent, ut rudes parum vel nihil intelligant.

1008. *Quinam stylus in sacris concionibus adhiberi debet?* Stylus (in genere loquendo) potest esse 1º sublimis, seu (ut ego potius dicerem) nimis altus; qui scilicet verbis, phrasibus, periodis, argumentis etc. communem rudium intelligentiam superat, et potius Doctorum academiae congrueret. 2º Rusticus; qui scilicet, propter verba plebeia, et barbarismos, communiter displicet. 3º Illogicus; qui scilicet vitio quoque argumentationis laborat. 4º Facilis et popularis; qui scilicet praedicta extrema declinat, et, dum communiter placet, ab omnibus intelligitur.

Sacri Oratores certe evitare debent stylum illogicum (ut per se patet). Stylus rusticus, quamvis concionando ad

solos rusticos (maxime quoad parochos et missionarios) aliquo modo, et discretionem servata, adhiberi possit vel etiam debeat (dicente Tridentino XXIV. VII: « Etiam lingua vernacula, si opus sit »); ordinarie tamen evitandus est. SS. mus D. N. Leo XIII (*Serm. cit.*) dixit: « Fugendum inficetum et rusticum dicendi genus ». Hinc valde reprehendendi sunt illi concionatores, qui sine ulla praeparatione, summa temeritate ad populum se praesentant et quidquid in buccam venit effutiunt. Heu quanta argumentationis inanitas! Heu quot taediosissimae repetitiones! Heu quot verba mendicata et impropria! Heu quam frequentes a re proposita aberrationes! Heu quanta confusio! Ante concionem nesciunt quid dicturi sint, in concione nesciunt quid dicant, et post concionem nesciunt quid dixerint. Videntur quasi naufragi, qui toti sunt non iam in salvandis aliis sed in salvandis semetipsis, ne sine verbo remanere cogantur. Conciones huiusmodi non solum sunt sine fructu; sed etiam damnosae. Sin minus enim imprudentis noceant auditoribus, saltem taedio illos afficiunt, et sacrum ministerium, religionem et ipsum verbum Dei dedecori et despectui exponunt.

At vero evitandus est etiam stylus nimis altus. Systema sic praedicandi quo maiorem diffusionem habet, eo maiorem reprobationem meretur. Hoc tamen non adeo rigide intelligendum est, ut nulla omnino concio aut concionis particula paullo altior esse possit. Veritas est quod ordinarie uti oportet stylo populari; stylus altus autem regulariter evitari debet, et solum cum magna parsimonia adhiberi potest. Rationes sunt sequentes.

Rudes verba peregrina, phrases exquisitas, periodos paullo involutas, rationes abstrusiores, argumenta sublimia, et uno verbo quae dicuntur stylo nimis elevato, non intelligunt; unde vel ad conciones se non conferunt, vel perinde erit ac si ad illas se non conferrent; quinam enim fructus sperari potest a personis quae non intelligunt? Sed nunquid rudes verbo Dei non indigent? Nunquid ad

illud ius non habent? Fuitne forsitan intentio Christi ut praedicatio ad personas doctas tantummodo restringeretur, eaque rudes, qui nedum magnam sed maximam auditorum partem efformare solent, destituerentur? Minime profecto, et patet ex Christi ipsius exemplo « Caepit Iesus praedicare, et dicere: poenitentiam agite » (*Matt. IV. 17*). « Et sine parabolis non loquebatur eis ». Eodem modo se gesserunt Apostoli; unde Paulus dicebat: « Ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae » (*I. Cor. II. 1*). « Si incertam vocem det tuba, quis se ad bellum parabit?... Nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes » (*I. c. XIV. 8*). « Graeci sapientiam quaerunt; nos autem praedicamus Christum crucifixum » (*I. c. I. 22*); « Sapientibus et insipientibus debitor sum » (*Rom. I. 14*). Nec aliter senserunt Patres et Ecclesiae Doctores. S. Augustinus (*in Ps. 138 c. 116*) dixit: « Melius est ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi ». Et S. Thomas dicere solebat: « Tam apertus debet esse sermo docentis, ut ab intelligentia sua nullos quamvis imperitos excludat » (*Vita X. v.*). Iuxta hanc regulam semper se gesserunt Sancti, v. g. S. Jo. Chrisostomus, S. Basilius, S. Carolus Borromeus, S. Franciscus Regis, S. Philippus Neri, S. Franciscus Salesius, S. Leonardus, S. Alphonsus etc. Ita denique et non aliter docet Ecclesia. Tridentinum (*V. 1*) ait: « Pro earum (plebium) capacitate pascant salutaribus verbis ». Et novissime SS. mus D. N. Leo XIII (*Serm. cit.*) dixit: « Curandum est ut erudiantur ad religionem homines, non... reconditis exquisitisque sententiis, non fucata orationis specie atque pompa, sed in simplicitate sermonis ».

Adde quod stylo sublimi loquentes non iam gloriam Dei sed propriam quaererent. Quot praedicatores (dicebat S. Lig.) in replendis sermonibus suis sublimibus conceptibus defatigantur... ut miseram aliquam laudem ab auditoribus

obtineant. Ex hoc autem consequitur quod nec ipsi cum vero zelo (qui concionis anima est) praedicare possunt, nec Deus huiusmodi concionibus concurret; unde nullus fructus obtinetur. S. Franciscus Salesius, quum ei relatum fuerit, quemdam concionatorem magnam famam sibi comparasse, respondit: « Dicite mihi, quaeso, quot conversiones eius sermones produxerunt? » Quid itaque reliquum est? Reliquum est ut lugeat Ecclesia, rideat diabolus, et miserimis animabus liber ad damnationem aeternam cursus relinquatur; sacerdotes autem sic praedicare assueti rationem Deo reddere debeant, et forsitan, loco laudum quas quaerebant, criticas et censuras obtineant.

Silentio praetereundum non est quod concionatores huiusmodi peccant etiam contra ipsam artem oratoriam, et quidem principalissimam eiusdem artis regulam violant. En documentum Quintilliani (*III. VIII.*): « Apud populum, qui ex pluribus constat indoctis, secundum communes magis intellectus loquendum ». Imo deficiunt contra ipsum sensum communem; et perinde esset ac si lingua latina praedicare vellent, quia inter auditores non desunt qui illam intelligunt. Reapse rudes, dum audiunt concionatorem huiusce generis, dicunt: *latine loquitur*.

Quid dicam de tempore quod in concionibus hoc modo componendis, poliendis, fucandis, ornandis etc. ordinarie (utique cum magna iactura aliarum utilium occupationum) impenditur? Cuidam ad unum faciendum sermonem panegyricum, qui a nemine intellectus fuit, sex menses satis non fuerunt. Bene dici posset: *Ut quid perditio haec?* 1009. Fiunt sequentes obiectiones.

*Hic est usus.* Respondeo. Usus qui vergit in damnum animarum non est usus sed abusus, quo perdurante nulla conversio, nullus fructus obtinebitur, et miserae animae, quae salvari potuissent, damnabuntur.

*Concio debet etiam delectare.* Debet delectare sine praepiudicio claritatis et fructus, concedo. Debet delectare ita ut rudes non intelligant, vel fructus nullatenus aut



multo minus obtineatur, nego **prorsus**. Hinc S. Ambrosius (*in Ps. 113*) conquerebatur **inquiens**: « Quod luxuriat in flore hebetatur in fructu ». Et ipse Seneca dicebat: « Non quaerit aeger medicum **eloquentem** sed sanantem. « Quid oblectas? Aliud agitur. Urendus, secandus sum. « Ad haec adhibitus es ». Enimvero sacer concionator abundantissime delectabit si, **abstinendo** a defectibus qui displicere solent, amorem erga **auditores** ostendat, argumenta momentosa et opportuna pertractet, proprietatem in verbis servet, facili et **perspicio** sermone loquatur, ordinatim procedat, aptis similitudinibus et exemplis utatur, **nervose** ratiocinetur, **convincat**, persuadeat, atque contritionis, confidentiae, et amoris Dei quam maxime delectabiles affectus moveat, ineffabilemque virtutis gustum insinuet. Patet ex sacris missionibus, in quibus summa delectatione christifideles **verbum** Dei auscultant, et saepe sacrificiis vix credibilibus se **subiiciunt** ut missionarios audire possint.

*Sed eloquentia popularis (instant) valet pro agricolis et pro missionibus; non vero pro civitatibus et pro concionibus Adventus, Quadragesimae etc.* Respondeo. Nunquid rudes non sunt etiam in **civitatibus**? Porro locus, tempus et circumstantia praedicandi **sine** fructu nunquam aderit. S. Franciscus Salesius, eodem modo quo ruri, Parisiis praedicabat.

Dicunt insuper: *Si necessariae sunt conciones populares pro rudibus, necessariae sunt etiam conciones sublimes pro doctis.* Respondeo: Docti habent peccata et indigent converti sicut rudes et **forte** magis. Sed nunquid verba trecentistica, phrases **saeculi** aurei, versus Dantis, ideae altae, longa series citationum, eruditio peregrina, descriptiones heu quam diu elaboratae, v. g. praelii, procellae maris, viridarii amoeni **etc.**, ad illos convertendos magnam vim habebunt? Quidam auctor dicit: hoc perinde esse ac velle demoliri murum **acicula** aurea (*con uno spillo d'oro*); vel extinguere **magnum** incendium cum uncia

aquae rosaceae emptae a pharmacopola. Et S. Alphonsus (*l. c. 6*) aiebat, haec procurare distractiones, et fructum non iam producere sed impedire. Adde quod saepe res eo usque procedit, ut ipsi docti nihil aut fere nihil intelligant; unde conciones nimis sublimes, dum inutiles sunt rudibus, ordinarie doctis quoque inutiles aut quasi inutiles erunt.

Non ita est de concionibus popularibus. Ipsae, dum iuvant rudibus (qui, ut dixi, maximam auditorum partem efformare solent), iuvant etiam doctis, qui illas quoque (dummodo praedicta servantur) libenter audire solent. Nonne ad conciones S. Ignatii, S. Francisci Salesii, Patris Pinamonti, S. Leonardi etc. docti quoque accurrebant, illasque libentissime audiebant?

Adde quod docti circa res religiosas saepe sunt ignorantes magis quam agricolae, unde ipsi quoque humiliori et minutiori instructione indigent. Quidam doctor laureatus dicebat se nunquam intelligere potuisse cur septem Sacramenta instituisset Ecclesia!

Regulam optimam dabat celebris Muratori dicendo quod concionator se gerere debere ut *doctus* qui persuasum reddere velit *ignorantem*.

*At vero*, dicunt multi praedicatores, *nos habemus conciones nostras iam longo studio compositas, elaboratas, limatas, et memoriae traditas.*

Respondeo I. Iuvenes, qui conciones adhuc non composuerunt, caveant ne viae adeo falsae se committant. Pericula autem sunt imprimis libri quorundam saeculi nostri oratorum, qui malo fato magnam famam sibi compararunt; deinde laudes, quae (etiam a clero) ineptissime et imprudentissime dantur concionatoribus, qui non iam laudari sed gravissime reprehendi deberent.

II. Parochi alique superiores nunquam advocare deberent concionatores huiusce generis. Illos autem advocando, non leviter peccant; in causa enim sunt cur sacerdotes iuvenes malae viae (ut modo dicebam) se committant, ut advocentur; plebes autem sibi commissae sine pabulo

salutari et tam necessario remaneant. Scripsit S. Lig. (*Lettera ad un novello Vescovo n. 7*): « Tot parvuli « petunt panem et non est qui frangat eis. Vae Praelatis, « vae Praelatis! ».

III. Si autem dictis praedicatoribus, qui conciones iam sic compositas habent, respondere deberem, nihil melius facere possem, quam uti responsione Cardinalis Pignatelli, qui dixit: « *Dunque la ricetta è fatta?... Poveri « infermi!* » (1).

1010. *Relate ad modum tractandi argumenta apologetica aut polemica, estne aliquid notandum in particulari?* Notanda sunt sequentia.

I. Cavendum est ne causae bonae praeiudicium inferatur, quod (ut supra innui) accidere potest speciatim propter obiectiones, quum valde facile accidat quod responsiones vel non sint convincentes vel ad populi captum exprimi nequeant; unde perinde foret ac si venenum longe lateque spargatur et antidotum non detur. Et notandum non deesse concionatores adeo criterio inopes, ut faciant quoque obiectiones in populo non diffusas (et forte multas), aut illas quae diffusae sunt, ita vivide exponant, ut in auditoribus talem ac tantam impressionem nunquam fecerint. Obiectiones ergo solum ita fieri poterunt ut responsio sit adeo limpida et triumphans ut auditores omnes (etiam rudes) plene persuasi remanere debeant. Quid autem dicam de illis, qui ad thesim probandam vel ad obiecta solvenda, more advocatorum causarum desperatarum se gerunt, et argumenta nedum debilia, sed etiam omnino sophistica, in medium adducunt?

II. Ad Fidem tuendam, sine ullo periculo et cum magna utilitate, imprimis christifideles poterunt et debent instrui circa necessitatem Fidei ipsius et obligationem non consentiendi dubiis contra illam. Insuper fieri poterunt conciones in laudem religionis, ostendendo illius divinam

(1) *Latine.* « Ergo ratio medicinae conficiendae scripta est?... Miseri infirmi! ».

institutionem, mirabilem propagationem et conservationem, miracula, martyres, triumphos, utilitatem etc. Maxime vero praemuniendi erunt fideles contra impias sectas, libros, diaria etc.

III. In his sermonibus evitandus est modus cathedra-  
ticus; oportet enim 1<sup>o</sup> ut omnia ad captum populi (ut dixi) atque adeo magna claritate evolvantur; 2<sup>o</sup> ut nedum mentes illuminentur, sed etiam corda moveantur.

#### ARTICULUS IV.

*De necessitate ut verbi Dei praecones vitae exemplaritate praefulgeant, et vero Dei amore sint incensi.*

1011. Enimvero quinam fructus expectari potest a concionatoribus, qui (ut ait S. Gregorius) per exempla destruunt quae per linguam praedicant? Nonne potius scandalo erunt? Heu quam facile (ut notavit S. Hieronymus ad Nepotianum) christifideles intra se dicunt: Cur ergo haec quae dicunt, ipsi non faciunt? Imo ulterius procedunt, et aiunt: — Si reapse adesset infernus, nunquid ita se gererent? Sic ergo dicunt ex arte sua, atque ad capiendum stipendium; sed ne ipsi quidem sunt persuasi —. At vero tunc conciones ad quid deserviunt, nisi ut populi fidem amittant? Hoc autem quid perniciosius, quid horribilius? Et notandum quod, ut malus effectus sequatur, saepe quid minimum sufficit. Scripsit Clemens XI (*Epist. Encycl. ad Episcopos*): « Ni-  
« mis saepe accidit (speciatim in pagis et parvis locis),  
« quod aliqua licentia, aliquod malum exemplum, minimus  
« naevus praedicatoris, nedum destruat totum fructum, quem  
« suis concionibus obtinere potuerit, sed positive magni  
« mali sit occasio ». Hinc Concilium Tridentinum (V. II) districte praecipit Episcopis, ut facultatem concionandi iis dumtaxat concedant, qui *vita et moribus probati sint*.

salutari et tam necessario remaneant. Scripsit S. Lig. (*Lettera ad un novello Vescovo n. 7*): « Tot parvuli « petunt panem et non est qui frangat eis. Vae Praelatis, « vae Praelatis! ».

III. Si autem dictis praedicatoribus, qui conciones iam sic compositas habent, respondere deberem, nihil melius facere possem, quam uti responsione Cardinalis Pignatelli, qui dixit: « *Dunque la ricetta è fatta?... Poveri « infermi!* » (1).

1010. *Relate ad modum tractandi argumenta apologetica aut polemica, estne aliquid notandum in particulari?* Notanda sunt sequentia.

I. Cavendum est ne causae bonae praeiudicium inferatur, quod (ut supra innui) accidere potest speciatim propter obiectiones, quum valde facile accidat quod responsiones vel non sint convincentes vel ad populi captum exprimi nequeant; unde perinde foret ac si venenum longe lateque spargatur et antidotum non detur. Et notandum non deesse concionatores adeo criterio inopes, ut faciant quoque obiectiones in populo non diffusas (et forte multas), aut illas quae diffusae sunt, ita vivide exponant, ut in auditoribus talem ac tantam impressionem nunquam fecerint. Obiectiones ergo solum ita fieri poterunt ut responsio sit adeo limpida et triumphans ut auditores omnes (etiam rudes) plene persuasi remanere debeant. Quid autem dicam de illis, qui ad thesim probandam vel ad obiecta solvenda, more advocatorum causarum desperatarum se gerunt, et argumenta nedum debilia, sed etiam omnino sophistica, in medium adducunt?

II. Ad Fidem tuendam, sine ullo periculo et cum magna utilitate, imprimis christifideles poterunt et debent instrui circa necessitatem Fidei ipsius et obligationem non consentiendi dubiis contra illam. Insuper fieri poterunt conciones in laudem religionis, ostendendo illius divinam

(1) *Latine.* « Ergo ratio medicinae conficiendae scripta est?... Miseri infirmi! ».

institutionem, mirabilem propagationem et conservationem, miracula, martyres, triumphos, utilitatem etc. Maxime vero praemuniendi erunt fideles contra impias sectas, libros, diaria etc.

III. In his sermonibus evitandus est modus cathedra-  
ticus; oportet enim 1<sup>o</sup> ut omnia ad captum populi (ut dixi) atque adeo magna claritate evolvantur; 2<sup>o</sup> ut nedum mentes illuminentur, sed etiam corda moveantur.

#### ARTICULUS IV.

*De necessitate ut verbi Dei praecones vitae exemplaritate praefulgeant, et vero Dei amore sint incensi.*

1011. Enimvero quinam fructus expectari potest a concionatoribus, qui (ut ait S. Gregorius) per exempla destruunt quae per linguam praedicant? Nonne potius scandalo erunt? Heu quam facile (ut notavit S. Hieronymus ad Nepotianum) christifideles intra se dicunt: Cur ergo haec quae dicunt, ipsi non faciunt? Imo ulterius procedunt, et aiunt: — Si reapse adesset infernus, nunquid ita se gererent? Sic ergo dicunt ex arte sua, atque ad capiendum stipendium; sed ne ipsi quidem sunt persuasi —. At vero tunc conciones ad quid deserviunt, nisi ut populi fidem amittant? Hoc autem quid perniciosius, quid horribilius? Et notandum quod, ut malus effectus sequatur, saepe quid minimum sufficit. Scripsit Clemens XI (*Epist. Encycl. ad Episcopos*): « Ni-  
« mis saepe accidit (speciatim in pagis et parvis locis),  
« quod aliqua licentia, aliquod malum exemplum, minimus  
« naevus praedicatoris, nedum destruat totum fructum, quem  
« suis concionibus obtinere potuerit, sed positive magni  
« mali sit occasio ». Hinc Concilium Tridentinum (V. II) districte praecipit Episcopis, ut facultatem concionandi iis dumtaxat concedant, qui *vita et moribus probati sint*.

Sed, ut conciones salutari polleant efficacia, non sufficit quod concionatores scandalum non praebeant. Exigitur insuper ut vero Dei spiritu ducantur.

Dos ista aliis omnibus longe praestantior est; et, si ego parochus essem et parochianis meis concionatorem procurare deberem, oratorem insignem praedicatori infimae notae postponerem, si hic et non ille sanctitate, charitate, veroque zelo praeditus foret.

Sacerdos vero Dei spiritu ductus, ex solo desiderio gloriae Dei et salutis animarum concionabitur. Ad instar Sanctorum, qui loquebantur cum Deo antequam loquerentur cum hominibus, atque ad pedes Crucifixi quid dicere deberent addiscebant, pro concionis fructu Deum enixe orabit, atque (ope meditationis) divini amoris igne toto corde aestuabit. Sic inflammatus non tam lingua ad aures quam corde ad corda loquetur; eiusque verba suavissime et efficacissime se insinuabunt. Christifideles hominem Dei in eo conspicient, maximamque illius existimationem, et venerationem habebunt. Ad illum audiendum ardentissime se conferent, et, gratia divina copiose concurrente, eius dictis obtemperabunt; atque ad confessionem (prout ipse enixe adhortabitur) cum vero poenitentiae sensu accedent. Ille labori non parcat: in confessionali assiduus erit; atque ita conversiones, subinde etiam valde momentosas, obtinebit. Sic autem fructus nonne magnus, nonne uberrimus erit? Exemplum habemus in paroco *d'Ars*, in cuius comparatione quid de fructu mille aliorum, etsi longe doctiorum? Hinc S. Alphonsus dicebat: « Valet plus unica concio praedicatoris huiusmodi quam centum aliorum ». Et S. Philippus Neri aiebat: « Date mihi decem sacerdotum dotes veri spiritus, et totum mundum conversum vobis dabo ».

E contra quid expectandum a concionatore, qui non Dei et salutis animarum, sed solum pecuniae et laudis zelum habeat; qui non iam laborem et confessionale, sed conversationes et solatia quaerat; qui uno verbo non corde

charitate fervido, sed indifferenti et glaciato ad populum se praesentet? Calleat ille perpulchre rethoricae et eloquentiae regulas omnes; calleat exquisitissime linguae gratias et lepores omnes; sed de illo dicendum erit cum Apostolo (*1 Cor. 13*): « Si linguis hominum loquar et Angelorum... charitatem autem non habuero, factus sum veluti aes sonans et cymbalum tinniens ».

Documentum istud summi momenti confirmatur a SS.mo D. N. Leone XIII, qui (*Serm. cit.*) dixit: « Ex omnibus sacrorum oratorum laudibus haec est longe maxima, componere vitam apostolico muneri admodum congruentem, charitate pollere, ad alienas se utilitates totos porrigere, recte factis in exemplum excellere. Habet enim suas virtutes illecebras, quibus mire trahuntur homines, ipsoque rerum usu edocemur, populum christianum ad eos potissimum audiendos, qui vitae sanctitate praefulgeant, naturali quadam propensione moveri ac rapi ».

#### Appendix.

##### *De ordinariis praedicationum cursibus.*

1012. I. Sunt praecipue quae vulgo dicuntur quadragesimalia, adventus, novendialia, menses maii. Item S. Missiones. Item exercitia spiritualia sive ad populum, sive pro solis viris, sive pro pueris admittendis ad primam communionem. Item exercitia spiritualia pro collegialibus et generatim pro iuvenibus et puellis. Item pro seminaristis et clericis. Item pro sacerdotibus. Denique pro monialibus.

II. Praedicationes istae quantum in omnibus dioecibus sint necessariae simulque (si bene peragantur) fructuosae, unusquisque videt; et proinde oportet ut sacerdotes, maiori numero possibili, ad illas se disponant; Episcopi enim saepenumero in tricis versantur ut praedicationibus istis (maxime quoad missiones ad populum, et exercitia pro monialibus) congrue provideant.

III. In his utique observandae sunt regulae generales supra expositae, sed habendae sunt etiam advertentiae speciales, quae desumi poterunt ex libris, maxime vero ex particulari earundem praedicationum scopo. Et notandum quod ordinarie adesse debet scopus ut christifideles, saltem in fine praedicationum ipsarum; cum firmo proposito emendandi vitam ad confessionem accedant.

His praemissis, de singulis aliquid breviter.

IV. **Praedicatio quadragesimalis** scopum habet disponendi christifideles ad festa paschalia digne celebranda, atque adeo illos ad veram poenitentiam inducendi. Hinc praedicator quadragesimalis, captis informationibus de maioribus populi necessitatibus spiritualibus, seligere debet argumenta ad scopum intentum magis apta: et practice valde expediret, si proxime ante quindenam paschalem exercitia spiritualia populo traderet, et saltem tunc ille ipse pro confessionibus audiendis se praestaret. Nihil dico de ultima concione (utique ferventissima) pro perseverantia.

V. **Praedicatio Adventus** scopum habet disponendi fideles ad festa natalitia, necnon ad gratitudinem erga Deum pro beneficiis intra annum receptis cum proposito in posterum illi melius inserviendi.

VI. In **novendialibus** procurandum est ut christifideles nedum sic erga Sanctos devotionem adaugeant, sed etiam ut illorum virtutes imitentur, et communione (si fieri possit, generali) eorundem festum condecorant.

VII. Curandum est ut in **mense maii** eadem praestentur erga Beatissimam Virginem, eique in fine cum affectuosissimo perseverantiae proposito cor offeratur.

VIII. Sacrae **missiones** et exercitia spiritualia ad populum pro scopo principali habent conversionem peccatorum; unde missionarii, adhibitis consuetis industriis ut iam inde ab initio missionis ad Ecclesiam concurrant, omni nisu curare debent ut concionibus valde efficacibus atque ita colligatis ut veluti unicum sermonem efforment, precibus publicis atque privatis, zelo piarum personarum etc., con-

versio ipsa reapse obtineatur. Pro bono autem exitu sacrarum missionum multa alia adverti debent, quae exposui in opere *L' Uomo Apostolico provveduto*, atque in opusculo *Discorso sulle Sacre Missioni*.

IX. Quoad **exercitia spiritualia pro solis viris**, vide supra dicta (n. 712. III).

X. **Exercitia spiritualia quoad pueros admittendos ad primam communionem** pro scopo habent non solum ut pueri ad communionem ipsam bene disponantur, sed etiam ut firmissimam concipiant voluntatem bene ducendi totam vitam ut salutem aeternam consequi valeant. In hunc finem valde deservit ut praemuniantur contra pericula et tentationes, renoveant vota Baptismi, eorumque genitoribus enixe commendentur. Vide dicta (n. 168. 169).

XI. Circa **exercitia spiritualia pro collegialibus, et generatim pro iuvenibus et puellis**, notandum quod inter scopos speciales recenseri debet ut, data eisdem notitia consiliorum evangelicorum, de electione status et de necessitate in illa non errandi, sermo habeatur.

XII. Pariter **exercitiorum spiritualium pro seminaristis et clericis** scopus specialis est ut dignitatem sacerdotii ad quod aspirant bene cognoscant, simulque considerent virtutes necessarias ut ad illud se disponant.

XIII. **Exercitia spiritualia pro sacerdotibus** scopum habent ut ipsi 1º magis attendant propriae sanctificationi; 2º reddantur magis utiles Ecclesiae; 3º specialissimis nostri temporis necessitatibus satisfacere conentur. Iuxta hunc triplicem scopum meditationes, instructiones, et exhortationes perfici debent.

XIV. **Exercitia spiritualia pro monialibus** scopum habent ut in monasterio 1º sancta lex Dei observetur; 2º exerceantur virtutes; 3º adsit pax. ®

Ad haec tria obtinenda, maxime deservient sequentia.

Praedicator iam inde ab initio efficiat ut moniales vividam concipiant voluntatem peragendi exercitia non iam ex sterili consuetudine, sed cum magno fructu.

Dicat quod in monialibus quoque adesse potest periculum peccati mortalis et damnationis aeternae, et proinde faciat etiam conciones, quae hunc miserrimum casum respiciunt.

Loquatur insuper de quibusdam magnis inordinationibus, quae ex inadvertentia, imprudentia vel laxis dictaminibus, contra legem Dei seu contra iustitiam, vel contra charitatem, vel contra pacem aut bonum communitatis, interdum committuntur; prout contingere posset v. g. si non recte procederetur 1° Circa probandas, sive admittendo illas ad professionem dum reiici deberent, sive easdem immerito reiiciendo et sic gravissimis damnis iniuriose prorsus exponendo. 2° Circa electionem superiorissae, aut magistrae sive novitiarum sive educandarum. 3° Circa alia negotia capitularia magni momenti. 4° Circa delationes superioribus sive exaggeratas aut temerarias aut leves non faciendas, sive graves simulque veras aut fundatas necessario peragendas. 5° Circa amicitias particulares. 6° Circa gravissimum defectum charitatis nunquam vel fere nunquam infirmas chronicas visitandi.

Veniat deinde ad casum ordinarium peccatorum venialium, atque efficiat ut moniales percipiant necessitatem ab illis se emendandi; sed ita ut unaquaeque determinet media, inter quae notanda erunt speciatim 1° mortificatio passionum, et maxime praedominantis. 2° Amor Dei ostendendus factis et sacrificiis. 3° Praxis quotidie offerendi Deo mortificationes pro illius amore peractas et victorias ad non labendum in consuetis defectibus illa die obtentas. 4° Ex lapsibus animo non deiici, sed compensandi cum bono malum virtutemque adaugendi occasionem sumere.

Agendum erit in particulari de virtutibus, quae ad uniuscuiusque profectum simulque ad pacem et bonum communitatis adeo exiguntur; nempe de amore Dei, de charitate erga proximum, de patientia, de mansuetudine, de humilitate, de castitate, de obedientia, de paupertate etc.

Pariter in particulari agendum erit de mediis sancti-

ficationis, quae a regulis et constitutionibus uniuscuiusque religionis propriis exiguntur, cuiusmodi sunt confessiones, communiones, orationes, meditationes, lectiones spirituales, examina conscientiae etc.; et circa singula maxime advertendum ut non defectuose et quasi materialiter ex consuetudine, sed bene et ex vero spiritu praestentur; secus enim tot media, quae ad emendationem et sanctificationem faciliorem reddendam essent efficacissima, inutilia redderentur, imo ad innumeras alias culpas accumulandas deservirent.

Maxime autem oportet ut praedicator verba faciat de silentio et recollectione religiosa. Regula enim servandi silentium et evitandi dissipationes (locutorii et notitiarum mundanarum) est summi momenti; ex silentio enim et religiosa recollectione maxime pendet non solum spiritus orationis et unionis cum Deo atque exemptio a tentationibus plurimis; sed etiam pax monasterii, quae saepe saepius a defectibus linguae turbatur.

Denique praedicator considerare debet circumstantias, quae ordinis vel monasterii, ubi exercitia tradit, particulares sint. Aliud enim est si ordo sit vitae contemplativae, et aliud si sit vitae activae et proinde moniales v. g. educationi, vel operibus charitatis attendere debeant.

## CAPUT VIII.

### De superioribus collegiorum et seminariorum.

#### ARTICULUS I.

*Declaratur quinam sint hi superiores, et exponuntur normae generales ut officiis suis satisfaciant.* ®

1013 I. Superiores (praeter Episcopum et deputatos quoad seminaria) solent esse 1° Rector. 2° Vice-rector. 3° Praefectus studiorum. 4° Magistri. 5° Director spiritualis. 6° Praefecti et Vice-praefecti classium (it. *delle camere*). 7° Oeconomus.

Dicat quod in monialibus quoque adesse potest periculum peccati mortalis et damnationis aeternae, et proinde faciat etiam conciones, quae hunc miserrimum casum respiciunt.

Loquatur insuper de quibusdam magnis inordinationibus, quae ex inadvertentia, imprudentia vel laxis dictaminibus, contra legem Dei seu contra iustitiam, vel contra charitatem, vel contra pacem aut bonum communitatis, interdum committuntur; prout contingere posset v. g. si non recte procederetur 1° Circa probandas, sive admittendo illas ad professionem dum reiici deberent, sive easdem immerito reiiciendo et sic gravissimis damnis iniuriose prorsus exponendo. 2° Circa electionem superiorissae, aut magistrae sive novitiarum sive educandarum. 3° Circa alia negotia capitularia magni momenti. 4° Circa delationes superioribus sive exaggeratas aut temerarias aut leves non faciendas, sive graves simulque veras aut fundatas necessario peragendas. 5° Circa amicitias particulares. 6° Circa gravissimum defectum charitatis nunquam vel fere nunquam infirmas chronicas visitandi.

Veniat deinde ad casum ordinarium peccatorum venialium, atque efficiat ut moniales percipiant necessitatem ab illis se emendandi; sed ita ut unaquaeque determinet media, inter quae notanda erunt speciatim 1° mortificatio passionum, et maxime praedominantis. 2° Amor Dei ostendendus factis et sacrificiis. 3° Praxis quotidie offerendi Deo mortificationes pro illius amore peractas et victorias ad non labendum in consuetis defectibus illa die obtentas. 4° Ex lapsibus animo non deiici, sed compensandi cum bono malum virtutemque adaugendi occasionem sumere.

Agendum erit in particulari de virtutibus, quae ad uniuscuiusque profectum simulque ad pacem et bonum communitatis adeo exiguntur; nempe de amore Dei, de charitate erga proximum, de patientia, de mansuetudine, de humilitate, de castitate, de obedientia, de paupertate etc.

Pariter in particulari agendum erit de mediis sancti-

ficationis, quae a regulis et constitutionibus uniuscuiusque religionis propriis exiguntur, cuiusmodi sunt confessiones, communiones, orationes, meditationes, lectiones spirituales, examina conscientiae etc.; et circa singula maxime advertendum ut non defectuose et quasi materialiter ex consuetudine, sed bene et ex vero spiritu praestentur; secus enim tot media, quae ad emendationem et sanctificationem faciliorem reddendam essent efficacissima, inutilia redderentur, imo ad innumeras alias culpas accumulandas deservirent.

Maxime autem oportet ut praedicator verba faciat de silentio et recollectione religiosa. Regula enim servandi silentium et evitandi dissipationes (locutorii et notitiarum mundanarum) est summi momenti; ex silentio enim et religiosa recollectione maxime pendet non solum spiritus orationis et unionis cum Deo atque exemptio a tentationibus plurimis; sed etiam pax monasterii, quae saepe saepius a defectibus linguae turbatur.

Denique praedicator considerare debet circumstantias, quae ordinis vel monasterii, ubi exercitia tradit, particulares sint. Aliud enim est si ordo sit vitae contemplativae, et aliud si sit vitae activae et proinde moniales v. g. educationi, vel operibus charitatis attendere debeant.

## CAPUT VIII.

### De superioribus collegiorum et seminariorum.

#### ARTICULUS I.

*Declaratur quinam sint hi superiores, et exponuntur normae generales ut officiis suis satisfaciant.* ®

1013 I. Superiores (praeter Episcopum et deputatos quoad seminararia) solent esse 1° Rector. 2° Vice-rector. 3° Praefectus studiorum. 4° Magistri. 5° Director spiritualis. 6° Praefecti et Vice-praefecti classium (it. *delle camere*). 7° Oeconomus.

Aliqua ex his officiis non raro cumulantur in unica persona, sive quia in parvis collegiis sint *compatibilia*, sive quia ob subiectorum penuriam aliter fieri nequeat. Attamen in *quovis* casu oportet ut rector ab audiendis confessionibus alumnorum prorsus *abstineat*.

II. Hi *superiores* pendant imprimis quanti momenti sint bona collegia, maxime vero seminaria. Iuvenes sunt tota spes societatis et religionis. Ex seminariis autem pendet reformatio Dioecesium, et in illis Ecclesiae adeo indigenti parari debent boni sacerdotes, boni confessarii, boni parochi, zelantes *praedicatores*, optimi missionarii etc.

III. Pendant insuper quantum responsables essent apud Deum et homines, si adolescentulorum innocentiam eis concreditam non *custodirent*, et totam spem familiarum, societatis et religionis (concurrentibus etiam tot genitorum expensis et *sacrificiis*) frustrarent. Si enim bona summi momenti oriuntur ex collegiis et seminariis disciplina et optima *directione* florentibus, tantundem mali, illa deficiente, expectari debet. Scripsit S. Ligorius (*Regol. pei semin. § I. n. 5*): « Miseranda res est videre tot *miseros* iuvenes, antea innocentes et pios, qui postea in *seminario* evaserunt veluti sentina vitiorum. Puer septem *annorum* ingressus seminarium exivit post duos annos et videbatur *diabolus* ».

IV. Ut *collegia* et seminaria recte procedant, maxime interest observatio regularum; circa quas notentur sequentia. 1° Adesse debent regulae pro alumnis; item regulae pro superioribus, et istae tum iisdem communes, tum unicuique ita propriae et particulares, ut bene et clare determinentur *limites* ad dignoscendum in omnibus casibus quid uni et quid *alteri* spectet; denique regulae pro inservientibus, qui bene sciant cuinam praecise superiori et non aliis, obedire debeant. 2° Oportet ut unusquisque superior nedum regulas superioribus communes et sibi particulares, sed etiam regulas (quantum cum proprio officio connectuntur) alumnorum et inservientium, cognoscat. 3° Oportet ut quilibet superior regulas ad se spectantes non utcumque sed *exemplariter* observet (quin unquam in messem

aliorum se intrudat), et respective observare faciat. Enimvero regulae sunt necessariae ut inordinationes et pericula evitentur, quae certe abundabunt si superiores sint de illis qui neglecta regularum observantia, vel debita earundem non habita aestimatione, nimia laborant bonitate (it. *bonarietâ*), vel etiam credunt melius esse procedere sine regula, seu, ut dici solet, *alla buona*.

V. Superiores summopere caveant ne occupentur in aliis rebus, quae cum officio suo male componi valeant. Difficile est autem quod, in magnis collegiis vel seminariis, qui primas partes tenent (v. g. rectoris aut directoris spiritualis) aliquod aliud officium simul exercere possint, et saltem quam maxime expedit ut, omnibus aliis sepositis occupationibus, pro officio suo toti sint.

VI. Superioribus magna opus est prudentia; et speciatim 1° Delationibus, recursibus, atque excusationibus non facile credant. 2° Quaedam minutiora dissimulent. S. Gregorius dicit: « Omnia videas, multa dissimules, *panca corrigas* »: quod tamen intelligendum est de superioribus altioribus qui raro intervenire debent, et (quoad alios) pro casibus in quibus corrigendo et puniendo maiora mala timeantur. 3° In rebus dubiis (et maxime si sint momentosae et difficiles) illas bene examinent atque etiam non raro consilium petant; neque sint de illis qui vulgo dicuntur *faciloni*, qui scilicet, sive ex praesumptione sive ad declinandum taedium ponderationis, semper statim se resolvunt, quasi nullam unquam difficultatem invenirent et semper omnia facillima essent. 4° Cavendum a mutationibus et novitatibus, dicente proverbio: « Usitatis tutius *utimur*; novis non sine quodam periculo ». Et S. Augustinus dixit: « Mutatio consuetudinis, etiam quae adinvat utilitate, novitate perturbat ». Hoc tamen intellige nisi aliqua mutatio iam evidenter exigeretur; dicente eodem Augustino (*Ep. 138*): « Non ita verum est quod *dicitur*, semel recte factum nullatenus esse mutandum; *mutata* quippe temporis causa, quod recte ante factum



« fuerat, ita mutari recta ratio plerumque flagitat. quia  
« utrumque tunc erit rectum si erit pro tempore varietate  
« diversum ». Idque maxime diebus nostris verum est, ut  
mox infra videbimus. 5<sup>o</sup> Cautela specialissima adhiberi de-  
bebit circa modum quaedam remedia aut punitiones adhi-  
bendi, ut scilicet remedium quidem apponatur, sed simul  
occulte delinquentis famae, maxime vero seminarii et reli-  
gionis honori consulatur.

Attamen in prudentia ipsa cavendum ab excessu; quid  
enim de illis qui, praetextu prudentiae omnia tolerant, aut  
propter timorem errandi, nunquam se resolvunt, vel tan-  
dem respondent ambigue, quasi remaneant incerti (ut vulgo  
dicitur) *tra il sì e il nò ed il parer contrario*?

VII. Superiores maxime satagere debent ut omnia qui-  
dem recte procedant, sed simul alumni contenti sint.  
Quum enim sub continua disciplina et longe a propria fa-  
milia versari, iuvenibus per se admodum grave sit, omnia  
media adhibenda sunt ut iugum istud minus grave, imo  
(quantum fieri potest) leve et suave, iisdem reddatur. Si  
iuvenes aegro animo in collegio vel seminario degerent, et  
solum per vim et propter timorem poenarum omnia pera-  
gerent, quid boni sperari posset? Quid virtutis? Quisnam  
exitus? Ipsi evaderent hypocritae; cum genitoribus sem-  
per lamenta emitterent, de superioribus semper male lo-  
querentur, et semper domum redire vellent. Hinc genito-  
res quoque valde turbarentur, et seminarium existimationem  
amitteret. Ut autem alumni regulas observent atque in vir-  
tutibus proficiant, simulque ipsi eorumque genitores con-  
tenti sint, media praecipua sunt sequentia. 1<sup>o</sup> Iuvenes  
volunt curam, volunt solatia, volunt amorem; et proinde  
oportet ut in collegio vel seminario inveniant maximam  
curam, qua illis, quoad victum, vestitum et alia commoda  
necessaria vitae, nihil desit; item inveniant solatia, recrea-  
tiones, deambulationes, ioca, rusticationes etc.; item in-  
veniant non solum bonos socios, sed etiam optimos supe-  
riores, a quibus sicut a patre et matre (et forte plus) a-

mentur. 2<sup>o</sup> In collegio vel seminario praedominet et ge-  
neralis adsit laetitia, illamque saepe saepius alumnis ma-  
xime commendent superiores. 3<sup>o</sup> Ipsi in publicis sermonibus  
reflectere faciant alumnis, quanta fortuna pro illis sit illuc  
adesse: nequum enim in substantia habent bona quae domi  
haberent, sed multo pretiosiora, nempe praeservationem a  
mundi periculis, innocentiae et religionis custodiam dili-  
gentissimam, et media innumera ut scientiis et virtutibus  
exornentur, in iisque semper proficiant.

VIII. Hinc superiores regant quidem *fortiter* sed simul  
*suaviter*; et in hunc finem toti sint in adhibendis remediis  
praeventivis seu praeservativis, efficiant scilicet ut alumni  
fundentur in pietate, quae non sentimentalis tantummodo,  
sed solida sit et in principiis fidei et rationis basim ha-  
beat. Superiores autem exemplo praeant; sint scilicet  
ipsi piissimi: hoc enim praecipue ab alumnis consideratur  
et maximam habet efficaciam; neque solum Director spiri-  
tualis sed alii quoque (Rector, Vice-rector, praefecti, ma-  
gistri etc.) pietatem tam privatim quam publice commea-  
dent, idque ita ut *ex abundantia cordis os loquatur*, et  
pietas ipsa (ut supra innuebam) non tamquam tristis,  
scrupulosa et melancholica, sed tamquam hilaris, laeta et  
iucunda repraesentetur (*Servite Domino in laetitia*). Sic  
alumni sponte sua virtutum exercebunt et libenter mune-  
ribus suis satisfaciunt. Remedia praeventiva sunt etiam vi-  
gilantia et attentio ad principia (*principiis obsta*), quibus  
adde cautelam ne superiores ipsi occasionem plus vel minus  
delinquendi alumnis praebeant, v. g. relinquendo illos solos,  
non concedendo illis dispensationes interdum necessarias  
etc. Sic rarissimus erit casus in quo ad punitiones recurrere  
oporteat, atque ita superiores fortiter simul et suaviter  
(ut dixi) regere poterunt.

IX. Quum tamen corrigere et aliquando etiam punire  
necesse sit, correctiones sint iustae, moderatae, paternae  
et prudentes. Hinc male se gerunt superiores qui nimis  
frequenter corrigunt, vel etiam corrigendo semper clamant,

obiurgant, vituperant, minitantur etc. Quoad punitiones autem sequentia notentur. 1° Percussiones (et idem dic de privationibus quae sanitati nocere possint) non adhibeantur, et nunquam ullo modo limites excedantur. 2° Pateat semper quod superior non ex ira, aut ex delectatione vincendi, humiliandi et conterendi, seu (ut vulgo dicitur) *per il gusto di spuntarla o di schiacciare*; sed tantummodo pro bono alumni et collegii, ad poenam applicandam aegro animo procedit. 3° Palam fiat quod desideratur solum emendatio, qua secuta, venia erit semper in promptu, et alumnus erit in gratia superioris sui sicut prius. 4° Non omnes superiores punire possunt, sed illi tantum ad quos iuxta regulas id spectat.

X. Superiores semper adhibere debent modos urbanos, imo henevolos et affectuosos. Caveant tamen a manuum blanditiis, sed potius verbis declarent se esse contentos (quod utique magis placebit), vel etiam aliquando aliquod munusculum tribuant.

XI. Maxime necessaria est vigilantia. Speciatim 1° Vigilandum circa illos qui nondum sint probati, de quibus scilicet non adhuc constet plene esse fidendum, sive isti sint alumni, sive sint praefecti, vel magistri, vel famuli etc. 2° Nunquam permittendum ut plures alumni segregati ab aliis soli (maxime in locis reconditis) absque alicuius praefecti vigilantia remaneant. 3° Item impediendum ne alumni sive cum exteris sive cum famulis (non praesente praefecto) communicent. 4° Vigilandum ne clandestine mittantur vel accipiantur epistolae, quae omnes (nisi certum sit quod a genitoribus missae fuerint) a Rectore eiusve deputato (sub arctissima tamen secreti obligatione) prius legi debent. 5° Denique specialissimo modo vigilandum esset si de gravi aliqua inordinatione (prout accidere posset speciatim in casu alicuius amicitiae particularis) fundata suspicio suborta fuisset.

Attamen etiam circa vigilantiam intervenire posset excessus, ut puta, si superior nimis facile suspectus teme-

rarios contra innocentes conciperet, vel delatoribus criterio inopibus et fide indignis fidem praestaret, vel lyncis oculo minutissima quaeque observaret semperque in eo esset ut corrigeret et puniret.

XII. Superiores solertissime caveant a praedilectionibus (vulgo *parzialità*), quae non solum turbant pacem et creant invidiam, sed etiam superioribus ipsis existimationem adimunt, illosque alumni omnibus eorumque genitoribus invisos reddunt.

XIII. Quamaxime oportet ut praesentium temporum ratio habeatur. In hunc finem 1° Plura observanda sunt quoad studia, v. g. ut sint gubernativis aequiparata etc. Sed de hoc sermo redibit infra. 2° Magna habenda est cura salubritatis (it. *igiene*) et munditiei in omnibus. 3° Edocendae sunt regulae urbanitatis, et exigendum ut alumni illas de facto observandi consuetudinem acquirant.

XIV. Superiores quaerant non se ipsos sed bonum seminarii. Hinc 1° Non parcant incommodis et labori. 2° Non refugiant ab (ita dictis) partibus odiosis, unde quando opus sit, corrigant, puniant, expellant, petitionibus non annuant etc. 3° Consilia libenter audiant, illaque iusta reperta ita sequantur, ut etiam a systemate incepto recedere non dubitent, si enim errare malum, in errore obstinari peius est. 4° Si propter senectatem aut quamlibet aliam causam, ad officium recte exercendum iam inepti evasissent, renuntient, et superiorem principalem ut renuntiationem acceptet sincero animo rogent.

XV. Valde expediret ut seminaristae vacationum autumnalium in villa quidem solatia haberent et domum non remitterentur; sed, si ita fieri nequiret, cautela specialissima adhiberi deberent, ut tunc ab aliis (et speciatim a parrocho, iuxta dicta n. 295) custodiantur, et ne reversi ad seminarium aliquid bonis iuvenibus interdicendum secum detulerint.

XVI. Inter superiores necessaria est concordia; *concordiâ enim res parvae crescunt, et discordiâ magnae*

*delabuntur* (De bello Catilin.). In hunc finem 1° Cavendum ab invidia. 2° Item cavendum a critica et murmuratione. 3° Adhibenda est patientia; sumus enim miserabiles inter alios miserabiles. 4° Superiores inter sese confidentiam habeant et sibi invicem consilia communicent. 5° Si ex aliquo aequivoco, vel rei alicuius mala intelligentia, discordia suborta fuisset, cito explicetur quomodo res se habeant. 6° Unusquisque officium suum adimpleat, nec quidquam faciat quod ad alium spectet.

XVII. Hoc ultimum maxime attendendum quoad illa quae spectant ad Episcopum, cuius erit, audito consilio Deputatorum (quod sub poena invaliditatis exquirere debet, quamvis sequi non teneatur), determinare quid fieri debeat. Huiusmodi sunt sequentia. 1° Electio et expulsio magistrorum, aliorumque superiorum et ministrorum. 2° Admissio et expulsio alumnorum. 3° Electio librorum pro textu adhibendorum. 4° Approbatio regularum. 5° Approbatio expensarum et quarumcumque rerum ad administrationem spectantium. Cf. Ferraris (v. *Seminarium*).

## ARTICULUS II.

*Agitur de officiis Superiorum in particulari.*

### PUNCTUM I.

#### *De Rectore.*

1014. I. Rector debet esse bonitate exemplarissimus, atque etiam doctrina et prudentia spectatissimus. Tamquam enim primus gubernator, debet praeesse praesidibus et gubernare gubernantes; et rerum magis difficilium maiorisque momenti decisiones ad illum spectat.

II. Non semper fidere de subalternis, quasi nunquam timeri deberet ne muneribus suis essent defecturi. Hinc 1° illorum quoque regulas bene cognoscat. 2° Invigilet

tum circa non adhuc probatos (ut supra dicebam); tum circa praefectos et vice-praefectos classium (qui solent esse valde iuvenes); tum casu quo contra aliquem specialis recursus factus fuerit; tum denique circa illos qui plus vel minus deficere solent. Reperta post prudens examen existentia defectus, Rector mediis opportunis remedium apponere curabit.

III. Ultra hos terminos in officiis alienis minime se ingerat; quae enim ad alios spectant debet imperare, non vero per se ipsum exequi; maxime cavendo a nimia *accetratione*, qua in Superiore nihil peius; non enim posset tot rebus satisfacere, saepe saepius male illas adimpleret, suos collaboratores offenderet, invisum se redderet, et tum propter praesumptionem tum propter errores estimationem amitteret et respectui se exponeret.

IV. Eorundem suorum collaboratorum auctoritatem sustineat, et exigit omnino ut obedientia et respectus eis semper praestetur.

V. Quotannis sermonem habeat ad illos, et speciatim praefectos classium adhortetur, ut iuxta regulas invigilent, informationes ei praebeant, et in punitionibus limites non excedant.

VI. Publice gravitatem praeseferat, privatim vero magis affabilitatem et benevolentiam ostendat. Classes (it. *camerate*) visitet, sed visitationes istae sint raras et breves.

VII. Si, ad apponendum remedium inordinationi proveniente ex delicto, delinquentem expellere oporteret, tunc (si fieri posset) expectandum esset tempus vacationum; si autem res dilationem non pateretur, curandum foret ut ipse delinquens aliquo praetextu discederet. Similes cautelae adhibendae essent quoque etsi de delicto non ageretur. Quoad inordinationes autem, quae a collaboratoribus provenirent nec necessitatem quemquam expellendi inducerent, Rector deberet summam adhibere prudentiam, atque conari ita res componere, ut nemo ei inimicus reddatur.

VIII. Nimia bonitas et zelus indiscretus sunt duo excessus, quos ille plus aliis declinare debet.

*delabuntur* (De bello Catilin.). In hunc finem 1° Cavendum ab invidia. 2° Item cavendum a critica et murmuratione. 3° Adhibenda est patientia; sumus enim miserabiles inter alios miserabiles. 4° Superiores inter sese confidentiam habeant et sibi invicem consilia communicent. 5° Si ex aliquo aequivoco, vel rei alicuius mala intelligentia, discordia suborta fuisset, cito explicetur quomodo res se habeant. 6° Unusquisque officium suum adimpleat, nec quidquam faciat quod ad alium spectet.

XVII. Hoc ultimum maxime attendendum quoad illa quae spectant ad Episcopum, cuius erit, audito consilio Deputatorum (quod sub poena invaliditatis exquirere debet, quamvis sequi non teneatur), determinare quid fieri debeat. Huiusmodi sunt sequentia. 1° Electio et expulsio magistrorum, aliorumque superiorum et ministrorum. 2° Admissio et expulsio alumnorum. 3° Electio librorum pro textu adhibendorum. 4° Approbatio regularum. 5° Approbatio expensarum et quarumcumque rerum ad administrationem spectantium. Cf. Ferraris (v. *Seminarium*).

## ARTICULUS II.

*Agitur de officiis Superiorum in particulari.*

### PUNCTUM I.

#### *De Rectore.*

1014. I. Rector debet esse bonitate exemplarissimus, atque etiam doctrina et prudentia spectatissimus. Tamquam enim primus gubernator, debet praeesse praesidibus et gubernare gubernantes; et rerum magis difficilium maiorisque momenti decisiones ad illum spectat.

II. Non semper fidere de subalternis, quasi nunquam timeri deberet ne muneribus suis essent defecturi. Hinc 1° illorum quoque regulas bene cognoscat. 2° Invigilet

tum circa non adhuc probatos (ut supra dicebam); tum circa praefectos et vice-praefectos classium (qui solent esse valde iuvenes); tum casu quo contra aliquem specialis recursus factus fuerit; tum denique circa illos qui plus vel minus deficere solent. Reperta post prudens examen existentia defectus, Rector mediis opportunis remedium apponere curabit.

III. Ultra hos terminos in officiis alienis minime se ingerat; quae enim ad alios spectant debet imperare, non vero per se ipsum exequi; maxime cavendo a nimia *accetratione*, qua in Superiore nihil peius; non enim posset tot rebus satisfacere, saepe saepius male illas adimpleret, suos collaboratores offenderet, invisum se redderet, et tum propter praesumptionem tum propter errores estimationem amitteret et respectui se exponeret.

IV. Eorundem suorum collaboratorum auctoritatem sustineat, et exigit omnino ut obedientia et respectus eis semper praestetur.

V. Quotannis sermonem habeat ad illos, et speciatim praefectos classium adhortetur, ut iuxta regulas invigilent, informationes ei praebeant, et in punitionibus limites non excedant.

VI. Publice gravitatem praeseferat, privatim vero magis affabilitatem et benevolentiam ostendat. Classes (it. *camerate*) visitet, sed visitationes istae sint raras et breves.

VII. Si, ad apponendum remedium inordinationi proveniente ex delicto, delinquentem expellere oporteret, tunc (si fieri posset) expectandum esset tempus vacationum; si autem res dilationem non pateretur, curandum foret ut ipse delinquens aliquo praetextu discederet. Similes cautelae adhibendae essent quoque etsi de delicto non ageretur. Quoad inordinationes autem, quae a collaboratoribus provenirent nec necessitatem quemquam expellendi inducerent, Rector deberet summam adhibere prudentiam, atque conari ita res componere, ut nemo ei inimicus reddatur.

VIII. Nimia bonitas et zelus indiscretus sunt duo excessus, quos ille plus aliis declinare debet.

IX. Dispensationes (quae profecto regulas enervant et perturbationes inducere valent) difficile concedat; et in omnibus maxime caveat ne tamquam *partialis* habeatur.

X. Si parentes alumnorum illum invisant, de illorum filiis suae curae commissis valde sollicitum se ostendat, et informationes requisitas eis praebeat. Si alumnus non bene se gerat, illos non decipiat, sed emendationem sperare faciat. Quae debet vel potest concedere, concedat; secus, deneget quidem, sed valde bonis modis et displicentiam ostendat. Caeterum, salva urbanitate, sermones inutiles non faciat; et quoad minutias et res (ut ita dicam) materiales, illos ad Vice-rectorem remittat. Generatim enim solum de rebus gravioribus Rector se occupare debet.

XI. Pro acceptatione alumnorum, pro electione alicuius collaboratoris, vel magistri, vel etiam famuli, accuratissimas informationes (Episcopo et Deputatis communicandas) capiat; et idem dic de notitiis, quae ad decidendum de alicuius expulsionem necessariae essent.

## PUNCTUM II.

*De Vice-rectore.*

1015. Absente Rectore, omnia illius officia Vice-rector adimplere debet; Rectore autem praesente, quid Vice-rectori competat, patebit a regulis, vel a mandatis Rectoris ipsius, cuius brachium dexterum appellatur, et cui plenam obedientiam praestare tenetur.

## PUNCTUM III.

*De Praefecto studiorum.*

1016. I. In multis collegiis et seminariis Rector est etiam Praefectus studiorum.

II. Praefectus studiorum praeest magistris, et debet curare ut quoad studia et scholas regulae serventur et

omnia bene procedant; si enim collegium quoad studia existimatione non gauderet, alumni deficerent et de illo iam actum esset. Quid simile dic de seminario; quinam enim filios suos (nisi forte de perseverantia eorundem in vocatione ecclesiastica certissimi essent) in illo collocaturi forent?

III. Innui supra quod etiam in seminariis studia, quae theologiam praecedunt, debent esse gubernativis conformia (it. *pareggiati*), ut alumni, qui forte in via ecclesiastica prosequi nolint, examina publica felici exitu sustinere valeant. Sed hoc quo pacto obtineri poterit? Notandum 1<sup>o</sup> quod Gubernium potest esse Ecclesiae adeo hostile, ut pro alumnis venientibus a seminariis nulla promotio sit sperabilis. Notandum 2<sup>o</sup> quod dum in gymnasiis et liceis gubernativis extensio minima Philosophiae, et maxima Physicae datur, in seminariis et collegiis catholicis omnino oportet ut pars valde amplior philosophiae (sicut etiam linguae latinae) tradatur. Nihilominus (praescindendo a praedicto casu) studia ita aequiparari possunt, ut (supplendo privatim) non solum quoad gymnasium sed etiam quoad liceum dicta examina feliciter sustineantur, prout ex facto patet.

IV. In scholis philosophiae, historiae et theologiae tum dogmaticae tum pastoralis, alumni contra errores et principia subversiva hodie adeo diffusa ita instrui debent, ut Religionis et Societatis bono efficaciter prospicere valeant (qua de re vide dicta n. 696-716). Multa autem antiqua, quae nunc parum vel nihil intersunt, resecantur.

V. Sedulo notandum quod in collegiis (in quibus utique de theologia dogmatica et pastorali nihil est) scholae religionis (Cf. n. 699) hodie necessariae sunt.

VI. Videat itaque imprimis Praefectus, an, quoad studia, omnia sic bene constituta fuerint; et in casu defectus curet ut superiores provideant.

VI. Hac basi supposita, fieri debent programmata, quae pro singulis materiis quotannis a magistris (Praefe-

cto hac in re vigilante) plene evolvantur. Praefectus autem in principio anni programmata ista simul cum rege-  
stis (ad notanda puncta etc.) magistris ipsis distribuat.

VIII. In scholis nedum profectus in studiis, sed praecipue bonitas, religio et disciplina quaeratur. In hunc finem Praefectus 1° efficiat ut magistri de re ista valde sint solliciti, et alumni intelligant quod moralis et religiosa se gerendi ratio super alia omnia consideratur. 2° Se tutum reddat quod in manibus alumnorum non adsint libri pro eorundem innocentia periculosi, cuiusmodi sunt etiam vocabularia non apposite purgata. 3° Exigat ut in principio et in fine scholae preces non utrumque sed devote recitentur. 4° Habito signo alicuius amicitiae particularis (qua de re magistri invigilare et denuntiare debent) statim remedium apponat. 5° Pro alumnis in pietate magis exemplaribus praemia non desint, et quidem primum locum teneant, atque ante alia distribuantur.

IX. Ab una ad aliam scholam illis dumtaxat permittat transitum, qui idoneitatis probationem praestiterint.

X. Invigilet ut pensa extra scholam exequenda sint proportionata nedum mediae capacitati alumnorum, sed etiam tempori, ne nimis graventur aut cogantur alias materias negligere. Et hoc in puncto regulas valde determinatas unicuique magistro assignet.

XI. Identidem (ad minus singulis mensibus) 1° informationes capiat, inquirendo v. g. an magistri quoad principium et finem scholae exacte servent horarium; an in scholis silentium servetur etc. 2° Ad se revocet notam indicantem negligentias (v. g. non interveniendo ad scholam, vel tarde adveniando, vel non deferendo pensa), et puncta obtenta sive bona sive mala. Aliquando autem exigat etiam compositiones ad verificandum an magistri illas bene correxerint, et in punctis assignandis iusti fuerint.

XII. Pariter (nisi forte ab Episcopo et Deputatis hoc praestetur) scholas visitet, discipulos interroget, compositiones inspiciat etc.

XIII. Curet ut media ad studium adaugendum atque ad emulationem excitandam adhibeantur. Huiusmodi sunt nedum examina et praemia, sed etiam praedicta puncta quotidie assignanda, attestations de merito (ordinarie in schola et identidem solemnius distribuendae), provocationes (it. *sfide*), primatus aut loca honorifica, academiae, publicae disputationes etc.

XIV. Expediit ut examina dentur nedum in fine sed etiam in medio anni, et sint nedum in scriptis sed etiam (assignatis v. g. decem minutis pro qualibet materia) oralia. Pro scriptis expediit ut determinetur tempus nedum ultra quod compositiones non acceptentur, sed etiam infra quod nemo a schola discedere possit. Oportet autem 1° Ut discipuli in nihilo examinentur quod illos magister non docuerit; et themata nec nimis facilia nec nimis difficilia sint, qua de re praefectus ipse iudicabit. 2° Ut examinatore non sit ipse eiusdem classis magister, sed alius 3° Ut semper sit praesens aliquis superior ad invigilandum ne discipuli sibi invicem aliquid suggerant, vel ex libris vel scriptis secum occulte delatis aliquid excribant etc.

XV. Examinatores assignabunt puncta pro merito compositionum, sed ita ut praefectus de eorundem iustitia iudicet, et in dubio rectorem consulat. Commissio ad hoc deputata assistere debet examinibus oralibus, et ipsa de punctis iudicabit.

XVI. Ex media punctorum, quae in examine et intra annum obtenta fuerint, praefectus determinabit quinam praemia et laudes habere debeant; et in hoc scrupulose et firmiter servabit iustitiam, de qua proinde alumni eorumque genitores semper plene tuti esse possint.

XVII. Procurandum ut alumni non graventur expensis plus quam sit stricte necessarium, et proinde, v. g. 1° Non permittantur collectae pro comparandis donis occasione diei onomastici magistrorum. 2° Non detur consilium de emendis libris (quamvis optimis) qui pro schola non exigantur. 3° Non mutentur libri textus abque vera necessitate.

XVIII. Procurandum potius ut in bibliotheca bene ordinata (cum elencho) in qua ad commodum magistrorum (et aliquando etiam alumnorum) adsint auctorum probatorum opera nedum antiqua sed etiam moderna, quae tamen (notante praefecto cuinam consignata fuerint) extra collegium vel seminarium nunquam deferantur.

## PUNCTUM IV.

*De magistris.*

1017. Tenentur in conscientia et sub gravi satisfacere obligationibus, quae iam omnibus magistris sunt communes. Illas indicavi in *Praxi* (*Ed. III. v. III. n. 176*). Hic noto solum sequentia.

I. Magister tenetur ad dno: nempe 1° ad instructionem recte suppeditandam; 2° ad disciplinam in schola servandam; tempore enim scholae alumni ei committuntur, et tunc ille solus responsabilis est.

II. Exactus in servando horario debet semper esse praesens in cathedra aliquibus minutis antequam discipuli adveniant; et si aliquando advenire non posset, praefectum tempestive commonefacere deberet. Alumnos nunquam solos relinquat; nec ante tempus ab horario praefixum discedat.

III. Nec in principio, nec in progressu, nec circa finem lectionis cum discipulis loquatur de rebus non pertinentibus ad lectionem ipsam, cui semper attendat nec alia faciat. Illi autem remaneant semper in propriis scamnis, nec aliqui circa cathedram coadjuentur.

IV. Praeter praeparationem remotam, ordinarie (speciatim in primis annis et maxime in scholis altioribus) proximam etiam praemittere tenetur; secus aberrationes, titubantiae, confusiones, repetitiones, obscuritates etc. inevitabiles essent.

V. Ad disciplinam in schola servandam non sit de illis qui semper clamant, obstrepunt, obiurgant, minitantur etc.; sic enim magister se ridiculum redderet et finem intentum non assequeretur. Silentium et attentio obtinebitur, si magister gravitatem praeseferat, semper (et maxime super illos qui facilius evagari solent) invigilet, et principiis obstet; si quis nempe evagari et loqui inciperet, magister (si nutum facere aut lectionem aliquantisper interrumpere non sufficeret) seriam correctionem adhibeat; non tamen procedat ad minas, quas adimplere nequeat.

VI. Poenae (si quae interdum exigenter) imprimis (vetitis semper percussioibus) debent culpae proportionari, aliud enim esset si ageretur de culpis levioribus, v. g. si semel vel bis alumnus silentium non servaverit, aut iocum aliquod fecerit, aut pensum non exsolverit, aut tarde advenit, aut condiscipulum verbo aliquantulum offenderit; aliud vero si culpa fuisset gravior, v. g. si iam multis vicibus ita se gessisset, vel si socium percussisset, vel magistro ipsi irreverenter respondisset, vel (exterus seminaristae, aut e converso) clandestine epistolam dedisset, vel aliquid perpetrasset quod amicitiae particularis suspectum ingereret etc. Si enim culpa fuisset levior, tunc poena quoque levior esse deberet, et sufficeret ei imponere v. g. transcriptionem (in bona caligraphia) alicuius paginae, vel repetitionem pensi male peracti etc. Si vero culpa fuisset gravior, tunc poena gravior esset infligenda, v. g. privando illum ipso aut deambulatione aut vino pro una vel altera vice. Adhuc autem magis graves essent poenae v. g. eiciendi illum a schola cum suspensione a lectionibus ad tempus, vel transigendi unum vel alterum diem in pane et aqua etc. Oportet insuper ut magistri illas tantummodo poenas infligant, quae eisdem a regulis permittuntur, ordinarie enim poenae graviores solum a studiorum praefecto infligi possunt, et in seminariis expulsio absoluta Episcopo reservatur.

VII. Magistri non possunt concedere dispensationes (quae speciatim ab exteris peti solent); et proinde petentes

licentiam v. g. aliqua vice non interveniendi, vel citius abeundi, vel non exequendi pensum etc. remittat ad praefectum, cuius erit iudicare utrum excusationes et motiva approbari debeant.

VIII. Quoad pensa extra scholam exequenda, unusquisque magister debet 1<sup>o</sup> Attendere ut mediae discipulorum capacitati sint proportionata. 2<sup>o</sup> Stare regulis et mandatis praefecti ne (iuxta dicta n. 1013 IX) necessariae discretionis limites excedantur. 3<sup>o</sup> Errores et defectus respectivis signis adnotare, atque meliori modo possibili se tutum reddere quod discipulus correctiones bene consideraverit. 4<sup>o</sup> Pun-cta iuste assignare.

IX. Circa materiam die praecedenti explicatam interrogationes faciat quibus omnes attendant, et postea exigat ut hic vel ille (a sorte designatus) respondeat.

X. Sedulo procuret ut discipuli omnes stent (ut vulgo dicitur) in currenti, et, si forte aliquis impedimento detentus lectionem aliquam omisisset, statim suppleat. Excepto casu isto, vel etiam casu discipuli magna ingenii tarditate laborantis, uti magistro lectiones privatim repetitive non expediret.

XI. Si pro textu liber assignatus fuisset, magister in mutationibus, correctionibus, vel additionibus in eodem faciendis parce et caute admodum procedat; periculum enim est non solum inducendi confusionem in discipulis, sed etiam sive errandi, sive efficiendi ut propter additiones aliae partes necessariae omitti debeant atque ita programmata plene evolvendi tempus non suppetat. In re gravi et in dubio consulendus esset praefectus.

XII. Obiectionibus et interpellationibus satisfaciendum est privatim, sed illae non facile permitti debent in schola; si enim obiectiones essent insulsaе, tempus perderetur cum damno discipulorum; et si essent graves, interveniret periculum, cum iactura existimationis aut etiam veritatis, imprudenter, confuse aut erronee respondendi.

XIII. Quamvis magistris directe et principaliter studia committantur, tamen moralitatem quoque, pietatem et religionem prae oculis habere debent. In hunc finem aliqua bona verba (quae a discipulis quam maxime aestimari solent) subinde dicere non omittant; devote brevem orationem in principio et in fine scholae recitent; in thematibus, in exemplis et exercitiis sive pro regalis explicandis sive pro versionibus faciendis etc., quae ad bonos mores vel ad religionem spectant, industrie inserere procurent.

XIV. Singulis annis prima die scholae faciant introductionem eo directam ut discipuli muneribus suis satisfaciant et studium sanctificent. Specimen dedi in *Praxi* (Ed. III. v. iv. pag. 541).

PUNCTUM V.

*De Directore spirituali.*

1018. *Quodnam est officium directoris spiritualis in seminariis?* Debet non iam solum celebrare Missam et impertiri benedictionem (prout fit in multis collegiis, ubi, ad illusionem faciendam catholicis, presbyter adest, vel etiam in quibusdam seminariis, ubi alumni multo minus quam agricolae verbum Dei et instructiones religiosas audiunt); sed debet plenissime et diligentissime illos instruere, atque omnem curam spiritualem eorundem habere.

1019. *Veniendo ad particularia, quomodo Director spiritualis muneri suo satisfacere poterit?* Imprimis eiusdem officii sui magnam existimationem habebit; illique satisfaciet 1<sup>o</sup> Sermonibus in sacello habendis (1). 2<sup>o</sup> Occasione audiendi alumnorum confessiones, et habendi colloquia privata cum illis. 3<sup>o</sup> Conciliando sibi eorundem confiden-

(1) Suppono non agi de illis seminariis, in quibus Director spiritualis proprie dictus non adest; bene vero, adest confessarius; quidquid autem pertinet ad curam spiritualem externam, (v. g. praedicationem) Vice-rectori committitur.



tiam, eisque ad se accedendi omnem commoditatem praestando. 4<sup>o</sup> Ope communionis frequentis aliorumque operum pietatis et religionis. 5<sup>o</sup> Procurando decorem domus Dei, et sacrarum functionum. 6<sup>o</sup> Oratione et sanctitate vitae. Sed haec sunt breviter explicanda.

1020. *Quomodo magnam habebit officii sui existimationem?* Quia 1<sup>o</sup> hoc officium directe respicit animas (*Da mihi animas; caetera tibi tolle*) 2<sup>o</sup> Agitur de excelso viridario, in quo fructus laboris non deperditur, et parvulae plantae adeo bene crescunt et custodiuntur. 3<sup>o</sup> Agitur de fundamento, et quidem principalissimo ex quo totum Seminarium bonum provenit; virtutes enim, quae a Directore spirituali procurantur, efficiunt etiam ut alumni ad studia diligenter incumbant, regulas observent etc.; unde bene dici potest quod Director spiritualis est anima seminarium. 4<sup>o</sup> Agitur non de seminario tantummodo sed de Dioecesi tota; non enim seminarium est sicut collegium, in quo fructus fere solum ad alumnos restringitur; iuvenes quippe in seminario degentes in posterum totius dioecesis clerum efformabunt. 5<sup>o</sup> Agitur de tyrocinio, quod si necessarium est pro omnibus aliis artibus et officiis, multo magis pro ministerio sacerdotali, et pro officiis ecclesiasticis exigitur. Equidem tyrocinium istud duas habet partes, nempe in scientia et in virtute; sed pars longe potior est virtus; dum enim a Clero sancto bona inestimabilia in tota dioecesi provenient, a Clero virtute non praedito, nonne parum boni et multa vitia atque scandala expectari debent? 6<sup>o</sup> Denique officium Directoris spiritualis omnibus aliis officiis, quae in dioecesi sunt, praestat; ille enim confessarios, parochos, missionarios etc. (quoad dotem magis necessariam, nempe sanctitatis, fervoris, et zeli) efformare debet.

1021. *Quid de sermonibus in seminarium sacello habendis?*

I. Non sufficit ut Director spiritualis audiat confessiones, et tunc alumni ad illum accedentibus bona consi-

lia praebeat, sed oportet ut in sacello ad omnes (veluti parochus) sermonem habeat; et haec est schola quae omnibus aliis scholis praeeminet.

II. Sermonem autem habebit nedum diebus dominicis aliisque festis de praecepto, sed etiam die vacationis quae intra quamlibet hebdomadam esse solet.

III. Ad determinandum quaenam argumenta evolvere debeat, prae oculis habebit quod alumni sunt 1<sup>o</sup> christiani; 2<sup>o</sup> iuvenes; 3<sup>o</sup> seminaristae; 4<sup>o</sup> magna ex parte clerici et proinde 5<sup>o</sup> futuri erunt sacerdotes et operarii in vinea Domini.

a) Quatenus christiani, edocendi sunt in catechismo, et advertendum quod in classibus superioribus indigent instructione magis evoluta et his temporibus accommodata, quae hodie *schola religionis* (ut supra innui) dici solet.

b) Quatenus iuvenes, cum illis agendum est 1<sup>o</sup> de maxima necessitate bene et virtuose ducendi totam vitam, mortificando passiones, resistendo tentationibus, orando, et adhibendo alia media salutis. Agendum est 2<sup>o</sup> (praemissis instructionibus circa consilia evangelica et vocationem ad sacerdotium) de electione status.

c) Quatenus seminaristae, edocendi sunt circa obligationes eorumdem proprias, ut nempe diligenter ad studia incumbant, regulas observent, actus religiosos eisdem praescriptos (v. g. preces, meditationes, confessiones, communionem etc.) non utcumque sed bene praestent, semperque solidam pietatem praeseferant, in qua firmi persistent non obstantibus difficultatibus, et forsitan etiam verbis pungentissimis; adeo facile enim est quod ab aliquibus tamquam impostores et delatores traducantur. Si autem (ut dixi *n. 1013 VIII*) superiores omnes curare debent ut alumni libenter actus religiosos exerceant, cura ista maxime spectat ad Directorem spirituales, et certe est summi momenti; loquendo enim speciatim de alumni qui viam ecclesiasticam non erunt prosecuturi, si non ex animo religioni propenso, sed veluti per vim et ex quadam hypocrisi ad evitandas reprehensiones superiorum, illos exerceant, non

solum nihil boni sperari posset, sed etiam egressi a seminario, quasi tandem liberi a pondere molestissimo, Ecclesiae valedicturi et peiores aliis evasuri essent, ut iam nimis ex facto patet.

d) Quatenus denique sint *clerici et in posterum futuri sint sacerdotes atque operarii laborantes in vinea Domini*, agendum erit de perfectione pro sacerdotio requisita, de exemplaritate vitae, et de necessitate ut, non quaerendo quae sua sunt sed quae Iesu Christi, salutis animarum zelo flagrent, atque ad non parcendum laboribus et sacrificiis sint parati.

IV. Curet quidem Director spiritualis ut pietas et devotio sit solida, sed curet etiam (repeto) ut sit (ut italice dicitur) *disinvolta*, laeta et amabilis. Laetitiam commendet, simulque eiusdem verum fontem indicet, qui solum in virtute et conscientiae puritate consistit.

V. Utatur stylo familiari et valde facili, unde etiam alumni classium inferiorum omnia bene intelligant. Seclusa falsa declamatione et quavis affectatione, affectuose et ex corde tamquam pater ad filios suos loquatur.

VI. Attamen diligenter se praeparet; hoc enim est prorsus necessarium ut 1<sup>o</sup> instructio (ut supra) completa et ordinata evadat; 2<sup>o</sup> unusquisque sermo efficaciam habeat; 3<sup>o</sup> fructus supra indicati obtineantur; 4<sup>o</sup> evitetur periculum ne, propter verba impropria, defectus argumentationis, titubantias etc., criticae fiant et Director irrisionibus exponatur. Si autem Directori ipsi etiam praedicta schola religionis assignaretur, tunc (uti patet) maior et (maxime hodie) specialissima praeparatio exigetur, et iuvare poterunt quae dixi in opusculo *De inventute ab hodierna incredulitate praeservanda n. II*.

VII. Res magis necessarias non semel vel iterum commendet, sed saepe saepius inculcet.

VIII. Virtutis angelicae amorem insinuet, sed ita caute ut ea in re adhuc prorsus innocentibus nullatenus praeiudicet.

IX. Denique sit brevis et delectet. Sit brevis, sed in brevi sermone multa substantia adsit. Ad delectandum autem, valde iuvant pulchrae similitudines, et exempliola.

X. Quoad exercitia spiritualia alumni quotannis procuranda, recolantur supra dicta (n. 1012). Expediret ut omnes directores spirituales ad illa essent parati, et ordinarie in diversarum dioecesium seminariis illa peragerent. In proprio autem de alumni ad illa bene disponendis, et postea de perseverantia atque fructu custodiendo, solleciti sint.

XI. Pro clericis in seminario non degentibus speciales admonitiones (uti patet) exiguntur; et proinde expedire posset ut specialis director eis assignaretur.

1022. *Quid de officio Directoris spiritualis circa curam alumnorum habendam non solum publicis sermonibus (ut supra), sed etiam aliis modis: et circa eorundem confidentiam sibi conciliandam?*

I. Alii modi accidunt praecipue (ut supra innui) occasione audiendi eorundem confessiones et habendi cum illis colloquia privata. In hunc finem oportet ut intra seminarium resideat, ad eos excipiendos semper paratus.

II. In utroque casu, praeter notissima ab omnibus confessariis et consiliariis generatim observanda, prae oculis habeat supra dicta (n. 1021 III. b. c. d), et quoad electionem status maxime auxiliabitur illis de quibus sperari debeat quod, attentis signis vocationis, bonisque dotibus mentis et cordis, Ecclesiae valde utiles futuri sint.

III. Circa confessiones curet ut alii quoque confessarii, disciplinae externae minime praepositi, inter meliores (quantum fieri potest) selecti et de quorum zelo et speciali (quae utique exigitur) idoneitate plene sit fidendum, diebus et horis convenientibus praesto sint, et quidem in numero proportionato ut alumni omnes suam confessionem bene et commode peragere possint. Imo, si quis de confessariis designatis non esset contentus, alius quem ille exigeret ei concedi deberet. Director autem ne minimum

quidem det unquam signum displicentiae si hic vel ille non amplius pro confessione ad illum accedat.

In collegiis et seminariis intervenire potest obligatio denuntiandi Superiori tentatorem vel etiam complicem, sed caveat confessarius ne ex curiositate vel utcumque sine legitimo motivo interrogationes faciat, quibus detegat quisnam ille sit; maxime vero ne sub denegatione absolutionis eiusdem nomen exquirat: qua de re severissimae Ecclesiae leges iam sunt notissimae. Vide *Praxim* (Ed. III. Vol. IX. n. 312) et *De Occasionariis* (Ed. V. n. 290).

IV. Circa colloquia privata (quibus facile indigere possunt etiam illi qui Directoris poenitentes stabiles minime sint), oportet imprimis ut unusquisque cum plena confidentia ad illum accedere, suasque turbationes, perplexitates, necessitates vel etiam simplicia desideria ei manifestare possit. Hinc 1<sup>o</sup> omnes indiscriminatim excipiat. 2<sup>o</sup> Non imperiose ad modum superioris, sed affectuose ad modum patris vel amici cum omnibus procedat. 3<sup>o</sup> Si alumni ad illum accedentes in sermone inutilia aut puerilia immisceant, vel ad animi levamen (propter aliquam offensam sive a sociis sive a superioribus receptam) plus aequo iracundiam explerent, vel non statim consilii acquiescerent etc., patientiam adhibeat, nec taedium aut festinationem, et multo minus contemptum, ostendat. 4<sup>o</sup> Secretum inviolabiliter servet, et alumni tutissimi sint quod ex sermonibus cum illo habitis nullum gravamen (perinde ac si in confessione sacramentali locuti fuissent) sibi unquam advenire poterit. 5<sup>o</sup> Ad evitandum quemlibet hac in re suspectum vel timorem vel periculum, in procuranda disciplina externa sive cum Rectore, sive cum Vice-rectore, sive cum Praefectis etc. nullatenus se immisceat. Insuper ab informationibus dandis circa alumnorum mores solertissime caveat, et proinde cum eorundem parentibus, neque per epistolam neque coram, relationem habeat, quae suspectam inducere possit. Denique loquendo cum uno alumno, de aliis alumnis non loquatur, et maxime caveat ne aliquid subindicet quod

confidenter sibi dictum fuerit. Sedulo notandum quod confidentia, si semel amittatur, amittitur in perpetuum nec amplius recuperatur; et alumni, amissa confidentia cum Directore spirituali, quae illi dicere deberent, dicerent sociis, atque ita non remedia malis apponerentur sed nova mala subsequerentur.

V. Colloquia privata intervenire possunt non solum quando alumnus sponte sua Directorem spiritualement adit, sed etiam quando oportet ut Director ipse ad eum se conferat vel illum advocet. Hoc contingere potest speciatim. 1<sup>o</sup> si alumnus superiorem aliquem offendisset, et indigeret impulsu ut se humiliaret atque veniam peteret. 2<sup>o</sup> Si gravis discordia inter aliquos alumnos suborta fuisset; munus enim pacificatoris Directori competit (idque quamvis inter superiores ipsos discordia evenisset). 3<sup>o</sup> Si aliqua benevola correctio, secluso fine cuiusvis punitionis, necessaria evasisset; ut scilicet alumnus, post culpam, animo non deiciatur, respiscat, et ex malo bonum adaugendi occasionem sumat. 4<sup>o</sup> Si infausta aliqua notitia alicui dari deberet; vel si quis, illa iam habita, vel utcumque maerore oppressus, consolatione indigeret. Casus, in quibus Director alumnos ad se vocet, debent esse rari; et semper curandum ut eligatur tempus opportunum (v. g. diei vacationis) ne alumni priventur recreatione, aut studio (penso non adhuc expleto).

VI. Pro obtinendo bono alumni, sive in confessione sive in colloquiis privatis, oportet ut Director, attenta indole, passione praedominante atque dotibus mentis et cordis alumni ipsius, prudenter se gerat, ut finem intentum assequatur. Valida motiva sunt adducenda, sed ita ut boni modi cum omnibus, et speciatim cum iracundis, maxime vero cum convulsivis aut melancholicis, semper adhibeantur.

1023. *Quid de communione frequenti, aliisque operibus pietatis aut religionis valde commendandis?*

I. Frequentia SS. mae Communionis, si omnibus, multo magis seminaristis et clericis commendanda est; ita tamen

ut circa maiorem vel minorem frequentiam unusquisque a confessario dependere, et iste a tenore vitae atque profectu in virtutibus regulam sumere debeat.

II. Alia etiam opera pietatis et religionis commendari debent, sed (uti patet) discretionem servata. Quae in seminario iam sint de consuetudine (v. g. Visitationes SS. mi Sacramenti, lectiones spirituales, Dominicae S. Aloysii, Sanctificatio Mensis Maii etc.), curandum ut ferventer adhibeantur; sed non facile nova sunt superaddenda.

III. Magnus amor Sanctae Matris Ecclesiae, et plenissima atque arcissima adhaesio Summo Pontifici commendari debet.

1024. *Quid de procurando decore domus Dei et sacrarum functionum?* Quantum oporteat ut in seminario sacellum et sacrae suppellectiles munditiae et decore praeferantur, simulque in caeremoniis et cantu sacro omni-modi proprietates serventur, ita ut omnia ista vere sint ad exemplum, unusquisque videt.

1025. *Quid de Directore spirituali circa orationem et exemplaritatem vitae?*

I. Ut loquatur ferventer, in cordibus se insinuet, et Deus illius verba sua benedictione fructuosa reddat, prorsus necessarium est ut orationi et meditationi incumbat et vere sit homo Dei. S. Gregorius dicit: « Prius est illuminari quam illuminare: prius est purificari quam purificare: prius est ad Deum accedere quam ad Deum adducere ».

II. Exemplaritas vitae, si in omnibus superioribus, maxime in Directore spirituali exigitur qui recollectione, pietate et omnibus virtutibus exemplarissimus esse debet. Exemplum huiusmodi concio perpetua erit.

1026. *Quid de direttore spirituali quoad munuscula et praemia?* Bene erit si munuscula devota indiscriminatim distribuatur; sed minime se ingerat in assignatione praemiorum, quae (ut supra n. 1016 VIII) alumnis in virtute et pietate magis laude dignis distribuuntur.

## PUNCTUM VI.

*De Praefectis classium.*

1027. Unusquisque classium (it. *delle camerate*) Praefectus ad sequentia speciatim tenetur. 1º Regulas observet et observare faciat, atque superioribus in omnibus obediat. 2º Amorem simulque respectum sibi conciliet. 3º Invigilet. 4º Quasdam speciatim inordinationes non toleret. 5º Quasdam speciatim virtutes procuret. 6º Corrigat. 7º Superiores informet. 8º Secretum servet. 9º Speciali modo in quibusdam virtutibus se exemplarem ostendat. Singula breviter explico.

1028. *Quid de monita: Regulas observet et observare faciat, atque Superioribus in omnibus obediat?*

I. Cognoscat et observet regulas ad suum officium spectantes.

II. Regulas quae ad alumnos, atque insuper quae ad famulos spectant, cognoscat et observare faciat.

III. Propriae auctoritatis limites (speciatim quoad prohibitiones et punitiones) nunquam excedat.

IV. Rectoris et Vice-rectoris iussa exequatur, neque in iudicio proprio se obstinet.

1029. *Quid de secundo monito: Amorem simulque respectum sibi conciliet?*

I. Praefectus se gerere debet ut pater, qui in eadem domo cum filiis suis convivit. Patri autem maxime competit ut filiorum ipsorum amorem et respectum sibi conciliet.

II. Quoad amorem, alumnos suos amet revera, idque ostendat nedum laetitia vultus atque affabilitate verborum, sed etiam (imo praecipue) factis et cura vere paternâ. Caveat a partialitatibus. Contentiones evitet. Si petitionibus annuere possit, annuat statim, annuat libenter. In dubio potius ad benignitatem quam ad rigorem inclinet. Si annuere nequeat, displicentiam ostendat, et dicat se de-

siderare aliam occasionem in qua annuere possit. Si forte aliquem iniuste offendisset, malum commissum meliori modo possibili reparare procuret. Attamen in amore limites non excedat, et maxime caveat ne aliquid sensualitatis imisceatur.

III. Quoad respectum sibi conciliandum, stet semper in gradu suo, et dulcem affabilitatem cum quadam gravitate coniungat, atque efficiat, ut alumni illum quidem ament, sed simul existiment, et timeant.

1030. *Quid de monito: Invigilet?*

I. Classem sibi commissam nunquam deserat, neque (ut supra innui) unquam permittat ut aliqui ab aliis ita separentur ut soli remaneant, et reminiscatur quod magis malitiosi solent etiam esse magis astuti.

II. Delationes audiat. Non tamen illis facile credat; sed invigilet.

III. Invigilet speciatim in periculo amicitiae particularis, aut alicuius relationis clandestinae.

1031. *Quid de monito: Quasdam speciatim inordinationes non toleret?* Huiusmodi sunt 1° Peccata manifesta nempe inobedientiae, obstinationes, irreverentiae, arrogantiae, criticae etc. contra Superiores; item altercationes, verba offensiva, irrisiones et murmurationes; item mendacia; item superbia et laudes sui ipsius. 2° Quaedam periculosa, nempe otium; accessus (sine permissu) ad cellam alterius; manuum apprehensiones aut ioca (it. *scherzo di mano*); epistolae missae vel receptae non iuxta regulas, colloquia secreta, vel cum famulis seminarii (non praesente Praefecto). 3° Permutationes, et munera inter alumnos. 4° Defectus ordinis; curet scilicet Praefectus ut unusquisque libros et alia quae in cella adsunt, semper in ordine servet. 5° Defectus munditiei et debitae concinnitatis in persona, vestibus, calceis etc. 6° Verba vernacula, maxime vero platealia prorsus aut aliquo modo inhonesta.

1032. *Quid de monito: Quasdam speciatim virtutes procuret?* Huiusmodi sunt 1° Devotio et vera pietas in

Ecclesia et in precibus, unde Praefectus efficiat, ut preces cum sua classe seorsim quotidie recitandae, non festinanter sed sensim et devote recitentur. 2° Virtus angelica, et proinde Praefectus modestiam rigorosissime exigat, et praesentiam Dei semper commendat.

1033. *Quid de monito: Corrigat?*

I. Imprimis non sit de illis quibus dici posset: *Noli esse sicut leo in domo tua*. Equidem Praefectus corrigere debet, sed neque iniuste, neque nimis frequenter, neque excessive; secus enim existimationem amitteret, odium contra se concitaret, et nihil proficeret.

II. Hinc non corrigat nisi quando certus sit quod alumnus aliquid reprehensione dignum vere commiserit; et si culpa esset partim certa et partim incerta, (ut puta, si certum quidem factum, sed talis vel talis intentio prava incerta foret) solum pro parte certa correctionem faciat. Uno verbo, caveat ne in correctione aliquid ei excidat, quod alumnus pro iniuria habere possit.

III. Caveat ab ira: bonis modis procedat: dicat quod corrigere et punire ei displicet: correctionem immisceat cum laudibus et excusationibus (dicendo, v. g. rem forsitan ex defectu reflexionis provenisse); et tandem significet se esse certum de emendatione atque ex malo bonum fore futurum.

IV. Poenas non infligat nisi in quantum Praefectis a regulis permittantur, atque insuper sint proportionatae. Ad iudicandum autem de proportione, considerari debet non solum an culpa fuerit gravis vel an scandalum produxerit (necne); sed etiam an agatur de peccato semel et casu commisso quod difficile iterabitur, an vero de prava consuetudine, quae extraordinarium remedium omnino exposcat.

V. In correctione, habenda est etiam ratio indolis alumni: si enim correctio fortis, vel etiam punitio gravior, potest esse utilis et facile necessaria quoad perverces, obstinatos, atque mente et corde duos; quoad alios minus sufficet; cautela autem specialissima (ut supra in-

nui *n. 1022 VI*) quoad convulsivos et melancholicos adhiberi debereht.

VI. Ut plurimum, absque recurso ad poenas, affectuosis reprehensionibus, vel etiam simplicibus monitis, utendum est. Reminisci tamen oportet verborum Apostoli dicentis: *Argue in omni patientia*; non scilicet semel corrigendum et postea semper patientia adhibenda est, sed in correctionibus faciendis, et (si casus ita ferat) pedetentim adaugendis, patienter est perseverandum. In iuvenibus (qui adeo facile irreflexioni subiiciuntur) non ita cito emendatio obtinetur, sed de illa tandem aliquando obtinenda non est desperandum. Vitis aquam in vinum mutat sensim sine sensu: repente etiam sic mutata fuit, sed semel et per miraculum.

1034. *Quid de monito: Superiores informet?* Certe Praefectus de moribus alumnorum Superiores informare tenetur; sed delationes circa particularia ad casus necessitatis reservare debet; secus enim non iam amorem (ut supra) sibi conciliaret, sed nimis invisum se redderet. Res itaque leviores et ordinarias nec Rectori nec Vice-rectori deferat, sed illis per se ipsum remedium (ut modo dicebam) apponere conetur. Aliud est de gravioribus (speciatim contra pudicitiam vel religionem (in materia fidei), quibus in rebus superiores severissimi et inexorabiles esse debent. Item aliud est de relationibus generalibus, seu de punctis, quae Praefectus circa disciplinam, pietatem etc. unicuique iuxta meritum assignare, et (iuxta regulas) periodice Superioribus ostendere tenetur. Facilius Directorem Spiritualem (a quo nulla poena est timenda) de defectibus etiam levibus alumnorum informare poterit vel etiam (aliquando) debebit.

1035. *Quid de monito: Secretum servet?* Imprimis secretum servet, si lectio epistolarum ei committatur. Item circa defectus occultos alumnorum suorum. Denique Praefecti cavebunt ne quae accidunt in propriis classibus (nec publica evaserint) sibi invicem communicent.

1036. *Quid denique de monito: Speciali modo in quibusdam virtutibus se exemplarem ostendat?* Equidem in virtutibus omnibus, sed speciatim in tribus exemplarem se ostendere debet; nempe 1° in pietate et devotione; 2° in modestia; 3° in obedientia et reverentia erga superiores.

PUNCTUM VII.

*De Oeonomo.*

1037. *Officium Oeconomi in quo consistit, et quanti momenti est?*

I. Oeonomus debet attendere rebus temporalibus seminarii (vel collegii). Est non iam merus *computista*, sed procurator generalis, qui providere tenetur illa omnia, quibus alumni indigent, et facere quidquid pro temporali seminarii ipsius bono necessarium est.

II. Hoc etiam officium est admodum momentosum; si enim alumni non bene tractarentur, et multo magis si, ob malam administrationem et debita contracta, media pecuniaria semper imminuerentur, tunc numerus alumnorum ipsorum semper decresceret, et res eo usque procedere possent, ut etiam de seminario (vel collegio) claudendo agi debeat. Sic autem quid prodesset si alia omnia optime procederent?

1038. *Veniendo minutius ad particularia, quaenam ab Oeonomo praestari debent?*

I. Bene cognoscat activum et passivum. In activo proventa certa a dubiis, et in passivo expensas prorsus necessarias atque urgentes ab illis quae solum utiles sint vel moram patiantur, bene distinguat; et advertat expensas impraevisas non esse futuras. Deinde, antequam incipiat annus scholasticus, *praeventivum* (maxime pro regula ut in expensis non excedatur, et nulla exactio negligatur), praeparet, et superiorum approbationi subiiciat.

II. Quoad exactiones, nec in toto nec in parte a pensione vel taxa solvenda quemquam dispenset. Morosos ad solvendum sollicitet, et (si opus sit) superiori denuntiet.

III. Quoad expensas, ex una parte procuret ut circa victum, servitium etc. alumni semper contenti remaneant, atque omnibus seminarii necessitatibus satisfiat; et ex alia a superfluis absteat, et in rebus omnibus (quantum fieri potest) oeconomice procedat.

IV. Non paulatim et minutatim, sed simul et in quantitate pro toto anno requisita (consentiente superiore) provisiones faciat de rebus, quae facile servando servari valent; et quoad alia singulis annis contractus ineat cum venditoribus, ut minori portio et qualitate meliori semper habeantur (1).

V. Ut in seminariis et collegiis recipi possint etiam alumni tenuioris conditionis, prorsus necessarium est ut duae vel etiam tres mensae diversae fiant; et Oeconomus attendere debet ne obsonia (attenta qualitate et quantitate) superent valorem pensionis ab iisdem solvendae.

VI. Sedulo advertat quod excessus etiam exiguissimus, maximi momenti (in summa) esse potest; quid enim si in amplo collegio, v. g. trecentum alumnorum, excessus ultra vires collegii ipsius pro singulis esset centesimum unicum? Nonne iam ex hoc tantummodo plus quam mille libellis passivum superaret activum quotannis?

VII. Cavendum a latrunculis domesticis, longe enim plus quam latro extraneus qui semel furtum ingens perpetret, nocere solent illi famuli, qui (sive obsonatoris offi-

(1) Hinc magnae provisiones utiliter fieri solent v. g. quoad uvam (pro vino), oryzam, legumina, poma pro hyeme, oleum, saccharum, fabam arabicam (it. *caffè*), thynnium (in oleo), asellum salitum, telam, pannum, chartam, calamos, atramentum (si haec a collegio essent providenda), ligna pro hyeme, petroleum etc. — E contra contractus cum venditoribus inire annuatim expedire solet, nedum quoad carnem, piscem, fructus recentes et pulmenta ex farina (it. *minestra*); sed facile etiam quoad carnem suinam pro hyeme servandam. Quoad panem, an expediat emere triticum, an vero potius (si Collegium non habeat clibanum proprium oeconomicum) contractum inire cum pistore, res pendet a circumstantiis.

cium habentes, sive promptuario vel culinae, vel cellae vinariae addicti) quotidie aliquid surripiunt. Invigilet itaque Oeconomus, maxime si (ut dixi) famulus non adhuc probatus fuerit; et, reperto huiusce generis defectu, illum Rectori denuntiet.

VIII. Nedum ex his furtulis, sed etiam ex dissipationibus habitualibus, non servando debitam oeconomiam (prout facilius in coquina contingere solet) magna damna coalescere possunt.

IX. Verificet an res sint illius ponderis et qualitatis cuius esse debent; et ab obsonatore quotidie rationem exigat.

X. Quoad restaurationes, principiis obstet, ne, cum subsequenti necessitate multo magis expendendi, mala maiora evadant.

XI. Quoad alumnorum expensas particulares, non sit prorsus indifferens, eorundem enim genitores illis etiam gravari solent. Curandum itaque ut alumni limitentur ad necessaria, et obiecta quibus indigent minori pretio possibili habere possint.

XII. Ex hucusque dictis patet quod Oeconomus de diversis rebus et operibus, necnon de correspondentibus pretiis et mercedibus, peritus esse debet.

XIII. Caeterum oeconomice quidem sed non avare procedat.

XIV. Procuret salubritatem (it. *igiene*), efficiendo speciatim ut cellae, dormitoria, scholae, Ecclesia etc. bono aere, et in hyeme sufficienti calore non destituantur. Nihil dico de valetudinario (it. *infermeria*).

XV. Libros administrationis (cum respectivis documentis comprobativis) semper in plena regula servet; nec differat in posterum quae hodie scribi debent.

XVI. In fine anni totius gestionis rationem generalem Episcopo praesentet.

*De Superioribus quoad Seminarii famulos.*

1039. I. Cautissime procedi debet in illis eligendis; oportet enim ut sint nedum idonei pro suo officio adimplendo, robore et sanitate gaudentes, sed etiam bonis moribus praediti; uno verbo oportet ut sint nedum boni famuli sed etiam boni christiani, et quoad fidelitatem omni exceptione maiores. Informationes accuratissimae capiendae sunt, et tantummodo bonum Pii Loci (seclusis quibuslibet aliis respectibus) respici debet.

II. Acceptari debent cum pacto expresso ut contractus sit solubilis ex utraque parte quovis tempore, praevisio monito.

III. Mercede iusta sunt retribuendi, simulque aliquam cautelam providendum ne, cessante servitio post multos annos, ipsi cum dedecore Pii Loci in miseria extrema versari cogantur. Severissime prohibendum ne strenas aut munera ab alumnis eorumve genitoribus recipiant.

IV. Sint in numero proportionato, ut (quin nimio labore graventur) diversis officiis atque omnium alumnorum servitio satisfieri possit. Pro diversis officiis (loquendo etiam de collegiis), italice dicuntur *spenditore, cuoco e sotto-cuoco, cantiniere, dispensiere e refettoriere, guardaroba, portinaio, cameriere di casa, camerieri di camerata, bidello, infermiere*. Quaedam tamen officia (speciatim in parvis collegiis et seminariis) in unica persona cumulari possunt; et plura (uti patet) exigunt ut viris spectatissimae fiducia committantur. Alicubi, ad cibos parandos et linteamina reficienda atque custodienda, moniales (utique non sine necessariis cautelis) valde utiliter adhibentur.

V. In famulis defectus intolerabiles essent, v. g. si in materia fidelitatis de facto tuti non reperirentur; si de-

bitis horis non essent praesentes et servitio deficerent; si epistolas pro alumnis clandestine deferrent; si vitiose vivendo seminarium dehonorent; si claves aliasque res magni momenti eis commissas non custodirent; si quis aliis conservis imperare vellet, vel excessivum in modum esset turbulentus, pertinax, petulans etc.

VI. Superiores (ut alias innui) bene determinent quibusnam (v. g. Vice-rectori, Praefecto classis, Principali in officio etc.) et non aliis famuli obedire teneantur, illosque moneant quomodo, sive viva voce sive proprio campanae sonitu advocentur, semper prompti esse debeant. Singulis annis eorundem regulas illis in memoriam revocent, et monita opportuna eis praebeant. Humaniter illos tractent, et exigant ut etiam ab aliis bene tractentur; secus enim indignati et aegro animo operam suam praestarent, et erga pium locum nunquam affectum conciperent. Praefectus camerarium suae classis, si forte aliqua in re deficeret, corrigat quidem sed benevole, nec facile illum superioribus maioribus accuset.

VII. Caveant tamen superiores ne nimiam confidentiam famulis praebeant, neque nimis facile illis credant, eorumve consilia audiant, et prout illi suggerunt se gerant.

*De Episcopo et deputatis.*

1040. *Deputati pro seminario ad quid, quot, et quomodo eligantur?*

I. Eligantur ut Episcopus in rebus maioris momenti eorundem consilium exquirat, idque pro valido; sed ita ut (inspecta sola lege ecclesiastica) consilium ipsum sequi non teneatur.

II. Duae debent esse deputatorum species; una pro disciplina et studiis; et altera pro re oeconomica.



III. Prima consistit in duobus Canonicis senioribus et gravioribus ab Episcopo electis. Secunda autem consistit in duobus Canonicis, quorum unus a Capitulo, et alter ab Episcopo eligi debet, tum in duobus de Clero, quorum unus a Clero civitatis et alter ab Episcopo pariter eligendus est. Attamen illi ipsi duo Canonici qui ab Episcopo electi fuerunt pro disciplina, eligi possunt etiam pro re oeconomica, si pro illa quoque idonei sint, et tam Episcopo quam Capitulo id placeat: quo casu, loco sex deputatorum, quatuor sufficiunt.

1041. *Quid si aliquis ex deputatis ad tempus esset impeditus vel absens, et proinde intervenire non posset? Tunc oporteret subrogare alium pro interim eligendum ab iis a quibus facta fuit electio absentis vel impediti (Cf. Lucidi II. VI. 81).*

1042. *An dictis deputatis alii superaddi possint? Negative (Cf. Lucidi I. c. n. 120).*

1043. *Si deputati animadverterent, quid Episcopus sentiat, possentne iuxta illius placitum consilium dare? Si de illo non essent intime persuasi; negative; secus enim peccarent contra legem ecclesiasticam, quae exigit ut quod intime sentiunt sincere exponant.*

1044. *Quaenam in particulari sunt res, quarum tractatio ad Episcopum simul cum Deputatis spectat? Illas exposui supra (n. 1013 XVII) et in opusculo De Episcopo (n. 55). Unum tantummodo hic adiicio.*

Circumstantiae temporum efficiunt ut regulis antiquis aliquae regulae novae sive pro disciplina, sive pro studiis, sive pro re oeconomica addi debeant. Illas huc illuc exposui supra. Quatenus itaque iustae viderentur, nec adhuc applicatae fuissent, de illis agi posset. Finem facio notando quod hodie tanta est colluvies diariorum atque aviditas illa legendi, ut etiam a iuvenibus in seminariis, quamvis tot diversorum studiorum materiis attendere debeant, assidue legantur. Lectio huiusmodi praeiudicium inferre potest, efficit enim ut 1º pro studiis tempus, iam adeo per

se restrictum, adhuc magis restringatur. 2º Mens ipsa, postquam sic occupata fuerit, pro applicatione minus apta minusque disposita remaneat. 3º Bonus stylus vitietur. 4º Interdum in diariis etiam catholicis inveniuntur aliqua minus tuta aut quorum lectio iuvenibus non convenit. Saltem itaque cautelae in re ista statuendae erunt.

### Appendix.

#### *Schemata sermonum parochialium pro Dominicis Adventus.*

##### DOMINICA I.

1045. Cur Ecclesia praemittit Adventum SS.mo Natali? Sicut vigiliis festis, et Quadragesimam Paschati, sic Adventum Nativitati D. N. I. C. praemittit, ut fideles se disponant ad celebrandam hanc solemnitatem modo grato Deo etc.

Ad hoc obtinendum, sicut initio Quadragesimae revocat in mentem fidelium mortem; ita initio Adventus memorat Iudicium divinum, legendo sequens Evangelium: — Erunt signa etc.... et tunc videbunt Filium hominis etc. (ut in Missali) —.

Hoc est tremendum fidei nostrae dogma: — Resurrectio mortuorum et Iudicium Dei —.

Post bella, pestilentias, fames, terraemotus, obscuracionem solis etc. ignis omnia destruet...

Mortuis omnibus, tuba clamabit: — Surgite mortui — Surgent corpora.... Sed heu quanta differentia inter corpora electorum et damnatorum!... Animae illorum e coelo et istorum ab inferno venientes unientur proprio corpori...

Tuba iterum clamabit: — Ad iudicium, ad iudicium —. Ibunt ad vallem Iosaphat illi laetantes, isti heu quanto terrore affecti!...

Descendet Divinus Iudex....

Fiet eo iubente separatio: boni ad dexteram, mali ad sinistram... Opera uniuscuiusque erunt omnibus manifesta...

Sententia iustorum... Sententia reprobtorum... Et ibunt illi in gloriam aeternam; isti autem in ignem aeternum...

*Applicatio practica.* Quid erit de nobis? Quid de te blasphemus?... De te impudicus?... De te ebriosus?... De te scandalosus?... De te rapaci?... De te sacrilego qui taces peccata in confessione?... Quid de peccatoribus omnibus nisi vitam mutent?...

Neque ulterius differendum est. Mors est vicina... Et quovis momento nos deprehendere potest...

Obsequamur itaque invitationi Ecclesiae nostrae bonae matris, quae hoc mane cum Apostolo Paulo nobis dicit: « Hora est iam nos de somno surgere. Abiciamus opera « tenebrarum ». Dicit scilicet: Abiciamus impudicitias, blasphemias, ebrietates etc., faciamus confessionem bonam et diversam a consuetis. Confiteamur illam culpam tamdiu reticentiam... Faciamus pacem cum inimico... Restituamus ablatum... Derelinquamus occasiones... Uno verbo peccatorum nostrorum veram poenitentiam faciamus. Hoc est tempus quammaxime opportunum et propitium. Deus noster non iam ut terribilis iudex, sed ut amantissimus Redemptor et sub forma pueri amabilissimi ad nos venit. Neque diffidamus propter nimia nimisque gravia peccata nostra. Ille nos vocat, ille nobis sua brachia extendit, ille nobis offert suam misericordiam etc.

Sic heu quantum contenti erimus! Transigendo tempus Adventus in gratia Dei, et in operibus bonis, quantum laeti erimus diebus Natalitiae Solemnitatis! Quantum erimus Deo accepti! Quantum denique confidere poterimus perseverantiam finalem nos esse assecuturos et gloriam Paradisi, ubi nostrorum operum bonorum praemium abundantissimum habebimus in sempiternum: quod benignissimus Deus nobis omnibus concedat.

1046. Hodiernum Evangelium narrat, S. Ioannem misisse discipulos ad Iesum, qui peterent an ipse esset Messias adeo expectatus... Iesus coram ipsis prodigia multa fecit, et plebem evangelizavit; deinde ad illos respondens dixit: Renuntiate Ioanni quae vidistis: *Coeci vident, claudi ambulat, mortui resurgunt: pauperes evangelizantur*; quod perinde erat ac si dixisset: responsum haberi ab eiusdem miraculis et evangelizatione, scilicet se esse Messiam.

Ecclesia hac die nobis proponit hoc evangelium, ut reflectamus quis sit Iesus Christus, et sic ad illum in proximis sanctis Festis digne excipiendum disponamur.

Quis est Iesus Christus? Eheu quot videntur nescire quis ille sit. Si scirent, nunquid adeo horribiliter illum blasphemarent? Nunquid adeo graviter et frequenter innumeris modis illum offenderent?... Ipsae personae devotae non bene illum cognoscere palam faciunt; non raro enim longe minus quam Sanctos illum colunt et amant.

Ergo quis est Iesus Christus? Ad hoc bene intelligendum reminisci oportet 1º Quod Deus est in tribus personis, quae sunt Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. 2º Quod Adam peccavit, et suo lapsu universum genus humanum gratia Dei privavit, Deo invisum reddidit, atque salutis aeternae assequendae incapacem reddidit. Portae Paradisi tunc se clauserunt pro Adamo, eiusque miserrimis descenditibus... 3º Quod tunc Deus plenam satisfactionem exigendi decretum fecit, statuit scilicet se veniam non esse concessurum hominibus, nisi prius suae divinae iustitiae plene satisfactum fuisset.

Sed quis huiusmodi plenam satisfactionem dare potuisset? Nemo. Nec lacrymae, nec poenitentiae, nec oblationes, nec sacrificia, imo nequidem vitae hominum omnium sufficientes fuissent.

Nullum itaque remedium pro genere humano? Semper itaque portae Paradisi clausae? Semper itaque homines

perditione involuti? Nulla itaque in aeternum salutis spes? Non ita, non ita. Audite.

Eodem tempore (ut nostro intelligendi modo loquamur) eodem tempore, quo Iustitia divina fecit decretum plenae satisfactionis; Misericordia decretum aliud fecit; quod scilicet Deus ipse et praecise una ex tribus divinis Personis in mundum veniret, humanam naturam assumeret, atque ad satisfaciendum Divinae Iustitiae (prout statutum fuit) pateretur et moreretur pro hominibus. Quenam fuit haec persona? Fuit secunda: fuit Filius Divinus. Ipse Patri suo se obtulit, et dixit: Perditionem aeternam miserorum mortalium conspiciere non possum: vis plenam satisfactionem? Ego, ego carnem humanam sumam: patiar, moriar... Nunquid satisfactio sic plena non erit?... Ita ergo decretum fuit.....

Decretum istud misericordiae statutum in coelo manifestatum fuit hominibus in terra; imo et Adamo ipsi.... Omnes itaque hunc magnum Redemptorem et Salvatorem expectabant, quem Messiam dicebant. Nec in genere tantummodo et in confuso Deus illum praenuntiavit, sed per Prophetas praedixit minutiores ipsius particularitates; inter quas circa annum mundi 4000 fore nasciturum; eius matrem futuram esse virginem purissimam et immaculatissimam; viam salutis ostensurum esse populis evangelizatione sua; magnis atque inauditis prodigiis se Messiam ostensurum fore; denique inter atrocissima tormenta mortem pro hominibus esse subiturum.

Ita praedictum: ita verificatum. Tempore designato, Filius Dei natus fuit ex Virgine Maria (ut scitis); eiusque nomen fuit Iesus Christus.

Ergo repetam: Quis est Iesus Christus? Est forsitan unus ex multis Sanctis, quos veneramus? Minime; bene vero est Sanctus Sanctorum, Dominus mundi, Rex Coeli et terrae. Uno verbo: Iesus Christus, quamvis corpus et animam humanam habeat et sit verus homo, tamen eodem tempore est secunda persona SS. mae Trinitatis, est Filius

Divinus, est scilicet Deus; Deus aeternus, Deus infinitus, Deus immensus, Deus omnipotens; qui pro amore nostro....

Intellexistis nunc, filii charissimi, quis sit Iesus Christus?....

Nonne itaque digne illum excipietis?....

Si magnus Princeps terrenus domum vestram venturus esset, quomodo eum excepturi essetis? Ad duo certe vos maxima et extraordinaria prorsus sollicitudine intentos conspicerem 1º ad auferendum e medio quidquid dedecere posset; 2º ad exornandam domum meliori modo possibili. Sic ergo facite ad excipiendum D. N. I. C. in proximis sanctis festis: scilicet

I. Auferte peccatum ab anima vestra... Imprimis peccatum mortale... Tu ergo blasphemator... Tu ergo impudicus... Tu ergo rapax... Tu ergo qui odium habes in corde... Tu ergo qui tale vel tale peccatum prae verecundia nunquam confessum in conscientia habes.... Auferte etiam peccatum veniale... Inobedientias... mendacia.... murmurationes.... Sed non satis;

II. Exornate animas vestros virtutibus... Fide viva... humilitate profunda.... contritione magna.... maxime vero amore ferventi....

Sic, sic facite. Heu quantum Iesus Christus dignior est ut bene excipiat, quam quilibet Princeps terrenus... Dignior propter suam infinitam excellentiam; dignior quia est vester Redemptor, qui suo ipso Sanguine, sua ipsa morte, Paradisi portas vobis aperuit; dignior quia in proximis sanctis festis veniet ad vos solum ut vobis beneficiat. Heu quantum obsequia vestra remuneraturus erit! Quo melius eum excipietis, eo copiosius in vobis profusus erit sua dona divina... quae erunt harra illius aeternae beatitudinis, quae fuit semper scopus ardentissimi sui erga nos amoris.

1047. I. Traducitur Evangelium.

II. Notantur verba: — Medius autem vestrum stetit quem vos nescitis; ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est; cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti ←.

III. Stat Iesus Christus inter nos... Quomodo? In SS.mo Sacramento. Est de fide... Instituit Christus SS. Sacramentum... Accepit panem etc... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi... Sed heu quanta indifferentia Christianorum! Ubinam devotio? Ubinam reverentia et fervor in recipiendo Iesu Christo in SS.ma Communione? Imo multi eo usque procedunt, ut animam foedatam peccato, et post confessionem sacrilegam, sacrilege illum recipiant... Cur id accidit? Quia non satis considerant quanta existimatio huius divinissimi Sacramenti haberi debeat. Perpendamus itaque etc.

IV. SS.mum Sacramentum imprimis est obiectum pretiosum et venerandum longe magis quam alia omnia quae in terra esse possunt. Adest quippe in ipso 1° Corpus Sacratissimum D. N. I. C. 2° Eius sanguis. 3° Anima. 4° Divinitas. Ergo quid pretiosius? Aurum, argentum, thesauri omnes quid sunt etc.?... Quid magis venerandum? Sanctuarium in quo Arca foederis, Virga Aaron, tabulae legis, Sinai, Sancta domus lauretana, Praeseptum, Thabor, Coenaculum, Getsemani, Scala sancta, Calvarium, Olivetum, Carmelum, Crux Domini, Imagines omnes magis miraculosae, Reliquiae omnes magis insignes; imo omnes Angeli, Sancti, et Maria ipsa regina Sanctorum et Angelorum. Heu quanta sanctitas! Sed quid hoc in comparatione etc.?...

V. Si in toto mundo unica esset Ecclesia cum SS.mo Sacramento, quam veneranda esset... quot peregrinationes etc.! Si unica vice in anno descenderet I. C. e coelo etc.

quam pretiosum esset donum etc.! Sed nunquid erunt minus venerandae Ecclesiae nostrae? Nunquid minus pretiosum erit donum, quia Iesus Christus remanet nobiscum 1° perpetuo; 2° ubique; 3° adeo libenter veluti in throno amoris; 4° non solum ut adorationes recipiat, sed etiam ut veniat intra pectora nostra, ad hoc promptus etiam quotidie? Nunquid ista non erit fortuna maior illorum Sanctorum Regum qui in praeseptio etc...? Fortuna adeo magna haec est ut illam invident Angeli; et Deus ipse nullum aliud maius donum nobis mortalibus facere possit. — Addite quod hoc Sacramentum nobis relictum fuit a I. C. tamquam ultima memoria, dum pro nobis ad mortem iturus erat.

VI. Quid dicam de utilitatibus quas ex hoc SS.mo Sacramento recipere possumus in vita et in morte?

*In vita.* Est panis, cibus, nutrimentum animae nostrae... Consolatio... Deliciae... Paradisus in terra... Fons gratiarum omnium... Ex illo venia peccatorum (I. C. advocatus, victima etc.)... Ex illo praeservatio a peccatis futuris... Ex illo fortitudo contra tentationes... Ex illo lumen et robur in via salutis... Ex illo alimentum virtutum, speciatim castitatis, et divini amoris...

*In morte.* Quanta tunc consolatio si in vita fuerimus devoti SS.mi Sacramenti!... Veniet tunc I. C. in persona... Nos defendet a daemone... Nos consolabit... Suo amore et desiderio Paradisi nos inflammabit... Vicinae gloriae nobis pignus dabit...

*Fervens exhortatio.*

Audistis, filii carissimi, quantam habere debeamus existimationem SS.mi Sacramenti? Quanta veneratione sit dignum? Quot et quales utilitates ex illo capere possumus?

Bene hoc intelligebant Sancti. S. Philippus transigebat noctes integras ante tabernaculum... S. Margarita Alacoque desiderabat destruere seipsam ut candelae ardentes etc. S. Veronica de Iulianis per scalas ubi Viaticum dela-

tum fuit quovis gradu faciebat crucem cum lingua, adeo fortiter premendo ut sanguis eliceretur etc.

Et vós, carissimi, quid facietis? Nunquid in posterum eritis indifferentes sicut antea?... Nunquid tam parum solliciti de recipiendo Iesu Christo in SS.ma Communione?... Nunquid adeo tepidi in ipsa?... Nunquid tam parum devoti in Ecclesia?... Et ipso tempore Missae?... Nunquid erit inter vos qui Hostiam Sacrosanctam horribiliter blasphematurus sit?... Nunquid erit qui sacrilegas communiones facere et D. N. I. Christum animâ peccato mortali foedatâ atque a Daemone possessâ recipere audeat?... Minime, minime.

In proximis sanctis festis ad S. Communionem acceditis omnes: omnes, dico; et proinde nedum mulieres, sed etiam viri; nedum personae piae sed etiam peccatores, qui ope bonae confessionis in Dei gratiam redierint. Divinus Parvulus illos praecipue invitat et expectat. Haec communio, non secus ac in praesepio a manibus Mariae et Ioseph inter Angelos Divinum Infansem reciperetis, magis omnibus aliis fervida sit. Illum intra cor vestrum affectuosissime excipite; atque inter alias preces praecipua sit ut faciat vos semper eius inhaerere mandatis, atque ab illo vos nunquam separari permittat...

## DOMINICA IV.

1048. Adducuntur verba Evangelii « Venit (Ioannes) in omnem regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est... (scilicet iuxta prophetiam Isaiae dicentis): Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius: omnis vallis implebitur: omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas: et videbit omnis caro salutare Dei ».

Sicut, adveniente magno Principe ad aliquam civitatem, ei parantur viae, ut scilicet sint expeditae et ornatae; ita

Ecclesia (huius Evangelii lectione) nos invitat, ut paremus viam Domino....

Sed quomodo? Ope poenitentiae quae aufert peccata, et gratiâ Dei nos exornat (*Praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*).

Non quaelibet poenitentia sufficit....

Debet essa vera; quae producat fructum (*Facite fructus dignos poenitentiae*).

Quisnam erit iste fructus? Mutatio vitae. Sola vitae mutatio, sicut nobis salutem aeternam comparare, ita viam Domino parare poterit.

Quomodo? En: *Omnis vallis implebitur: omnis mons et collis humiliabitur; erunt prava in directa, et aspera in vias planas*. Non bona est via quae transeat per valles et montes, aut tortuosa vel aspera sit.

Valles sunt iniustitiae, valles sunt odia, valles (imo abyssi) sunt impudicitiae etc. Itaque.....; loco iniustitarum iustitia, odiorum charitas, impudicitiae castitas ponatur... *Omnis vallis implebitur*.

Montes sunt superbia, arrogantiae, blasphemiae etc. Itaque... *Omnis mons humiliabitur*.

Tortuositates sunt fraudes, prodiones fidei coniugalis... Itaque... *Erunt prava in directa*.

Denique asperitates sunt peccata venialia; scilicet leves inobedientiae, impatientiae, murmurationes, mendacia etc. Itaque... *Et erunt aspera in vias planas*.

Id autem assequamur dolore magno... et proposito firmissimo...; non autem dolore et proposito ita infirmo ut nullam pariat emendationem (sicut hucusque...). Accedamus deinde ad Ministrum Dei, eique confiteamur sincere omnia peccata nostra... (Ferventissima exhortatio).

Sic vere parabimus viam Domino... simulque vere nobismetipsis consulemus...; Dominus enim in cordibus nostris adveniens gratias adeo copiosas nobis largiturus erit, ut tanto auxilio roborati facillime salutem aeternam assequi poterimus... *Et videbit omnis caro salutare Dei*.

En itaque auguria vestri parochi... Equidem etiam bona temporalia vobis ominatur; sed praecipue spiritualia; nempe ex toto corde ominatur pacem in familiis et in paroecia tota; ominatur pacem conscientiae in singulis parochianis ita ut omnes, nemine excepto, in gratia Dei versentur: ominatur denique omnibus salutem aeternam: sanctum Paradisum.

### Sententia S. Poenitentiariae

*circa decimas si parochus pro illis plenam compensationem a Gubernio recipiat; unde quae dicta fuerunt supra pag. 556 reformari debent.*

1049. « Il Vescovo di Montalto esponeva che nella sua Diocesi alcuni parrochi avevano chiesto ed ottenuto dal Governo un supplemento di rendita, nel quale furono computati i compensi per il danno derivato dall'abolizione delle decime. Dopo ciò i parrocchiani non si erano più creduti in obbligo di pagarle per la ragione che ricevendo i parrochi dal Governo il compenso equivalente, se essi pure fossero tenuti a pagarle, il parroco le riscuoterebbe due volte; una volta dal Governo in denaro, un'altra volta dai parrocchiani in natura. Quindi si proponevano due dubbii.

« 1. Se i parrochi sieno tenuti indurre i loro parrocchiani a tal pagamento.

« 2. Se i confessori nel caso debbano negare l'assoluzione a' quei penitenti che si rifiutano di pagare.

« S. Poenit. ad utrumque dubium respondet, fideles in casu non esse inquietandos neque a parochis neque a confessariis, dummodo hae duae verificentur conditiones: 1. quod supplementum, aliunde a parochis acceptum, sit in compensationem decimarum et illas adaequet: 2. quod ipsi fideles parati sint stare mandatis Ecclesiae. — Datum Romae die 7 Martii 1899.

Ita apud *Monitore Ecclesiastico* (Vol. XIV pag. 213), qui insuper dicit, sententiam S. Poenitentiariae esse « Che qualora i fedeli, non ostante l'equo compenso ricevuto dal parroco, volessero pagargli le decime, questi le potrebbe ricevere, atteso il diritto che tuttora sussiste; ma in detto caso non potrebbe ritenere compenso e decime, e dovrebbe mettere il di più del compenso da lui percepito a disposizione dell'Ordinario, per distribuirlo a persone e luoghi più danneggiati dallo stesso Governo ».

*ms. 6 Jun*

## INDEX ALPHABETICUS

N. B. — Numeri non ad paginas sed ad paragraphos referuntur.

### A

*Absentia* bimestralis (quoad residentiam) n. 19 et seq. Causae legitimae abessendi 4).

*Absolutio* quando deneganda, aut sub conditione concedenda 970.

*Actio* catholica nostris temporibus 715.

*Administratio* bonorum Ecclesiae 914. 1037.

*Adulatio* 652 et seqq'

*Aedes parochialis* 41.

*Aeditui* (it. fabbricieri) 913. 914.

*Aes alienum* in parochia 606.

*Affinitas* 331. Exemplar litterarum ad petendam dispensationem ab affinitate aliisque impedimentis 354.

*Anniversaria* pro defunctis 536.

*Applicatio* Missae pro sponsis 464 et seq.

*Archivium* 664.

*Assistens* (parochus) matrimonio 443. Quid si sciret illud esse invalidum? 466.

*Assistentia* moribundis praestanda 487 et seq.

*Associatio* cadaverum 522 et seq.

An possint erigi plures cruces? 525. Confraternitates aut regulares ubi coadunari debeant 526.

*Auxilia spiritualia* pro infirmis 519.

*Avaritia* in parochia 603 et seq.

BERARDI - *Theologia Pastoralis*

### B

*Balbuties* in parochia quoad sermonem n. 140.

*Baptismus* 178. Quando necessaria sit administratio privata 178. Quomodo baptizati inscribuntur in proprio libro 190. Ius parochi quoad baptismum 742 et seq. In adulto 744.

*Benedictio* nuptialis 454. 459. Mulieris post partum 469. In articulo mortis 511.

*Beneficiatus* 685.

*Benevolentia* a parochia sibi procuranda 613.

*Bibliotheca* catholica 723.

*Bona parsimonialia* beneficiati 930. Industrialia 931.

### C

*Caesio* arborum in agris beneficii parochialis n. 918.

*Canonici* - Ius parochi circa canonicos 804.

*Capellanus hospitalium* 948.

*Capellanus* (v. vicarius parochialis).

*Carcere detenti* quoad matrimonium 440. Quoad iurisdictionem parochi 827.

*Catechismus* pueris 149. Pro quibusdam aliis 170. Ad populum generatim 112. 119.

*Cathedraticum*: ius Episcopi 657.

*Causae* pro dispensationibus matrimonialibus 344. 344.  
*Cautelae* adhibendae propter hodiernas leges civiles 727. Ad consulendum bono uniuscuiusque poenitentis 972.  
*Cera* exigenda uti taxa in funeribus 769. et seqq.  
*Cerei* delati uti oblationes 904.  
*Chorae* 561.  
*Circuli* catholici 715. 718.  
*Clausulae* in dispensationibus 359.  
*Clausura* monialium 834.  
*Clerici* (v. Defectus). Relationes dandae Episcopo quoad clericos 297.  
*Clerus* circa dotes quae in illo exiguntur 702. Circa actionem catholicam 720.  
*Coadiutor* 947. Parochialis 575.  
*Coemeteria* 517. 575.  
*Cognatio spiritualis* 334.  
*Collegiales* quoad matrimonium 440. Iurisdictio parochi circa collegiales 823.  
*Collegia* (v. Seminaria).  
*Comitatus catholici* 715. 718.  
*Commendatio* animae 512.  
*Communio* quomodo distinguitur ad modum viatici et ex devotione 240. Paschalis infirmorum 275. 750. Sponsorum 460. Ius parochi quoad communionem paschalem 749. Quoad admissionem ad primam communionem 751.  
*Concio* nuperi parochi quomodo fieri debet 733.  
*Concionator* (v. Praedicatio).  
*Concordia* parochi cum sacerdotibus 688 et seqq.  
*Concursus* ad urnas administrativas; et politicas 721.  
*Confessarius* circa dispensationes matrimoniales 345. 357. Scopus confessarii et methodus ab illo tenenda 949. Confessarius monialium 987 et seqq.  
*Confessio* quoad viros, foeminas, personas devotas 200. Monitum de confessione quomodo dari debet infirmis 222. Quo-

modo suscipitur confessio infirmorum 225. Sponsorum 453.  
*Confessionalia* aut alia loca confessionis 201.  
*Confidentia* a parochi sibi concilianda 627.  
*Confirmatio* (Sacramentum) 182.  
*Confraternitates* 687 xv. A quibus exiguntur 846.  
*Coniugum* obligationes 483.  
*Consanguinitas* 330.  
*Consensus* sponsorum excidendus a parochi arte matrimonium 305. 308. Actu matrimonii 411. Renovandus si matrimonium nullum fuisset invalidum 475.  
*Consociationes* catholicae 714.  
*Contradictoria* cum socialistis 715. 718.  
*Coronae* mortuariae in Ecclesiis 532.  
*Correctiones* a parochi faciendae 539 et seqq. 547. 552. Quando perniciosae 549 aut non necessariae vel inutiles 551. Modus faciendi correctiones 553.  
*Crimen* 333.  
*Crux*: delatio crucis in funeribus 525.  
*Cura* puerorum 148. 165. Iuvenum 172.  
*Curatus* 946.  
*Custodia* rerum Ecclesiae 665.

## D

*Decima* quid est 883. Quotupliciter distinguitur 884. Lex civilis de abolitione vel commutatione decimarum 890 et seqq. Quid in conscientia si supplementum congruae reciperetur? 1049.  
*Defectus* clericorum animadvertendi 296.  
*Delatio* cadaverum 518 et seqq.  
*Delegatio*: facultas delegandi in parochi 878.  
*Delirium* in infirmis (quoad Sacramenta) 246. 248.  
*Democratia* christiana 715. 719.  
*Denuntiatio* impedimentorum matrimonii 324. Causae excusantes 326. Si esset inutilis

326. Denuntiationes a parochi faciendae 650.  
*Deputati* seminariorum 1040.  
*Devotio* in functionibus 521.  
*Diaria* bona 722. In seminariis 1044.  
*Directio* animarum piarum 974. Regulae bonae directionis 977.  
*Director* spiritualis seminariorum 1018 et seqq.  
*Discordiae* a parochi sopiendae 563.  
*Dispensatio* a proclamationibus matrimonii 322. Quando effectum habeat 356. Invalida 390. In radice 420 et seqq. Quid possit parochi circa dispensationes 869. Quid Episcopus 341.  
*Divites*: parochus quoad illos 641. 694.  
*Divortium* 484.  
*Doctrina Christiana* 149. Ius parochi circa illam 838.  
*Doctrina* in parochi 5. 702.  
*Domicilium et quasi-domicilium* 426 et seqq. Domicilium duplex 428.  
*Dotes* in parochi 2. Dotes relictae pro puellis 678 et seqq.  
*Duellantes* quoad sepulturam eccles. 516.

## E

*Ecclesia* parochialis quomodo curanda 687. Quatenus ecclesiae gaudent iure funeris 760.  
*Electio status* 982.  
*Ecclesiae vetitum*: impedimentum matrimonii 339.  
*Electio* vicarii aut curati 880.  
*Eleemosyna* 629 et seqq. 637. Pro animabus purgantibus 675. Ex legato pio pro pauperibus 677.  
*Emendatio* in poenitente quomodo sedditur facilis 958. Quomodo procuranda 971.  
*Episcopus* quoad dispensationem ab impedimentis matrimonii 341. In revalidandis matrimoniis 477. Parochus relate ad

Episcopum 643. Recursus ad illum pro consilio 645. Pro dispensationibus 646. Pro aliquibus facultatibus 647. Pro approbatione et remediis 648 et seqq. Administratio sacramentorum Episcopo aegrotanti 805.  
*Eucharistia* 183. De casibus in quibus aliqui repelli possunt et debent 189. Quomodo administranda iis qui non sint infirmi et ieiunium servare non possint. 191. An deferenda tempore nocturno 253. Ius parochi quoad Eucharistiae administrationem 748.  
*Examen* sponsorum 305.  
*Excommunicati* quoad sepulturam eccl. 516.  
*Executio* dispensationis 474.  
*Expensae* pro dispensationibus 387.  
*Exemplum (bonum)* a parochi praebendum 579.  
*Explicatio Evangelii* (v. Sermo ad populum).  
*Expositae (puellae)* quoad parochi iurisditionem 924.  
*Extases* 985.  
*Extrema-UNCTIO* 277. 579. Quando danda 289. Ius parochi 752.

## F

*Facultas* dispensandi in parochi 869 et seqq.  
*Familia* parochi 729 et seqq.  
*Famulae* parochorum 336.  
*Famulae* quoad matrimonium 440. Iurisdictio parochi circa famulos 822. 829.  
*Famuli* monasteriorum quoad matrimonium 440. Famuli in Seminariis 1039.  
*Fenestras* (prospectus) in Ecclesiis 849.  
*Fides status liberi* pro matrimonio 309 et seqq.  
*Flores* in feretro 527.  
*Foeminae* in domo parochiali 584. 591 et seqq.  
*Fons baptismalis* 177.

*Formula* in concedenda dispensatione 384.

*Fructus* praebendae 685. 926. 927.

*Functiones*: Ius parochi circa functiones 837. 839. 840 et seqq. In aliis Ecclesiis 847.

*Funus*. Ius parochi circa funera 754. Ius tumuli quomodo distinguitur a iure funeris 757. Electio funeris 759. Funus habendum ratione dignitatis 762. Ius parochi in invitandis sacerdotibus ad funera 766. Circa taxam emolumentorum et ceram 767. Iura parochi quando parochianus in parocchia defunctus ad aliam Ecclesiam deportari debet 782. Cadaver per viam ferream ad stationem civitatis, ubi sepeliri debet, delatum 836.

## H

*Haereditas* fiduciaria 507.

*Haeretici* quoad sepulturam eccles. 516.

*Hypothecae* 672.

## I

*Imago defuncti* 331.

*Impedimenta* dirimentia matrimonium 530. Si essent publica in matrimonio iam celebrato 479. Impedientia 339. Dubia 340. An S. Sedes dispenset a quolibet impedimento 343. Occulta 477. Si detegantur quando omnia sunt parata 401.

*Impotentia* quoad matrimonium 337.

*Impudicitia* in parocchie 582. 600.

*Indigni* quoad sacramenta 248.

*Infantes* sine baptismo quoad sepulturam eccles. 516. Traditi nutricibus quoad iurisdictionem parochi 825.

*Infestatio* diabolica 986.

*Infestati a daemone* quoad communionem 195.

*Infideles* quoad sepulturam eccles. 516.

*Infirmi* (parochus quoad illos) 202. 203. 209. Quomodo accedere potest ad infirmum 210 et seq. Quidnam curare debet ad lectum infirmi 218 et seq. Infirmi habentes obligationes 226. Sensibus destituti 232. Renuentes viaticum 252. In hospitalibus quoad matrimonium 440. Ius parochi circa infirmos in nosocomiis degentes 820.

*Infirmus* habitualis in paroccho 71.

*Informationes* quoad matrimonium 300.

*Ingressus* nuperi parochi 734.

*Inscriptiones* in libris parochialibus 189. 182. 467. Emortuales in coemeterio 530.

*Instructio* populi circa baptismum 174. Circa eucharistiam 183. Ordinem sacrum 293. Matrimonium 298.

*Insufficientia* seu inhabilitas in paroccho 72.

*Integritas* materialis confessionis an exigatur tempore peccatis 238 et seqq.

*Intentio* in suscipiendis officiis pastoralibus 7.

*Invaliditas* matrimonii iam celebrati 470.

*Inventarium* de rebus Ecclesiae 667.

*Iteratio* Extremae-unctionis 287. Confessionis in infirmo 236.

*Iura* parochi quotuplicis generis 739. Quatenam spiritualia 740. Quatenam temporalia 741.

*Iurisdicatio* parochi quoad sacramentum poenitentiae 196.

*Iuvenes* quomodo curandi sint 172. Quomodo hodie salvari possunt 698.

## L

*Larvae* 561.

*Laudatio* funebris 529.

*Legata pia* quatenam hodie sustineantur civiliter 505.

*Libri* matrimoniorum 467. Parochiales 661.

## O

*Licentia* Episcopi ad abessendum a residentia 22.

*Ligamen* 336.

*Litterae* testimoniales in matrimonio peractis publicationibus 329.

*Locatio* fundorum Ecclesiae 921 et seq.

## M

*Maceratio* corporalis 979.

*Magistri* seminariorum 1017.

*Matrimonium* civile 301 et seqq. Ecclesiasticum coram quibus celebratur. 410. Ius parochi 753. Matrimonium conscientiae 400.

*Media* adhibenda ad tollendas inordinationes pro bono religionis et societatis 554.

*Meretrices* 555.

*Methodus* a confessariis servanda 957.

*Methodus vitae* in personis piis 978.

*Milites* quoad matrimonium 330. Quoad iurisdictionem parochi 826.

*Missa* pro populo 73. Quibus diebus celebranda 74. Quodnam onus sit 85. Exceptiones vel excusationes quoad celebrationem et applicationem 93. Culpa in omissione 102. Pro sponso et sponsa 457 et seq. De requie quando cantari potest 533. Quotidiana de requie 538.

*Missio* sacra 147.

*Mixta religio* impedimentum matrimonii 339.

*Moniales* quoad iurisdictionem parochi 828. Quoad virtutes magis necessarias 993.

*Monita* ad populum danda 144.

*Morbi* nequaquam periculosi 204. Mortis periculosi 205. Contagiosi 207.

*Moribundus* censura reservata inquinatus 231. Sensibus destitutus an possit pluribus vicibus absolvi 237. Notorias obligationes habens 250. 504.

*Obedientia* praestanda Episcopo 644.

*Oblationes* 849. De iure parochi circa oblationes 897. De ratione reddenda Episcopo circa oblationes 911.

*Obligationes* parochi 13. Audiendi confessiones 197. Circa matrimonium 483.

*Obreptio* 347.

*Obstetrices* quomodo examinandae sint 175.

*Oeconomus* parochialis in spiritualibus 945. Seminarii 1037.

*Officium divinum* in festo Titularis 686.

*Oleum Sanctum* si deficere incipiat 290. Ubi retineri debet 291 et seq. (v. Extrema Unctio).

*Onerum* adimplementum 673.

*Operarii* 694.

*Oratoria* pro adolescentulis 698. 700.

*Oratio* pro populo 105.

*Ordo sacer* 293.

*Orphani* quoad iurisdictionem parochi 823.

## P

*Parochus* quoad clericos 295. Quoad matrimonia, an ei liceat se intromittere 300. Circa dispensationes 345. In matrimonio Parochus surdus 412. Caecus 416. Quoad pauperes 628. Quoad Episcopum 643. Quoad onera missarum 673. Parochus sit homo sui temporis 690. Quoad viros 712. Quoad suam ipsam domum et familiam 729 et seq. Parochus nuperus 732. Binans 852 et seqq. Parochus proprius quoad matrimonium 422. et seqq. Agens partes medici 498. An ei expediat se ingerere in dispositionibus testamentariis 500. Quomodo vigilare debeat 542. An possit uti confessionali ad notitias habentibus



das 544. Turbulentus 605. Aere alieno gravatus 606. *Paternalicum* taxa funeris 769. *Pauperes* 628. 694. *Pax* sponsis danda 461. Componenda inter inimicos 567. *Pecunia* (modus illam inveniendi ad religionis tuitionem) 724. *Peregrinus* 539. Ius parochi circa peregrinos 807 et seqq. *Petitio* dispensationis pro revalidatione matrimonii 473. *Poenitentia*. Ius parochi quoad sacramentum poenitentiae 747. *Poenitentia* (sacramentum) 195. *Praedicatio* quadragesimalis 146. De scopo praedicatoris 1001. Media ut fructus obtineatur 1002 et seqq. De ordinariis praedicationum cursibus 1012. *Praefectus studiorum* 1016. Praefectus classis in seminariis 1027 et seqq. *Prima Communio* 168. *Primitiae* 889. *Privatio* beneficii 59. Pro quibus delictis 62. *Proclamationes* quoad matrimonium 312. *Procuratio*: ius Episcopi 657. *Procurator* in celebratione matrimonii 463. *Publica honestas* 832. *Puellae educandae* quoad matrimonium 450. 831. Quoad parochi iurisdictionem 830. Quoad sepulturam 832. *Pueri* (v. cura puerorum). Moribundi 247.

**Q**

*Quarta fanebris* 784. Qua de causa parochi debetur 785 et seqq.

**R**

*Rector* Ecclesiae 687. Seminarii 1014. *Redditus* paroeciae 685. *Regesta* 661. *Regulares* quoad iurisdictionem parochi 828. *Religio*: ut reddatur amabilis 694. Ut illuminetur populus circa religionem 695.

*Remedia* canonica si parochi numeri suo non satisfaciant 58. *Reparatio* scandali 395. *Residentia* formalis et materialis 14. Quo iure ad illam teneantur parochi 15. Causae excusantes 17. Culpa in non residendo 46. Poenae 52. *Retractatio* interdum exigenda 558. *Revalidatio* matrimonii 471.

**S**

*Sacerdos* communicandus 274. 274. Ius parochi circa sacerdotes simplices 803. *Sacerdotes* pro concione advocati 145. *Sacramenta* 174. 486. Quomodo administrantur infirmis morbo contagioso affectis 238. *Sanatio* matrimonii 472. *Sanatoria* quoad missas non celebratas 103 et seq. 674. *Sanctitas* in parochi 4. *Scandala* tollenda 557. 851. Scandalum in parochi 576. *Schemata* nonnulla sermonum parochialium 1045. *Schismatici* quoad sepulturam eccl. 516. *Scholae* religionis 699 et seq. *Scientia* 68. Usus scientiae confessionis 198. *Scioperi* 719 v. *Scopuli* in assistentia in ribundorum 495. *Scrupuli* 984. *Secretum* si obstaret denuntiationi impeditenti 327. *Sectarum* 695. *Sedilia* in Ecclesiis 848. *Semifatu* quoad communionem 192. *Sermo* ad populum 112 et seq. 1045. Dotes eiusdem sermonis 115 et seqq. Quibus diebus fieri debet 125. Excusationes 135 et seq. Poenae et culpa quoad negligentes 141 et seq. *Seminaria*: quoad superiores 1013 et seq.

*Seminaristae* quoad iurisdictionem parochi 823. *Sepultura* ecclesiastica 515. Quibus deneganda 515. Gentilitia 763 et seq. Electio sepulturae 759. *Signa* mortis vicinae 206. *Socialismus* 695. *Sonitus campanarum* 850. *Sponsalia*: impedimentum matrimonii 339. *Spensi* quomodo examinandi 305. Censuris innodati 408. Sponsus mutus 412. *Status*: electio status 982. *Stola*: delatio stolae in funeribus 780. *Subreptio* 350. *Suicidae* quoad sepulturam eccl. 516. *Superiores* in seminariis et collegiis 1013 et seq. *Surdo-muti* quomodo edocendi in doctrina christiana 171. Quoad communionem 193. *Synodaticum*: ius Episcopi 657. *Synodus* dioecesana quid sit, quomodo advocetur, a quibus in illa leges fiant.

**T**

*Telegraphus* in dispensationibus 402. *Tempus* vetitum pro matrimonio 450. *Tentationes* in infirmis 309. In personis piis 983. Quaedam remedia 980. *Testamentum* olographum, publicum, clausum 502. Informe 503. *Testes* in matrimonio requisiti 446. Testis caecus 416.

*Testimonia* paupertatis aut bonorum morum 624 et seq. *Theatra* 561. *Theologia pastoralis* 1.

**U**


*Unio* in Clero 710. iv. *Unioni professionali* 719. *Urnae*: concursus ad urnas (v. concursus).

**V**

*Vagus* 437. Quoad matrimonium 438. Ius parochi circa vagos 814. *Viaticum* quando administratur 241. Quenam impedimenta eximunt ab administratione 242. Potestne deferri ad loca indecentia 251. Quando administrari possit occulte 257. Equitando 260. Cum tirreto 261. Viatici repetitio 269. *Vicarius parochialis* 940 et seqq. Adhibendus 568. Quomodo eligendus 571. *Vice-rector* seminarii 1015. *Vigilantia* in parochi 541. *Virtus* in parochi 702. *Vis et metus*: impedimentum matrimonii 325. *Visitationes* quoad adamantes 299. *Vocationes* ad statum ecclesiasticum 710. *Vomitum* in infirmis 243 et seq. *Votum*: impedimentum matrimonii 339. Exemplar litterarum pro dispensatione 355. In personis piis 981.

**Z**

*Zelum* christianum 713.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN  
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## INDEX PROGRESSIVUS



<i>Introductio</i> . . . . .	Pag. 5
PARS I. De officio parochi — Praemittuntur quaedam generalia . . . . .	> 9
Caput I. De residentia . . . . .	> 12
Articulus I. De residentiae natura et obligatione . . . . .	> ibi
Articulus II. De conditionibus et causis legitimis ut aliquando parochus possit abesse a residentia . . . . .	> 13
Articulus III. De residendo praecise in aede parochiali . . . . .	> 20
Articulus IV. De gradu culpae in non residendo . . . . .	> 21
Articulus V. De poena contra non residentes . . . . .	> 23
Articulus VI. De remediis pro casu parochi residentis materialiter, sed non formaliter, scilicet muneri suo non satisfaciens . . . . .	> 27
Caput II. De Missa pro populo . . . . .	> 31
Articulus I. Quid sit Missa pro populo, et quo iure sit celebranda? . . . . .	> ibi
Articulus II. Quibus diebus Missa pro populo celebrari et applicari debeat? . . . . .	> 32
Articulus III. An Missa pro populo sit onus reale, personale, locale, et praecise affixum diei, et an possint adesse etiam aliae circumstantiae observandae? . . . . .	> 34
Articulus IV. Quid de exceptionibus vel excusationibus? . . . . .	> 36
Articulus V. Quid de gradu culpae si Missae pro populo omittentur; aut, extra casus (ut supra) exceptionales, non servando circumstantias secundarias, celebrarentur? . . . . .	> 39
Articulus VI. Quid de dispensationibus et sanatoriis quoad Missas pro populo? . . . . .	> 40
Caput III. De obligatione orandi pro populo . . . . .	> 42
Caput IV. De sermone ad populum, aliisque praedicationibus . . . . .	> 43
Articulus I. An, quo iure, et a quibus sermo ad populum fieri debeat? . . . . .	> ibi
Articulus II. De sermone ad populum quoad substantiam . . . . .	> ibi
Articulus III. De sermone ad populum quoad modum . . . . .	> 47
Articulus IV. Quibus diebus sermo ad populum fieri debeat, et an intra Missam? . . . . .	> 54
Articulus V. Utrum obligatio sermonem habendi ad populum in parochia sit onus personale? . . . . .	> 56
Articulus VI. Quenam circa obligationem praedicandi adesse possunt excusationes? . . . . .	> ibi
Articulus VII. Quid de poenis contra negligentes? . . . . .	> 60
Articulus VIII. Quid de gradu culpae? . . . . .	> ibi
Articulus IX. Quid notandum circa monita ad populum danda . . . . .	> 62

Articulus X. De aliis praedicationibus, quae forte in parocia locum habere possint . . . . .	Pag. 62
Caput V. De speciali puerorum et iuvenum cura . . . . .	» 65
Articulus I. De cura puerorum . . . . .	» ibi
Punctum I. De instructione pueris suppeditanda . . . . .	» 66
Punctum II. De cura quae (praeter instructionem) puerorum haberi debet . . . . .	» 73
Appendix. De quibusdam aliis in doctrina christiana edocendis, et speciatim de surdo-mutis . . . . .	» 77
Articulus II. De cura iuventutis . . . . .	» 79
Caput VI. De Baptismo . . . . .	» 81
Articulus I. De instructione populi atque obstetricum quoad baptismum et de prima obligatione ministri baptismi . . . . .	» ibi
Articulus II. De cura sacri fontis . . . . .	» 82
Articulus III. De baptismi administratione publica . . . . .	» 83
Articulus IV. De casibus in quibus vel obstant difficultates ex parte parentum, vel necessaria sit administratio privata . . . . .	» 84
Articulus V. De inscriptione baptizatorum in proprio libro . . . . .	» 86
Caput VII. De Sacramento Confirmationis . . . . .	» 87
Caput VIII. De Sacramento Eucharistiae in Ecclesia administrando . . . . .	» ibi
Articulus I. De christifidelibus circa SS. mam Eucharistiam instruendis, et de cura circa frequentiam . . . . .	» 88
Articulus II. De obligatione sacramentum istud administrandi . . . . .	» ibi
Articulus III. De casibus in quibus a sacra mensa aliqui impediri aut repelli possunt vel debent? . . . . .	» 89
Caput IX. De Sacramento Poenitentiae in Ecclesia administrando . . . . .	» 91
Caput X. De paroco quoad primas infirmorum visitationes, et Sacramentum Poenitentiae iisdem administrandum . . . . .	» 96
Articulus I. De modo se gerendi parochi in generali ut facilius et tempestive ad infirmos advocetur . . . . .	» ibi
Articulus II. De modo se gerendi parochi in particulari, habita notitia quod aliquis infirmus decumbat . . . . .	» 97
Articulus III. De modo accedendi ad infirmum . . . . .	» 100
Articulus IV. De modo se gerendi in cubiculo seu ad lectum infirmi . . . . .	» 105
Articulus V. De confessione infirmi actu suscipienda . . . . .	» 109
Articulus VI. De casu infirmi sensibus destituti . . . . .	» 113
Articulus VII. De iterata huius sacramenti administratione vel absolutionis concessione . . . . .	» 114
Articulus VIII. De tempore pestis vel utrumque de morbis contagiosis; et an cum quocumque incommodo parochus accurrere teneatur? . . . . .	» 115
Caput XI. De paroco quoad SS. Eucharistiam infirmis administrandam . . . . .	» 117
Articulus I. De Viatico . . . . .	» ibi
Punctum I. Quid sit Viaticum et quando administrandum . . . . .	» ibi
Punctum II. De SS. mi Viatici impedimentis vel excusationibus . . . . .	» 118
Punctum III. De nonnullis aliis animadversionibus circa SS. mum Viaticum . . . . .	» 125
Articulus II. De Eucharistia administranda infirmis sed non ad modum viatici . . . . .	» 130
Caput XII. De Extrema Unctione . . . . .	» 131
Articulus I. De obligatione, et ritu . . . . .	» ibi
Articulus II. De subiecto . . . . .	» 133

Articulus III. De iterata huius sacramenti administratione et de nonnullis aliis advertentiis . . . . .	Pag. 137
Caput XIII. De paroco quoad sacramentum Ordinis Sacri . . . . .	» 139
Caput XIV. De matrimonio et imprimis de praestandis a paroco antequam matrimonium celebretur . . . . .	» 141
Articulus I. De instructione circa matrimonium populo danda . . . . .	» ibi
Articulus II. De notandis circa visitationes adamantium (praeter supradicta); circa intruisionem parochi in tractatibus matrimonialibus, et circa simultaneam matrimonii civilis celebrationem . . . . .	» 142
Articulus III. De examine sponsorum et de fide status liberi . . . . .	» 145
Punctum I. De sponsorum examine et consensu pro publicationibus . . . . .	» ibi
Punctum II. De fide status liberi . . . . .	» 147
Articulus IV. De proclamationibus matrimonii et de denuntiatione impedimentorum . . . . .	» 149
Punctum I. De proclamationibus . . . . .	» ibi
Punctum II. De denuntiatione impedimentorum . . . . .	» 152
Articulus V. De quibusdam rebus post proclamationes peragendis; et speciatim (praemissa brevissima expositione impedimentorum) de dispensationibus interdum petendis et exequendis . . . . .	» 153
Punctum I. De quibusdam rebus post proclamationes peragendis . . . . .	» ibi
Punctum II. Brevissima expositio illorum impedimentorum, quae practice facilius contingere possunt . . . . .	» 154
Punctum III. De dispensationibus interdum petendis . . . . .	» 157
§ I. De impedimento dubio . . . . .	» ibi
§ II. De habente potestatem dispensandi . . . . .	» 158
§ III. De causis necessariis ut dispensatio obtineri possit . . . . .	» 159
§ IV. De casibus, in quibus petitio dispensationis ad parochum vel confessarium in toto vel in parte spectare potest . . . . .	» 160
§ V. De vitiis quae in petitione accidere et dispensationem reddere possunt invalidam . . . . .	» 161
§ VI. Dantur exemplaria litterarum . . . . .	» 162
Punctum IV. De dispensationibus, quae interdum a paroco vel confessario executioni mandari debent, pro foro conscientiae tantum . . . . .	» 164
Punctum V. De sciendis vel praestandis a paroco circa dispensationes, quae pro foro externo ope curiae episcopalis obtinentur . . . . .	» 171
Articulus VI. De matrimonio conscientiae . . . . .	» 175
Articulus VII. De impedimento detecto solum quando ad matrimonium hic et nunc contrahendum iam omnia sunt parata . . . . .	» 176
Articulus VIII. De quibusdam aliis rebus, quae obstare possunt, quamvis stricte non sint impedimenta canonica . . . . .	» 178
Caput XV. De praestandis actu ipso quo matrimonium celebratur . . . . .	» 179
Articulus I. Coram quibus matrimonium celebrari debeat . . . . .	» ibi
Articulus II. De matrimonio civili, aut aliter invalido, quod non coram paroco, sed ex dispensatione <i>in radice</i> sanetur . . . . .	» 182
Articulus III. Declaratur quisnam sit parochus proprius . . . . .	» 183
Articulus IV. De delegatione ad assistendum matrimonio . . . . .	» 191
Articulus V. De testibus pro matrimonio requisitis . . . . .	» 193
Articulus VI. De tempore in quo matrimonium celebrari potest . . . . .	» 194
Articulus VII. De loco ubi matrimonium celebrari potest . . . . .	» 195
Articulus VIII. De sacramentali sponsorum confessione . . . . .	» ibi
Articulus IX. De ritu in matrimonii celebratione servando . . . . .	» 197

Articulus X. Solvuntur nonnulla quaesita . . . . .	Pag. 198
Caput XVI. De praestandis a paroco postquam matrimonium celebratum fuit . . . . .	> 200
Articulus I. De matrimoniis in libro parochiali inscribendis; de benedictione nuptiali interdum supplenda, et de benedictione post partum . . . . .	> ibi
Articulus II. De matrimonio convalidando . . . . .	> 202
Articulus III. De nonnullis observandis circa coniugum obligationes et circa divortium . . . . .	> 207
Caput XVII. De paroco quoad assistentiam moribundis praestandam . . . . .	> 208
Articulus I. De assistentiae obligatione . . . . .	> ibi
Articulus II. De modo assistentiam moribundis praestandam et de scopulis magis exitalibus evitandis . . . . .	> 209
Articulus III. De testamento . . . . .	> 212
Articulus IV. De moribundo non turbando sed spiritualiter adiuvando . . . . .	> 216
Articulus V. De benedictione in articulo mortis . . . . .	> 217
Articulus VI. De commendatione animae . . . . .	> 219
Caput XVIII. De ecclesiastica sepultura aliisque officiis defunctos respicientibus . . . . .	> 220
Articulus I. Quid sit sepultura ecclesiastica et quibus sit deneganda . . . . .	> ibi
Articulus II. De coemeterio . . . . .	> 222
Articulus III. De advertentia circa funera et alia officia mortuaria . . . . .	> 223
Caput XIX. De paroco quoad vigilantiam et correctiones . . . . .	> 229
Caput XX. De paroco quoad scandala e medio tollenda . . . . .	> 244
Caput XXI. De paroco quoad discordias sopiendas et pacem inter inimicos componendam . . . . .	> 246
Caput XXII. De paroco quoad adiutores sibi adiungendos, et speciatim quoad vicarium, seu (ut nos dicimus) capellanum . . . . .	> 248
Caput XXIII. De paroco quoad scandalum non dandum, bonum exemplum praehendum, et existimationem sibi procurandam . . . . .	> 251
Caput XXIV. De paroco quoad benevolentiam et confidentiam sibi procurandam . . . . .	> 265
Articulus I. Agitur de re ista circa parochianos in generali . . . . .	> ibi
Articulus II. De specialibus advertentiis habendis a paroco ut benevolentiam sibi procuret quarundam personarum, et maxime pauperum, divitum, et illorum qui valde iuvare aut valde nocere possunt . . . . .	> 274
Punctum I. De modo se gerendi circa pauperes . . . . .	> ibi
Punctum II. De modo se gerendi circa divites . . . . .	> 279
Punctum III. Quatenam, praeter pauperes et divites, sint aliae personae quarum benevolentiam speciali modo oportet ut parochus sibi procuret? . . . . .	> 280
Caput XXV. De paroco quoad relationes cum Episcopo . . . . .	> 281
Articulus I. De officiis principalibus erga Episcopum et speciatim de obedientia ei praestanda . . . . .	> ibi
Articulus II. De recursu ad Episcopum in variis casibus particulatim . . . . .	> 282
Articulus III. De rebus Episcopo denuntiandis aut communicandis . . . . .	> 284
Articulus IV. De casibus in quibus circa Episcopum aliqua conquerendi occasio interveniret . . . . .	> ibi
Articulus V. De Episcopo non adulando . . . . .	> 285
Articulus VI. De iuribus Episcopo persolvendis . . . . .	> 288


Caput XXVI. De parochialibus libris, registis, documentis, instrumentis etc. et de archivo . . . . .	Pag. 290
Caput XXVII. De paroco quatenus est custos atque administrator rerum Ecclesiae et beneficiatus . . . . .	> 291
Articulus I. De custodia rerum Ecclesiae . . . . .	> ibi
Articulus II. De oneribus adimplendis . . . . .	> 294
Articulus III. De erogandis redditibus beneficii parochialis et de festo Titularis . . . . .	> 297
Caput XXVIII. De paroco quoad officium rectoris Ecclesiae . . . . .	> 298
Caput XXIX. De paroco quoad relationes cum aliis parochis et sacerdotibus suae congregationis sed plebanatus . . . . .	> 303
Caput XXX. De necessitate ut parochus in regenda parocia rationem habeat circumstantiarum, et sit (ut vulgo dicitur) homo sui temporis . . . . .	> 305
Articulus I. Agitur de re ista in generali . . . . .	> ibi
Articulus II. Agitur in particulari de mediis, quae pro religionis et societatis bono his temporibus adhiberi debent . . . . .	> 311
Punctum I. Agitur de primo medio, ut scilicet religio, speciatim benefaciendo pauperibus et operariis, reddatur amabilis . . . . .	> 312
Punctum II. Agitur de secundo medio, ut scilicet illuminetur populus circa religionem et maxime contra sectas . . . . .	> 315
Punctum III. Agitur de tertio remedio, ut scilicet omnis industria adhibeatur ad iuventutem, speciatim masculini sexus, salvandam . . . . .	> 319
Punctum IV. Agitur de quarto medio, et ostenditur quomodo sit adlaborandum pro bono Cleri, et speciatim 1. ut sanctitate et doctrina magis magisque praefulgeat; 2. ut caveat a periculo ne ille ipse gliscentibus erroribus aliquo modo inficiatur, aut in novis mediis adhibendis bonam quidem intentionem habeat, sed non recte procedat; 3. ut vocationes ad statum ecclesiasticum promoveantur et custodiantur . . . . .	> 322
Punctum V. De quinto remedio; procurandam esse scilicet meliorationem parociae, speciatim quoad viros, et excitando zelum christianum . . . . .	> 323
Punctum VI. De sexto medio, ut scilicet, unitis viribus cleri et laicorum consociationum catholicarum, ad procuranda ea quae religioni intersunt, actio (quae dicitur) catholica promoveatur, et debito modo foveatur . . . . .	> 335
Punctum VII. De septimo medio; nempe pro concursu ad urnas administrativas, et (ubi a S. Sede permittitur) etiam politicas, valde adlaborandum esse, ut electiones religioni favorabiles evadant . . . . .	> 342
Punctum VIII. De medio octavo; oportet scilicet diariis librisque bonis favere, et malis omni nisu adversari . . . . .	> 346
Punctum IX. De nono medio; curandum scilicet ut facilius inveniri possit pecunia, quae sine dubio exigitur, ut ad religionis tuitionem praedicta adhiberi valeant . . . . .	> 348
Punctum X. De decimo medio; omni scilicet quo potest modo curandum ut reipsa media praedicta adhibeantur . . . . .	> 350
Conclusio . . . . .	> ibi
Caput XXXI. De cautelis hodie apud nos adhibendis propter leges civiles . . . . .	> 351
Caput XXXII. De paroco quoad Synodum dioecesanam . . . . .	> 353
Caput XXXIII. De paroco quoad suam ipsam domum et familiam . . . . .	> 357

Caput VIII. De superioribus collegiorum et seminariorum . . . . .	Pag. 533
Articulus I. Declaratur quinam sint hi superiores, et exponuntur normae generales ut officiis suis satisfaciant . . . . .	» ibi
Articulus II. Agitur de officiis Superiorum in particulari . . . . .	» 540
Caput III. De iure parochi quoad SS. Eucharistiae administrationem . . . . .	» 365
Caput IV. De iure parochi quoad Extremam-Uncionem . . . . .	» 369
Caput V. De iure parochi quoad matrimonium . . . . .	» ibi
Caput VI. De iure parochi circa funera pro casibus ordinariis parochianorum in paroecia obeuntium . . . . .	» 370
Caput VII. De iurisdictione parochorum circa sacramenta et sepulturam in pluribus casibus speciali animadversione indigentibus . . . . .	» 383
Caput VIII. De iure parochi exigendi ut parochiani a se ipso exclusive sacramenta recipiant vel ad paroeciam se conferant . . . . .	» 410
Caput IX. De iuribus parochi circa sacras functiones . . . . .	» 412
Articulus I. De distinctione inter functiones sacerdotales et parochiales . . . . .	» ibi
Articulus II. De iuribus parochi quoad ea quae relate ad sacras functiones sive libere sive accedente speciali consensu Episcopi, in paroecia sua, sive intra sive extra Ecclesiam, facere vel exigere potest . . . . .	» 413
Articulus III. De iure parochi circa functiones in aliis Ecclesiis vel oratorii publicis intra limites paroeciae suae sitis . . . . .	» 417
Caput X. De iure parochi circa sedilia in Ecclesia, contra prospectus qui forte in illa invenirentur, circa sonitum campanarum, et circa scandala impedienda . . . . .	» 419
Caput XI. De parochi binante, scilicet bis in die Missam celebrante . . . . .	» 421
Caput XII. De iure parochi quoad dispensationes . . . . .	» 425
Caput XIII. De iure delegandi, et de facultate vicarium eligendi . . . . .	» 428
Caput XIV. De iure parochi quoad decimas primitias, aliasque praestationes . . . . .	» 431
Caput XV. De iure parochi quoad oblationes . . . . .	» 435
Caput XVI. De iure parochi quoad administrationem bonorum temporalium paroeciae suae . . . . .	» 441
Caput XVII. De iure parochi quoad fructus praebendae suae . . . . .	» 448
Pars III. De aliis qui parochi non sunt, sed pro cura et bono animarum plus vel minus laborant . . . . .	» 459
Caput I. Praemittuntur quaedam generalia . . . . .	» ibi
Caput II. De vicariis parochialibus, seu de vice-parochis, vel cooperatoribus . . . . .	» 460
Caput III. De oeconomis in spiritualibus, de curato et de coadiutore . . . . .	» 462
Caput IV. De capellanis hospitalium . . . . .	» 464
Caput V. De confessariis . . . . .	» 465
Caput VI. De directione animarum piarum et de confessario monialium . . . . .	» 487
Articulus I. De directione animarum piarum . . . . .	» ibi
Articulus II. De confessario monialium . . . . .	» 501
Caput VII. De concionatoribus . . . . .	» 508
Articulus I. De scopo praedicationis . . . . .	» ibi
Articulus II. De recta electione argumentorum . . . . .	» 514
Articulus III. De argumentis bene et efficaciter pertractandis . . . . .	» 516
Articulus IV. De necessitate ut verbi Dei praedicones vitae exemplaritate praeferant, et vero Dei amore sint incensi . . . . .	» 527
Appendix. De ordinariis praedicationum cursibus . . . . .	» 529

Caput XXXIV. De nupero parochi . . . . .	Pag. 361
Pars II. De iuribus parochi . . . . .	» 363
Caput I. Iura parochi quoad Baptismum . . . . .	» ibi
Caput II. De iure parochi quoad Sacramentum Poenitentiae . . . . .	» 365
Punctum I. De Rectore . . . . .	» 540
Punctum II. De Vice-rectore . . . . .	» 542
Punctum III. De Praefecto studiorum . . . . .	» ibi
Punctum IV. De magistris . . . . .	» 546
Punctum V. De Directore spiritali . . . . .	» 549
Punctum VI. De Praefectis classium . . . . .	» 557
Punctum VII. De Oeonomo . . . . .	» 561
Punctum VIII. De Superioribus quoad Seminarii famulos . . . . .	» 564
Punctum IX. De Episcopo et deputatis . . . . .	» 565
Appendix. Schemata sermonum parochialium pro Dominicis Adventus . . . . .	» 567
Sententia S. Poenitentiariae circa decimas et supplementum congruae . . . . .	» 576
Index alphabeticus . . . . .	» 577

## ERRATA-CORRIGE

In indice quatuor priores lineae pag. 590 permutandae sunt cum quatuor prioribus pag. 591.  
Pag. 576 lin. 11 loco n. 556 pone n. 446.



*Faventiae XXV Aug. MCMII*

**Nihil obstat**

IOSEPH Can.cus CALDERONI Revisor Episcopalis

**Publicetur**

✠ IOACHIMUS CANTAGALLI Episcopus Faventinus

U A N L

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

